DE

SONIS LITERARVM GRAECARVM

TVM GENVINIS TVM ADOPTIVIS

LIBRI DVO

AVCTORE

GVSTAVO SEYFFARTHO

PHIL. DOCT. BONN. ART. MAG. AD. AED. D. PAVLI CONCION. VESPERTIN. SOCIET. OEC. ET NATVR. SCRVTT. LIPSIENS. SODAL. IN. VNIVER. LIPS. DOCT. PRIVAT.

ACCEDVNT

COMMENTATIO DE LITERIS GRAECORVM SVBINDE VSITATIS, DISSERTATIONES, INDEX ET TABVLAE DVAE

CVM EPISTOLA

GODOFREDI HERMANNI

LIPSIAE 1824

SVMTIBVS FRID. CHRIST. GVIL. VOGELII.

PATRI

VENERANDO

TR. AUG. SEYFFARTH

S. S. THEOLOGIAE ATQVE PHILOSOPHIAE DOCTORI
BONARR. ARTT. MAGIST. AD AEDEM FRIBERGENS. S.
MARIAE PASTORI EPHORIAE ET GYMN. FRIBERG.
EPHORO ET ANTISTITI

HVNC LIBELLVM

D. D. D.

PIETAS FILII.

GVSTAVO SEYFFARTHO

VIRO CLARISSIMO

S. D.

GODOFREDUS HERMANNUS.

Magnum es et difficile opus aggressus, vir clarissime, quum voces, quae ante multa iam saecula obmutuerunt, in vitam et ora hominum revocare conatus es. Sed est tamen hoc genus disputandi ita comparatum, ut, si ab oris humani vocisque natura, quod a te factum est, repetatur, neque vanum putari debeat, neque multiplici utilitate cariturum. Atque ego quidem, quum mihi inspiciendum dares librum tuum, ut, si quid ab hoc argumento non alienum in promptu haberem, id tecum communicarem, vellem in aliud tempus emissio libri incidisset, quam in illud, quo plurimis eram iisque molestissimis distractus negotiis. Quo magis enim optabam, quae tanta cum diligentia congessisses,

tantaque cum subtilitate pervestigasses, accuratius cognoscere, eo magis dolebam, quod ea mihi vix attingere, nedum attente perlegere atque expendere liceret. Ita factum est, ut, quum aliquo tamen modo satis facere tibi cuperem, non nisi levia quaedam, quae raptim librum percurrenti occurrebant, adnotaverim, eaque fere talia, in quibus te ab iis, quae ego probarem, dissentire animadverterem. Quae etsi scio vix digna commemoratione esse, tamen proferam, ut aliquod saltem meae erga te voluntatis documentum exstet.

Ac versabuntur illa in sola Graecorum litera iota, de qua quae disseruisti, non videntur mihi satis ex omni parte certa ac firma esse. Veluti quum p. 405. scripsisti, eam literam apud poetas multis in locis consonae modo pronunciari potuisse, id ego quidem non nisi in perpaucis locis factum puto. Est autem duplex huius rei ratio. Nam aut inter duas vocales, quarum prior longa est, medium invenitur iota, vt *δηΐοιο*, *Δαΐος*, cuiusmodi in vocabulis non dixerim tamen consonantis vice eam litteram fungi, sed potestatem habere talem, vt media inter consonantem et vocalem, proprior autem vocali sit. Non potest tamen illuc *Πηληϊάδεω* referri, cuius vocabuli extremae duae syllabae contrahuntur. Aut inter consonantem est et vocalem positum

vt *Αἰϑιώπιον*, quod ex Dionysio Periegeta attulisti p. 408. Eiusmodi sunt *Φειδίας*, *Ἀπολλωνίας*, in epigrammatis apud Pausaniam V. 10, 2. et 22, 2. *Πηλιάδα* Sotadis apud Hephaestionem p. 8. et quaedam alia. In initiis verborum autem ab eiusmodi synecphonesi, sic enim appellanda est ista ratio, abstinuerunt Graeci, nisi apud Pausan. V. 18, 1. Nam quod hodie multos pronunciare duabus syllabis audimus, *iambus*, *Iones*, Graecis inauditum fuit. Nec profecto ad istum modum *Ἰάονες* tribus syllabis in versu, quem p. 405. ex Homerico hymno Apollinis attulisti, pronunciari posse, vel caesura, quae ista pronunciatione tolleretur, euincit.

Neque vero illud concedi posse puto, quod p. 406. scribis, in interiectione *εἶα* primas litteras nec diphthongum neque *i* sonare, sed *ej*. Nam etsi nemo dubitabit, quin ea vox non fuerit *ia* pronunciata, tamen, si eum habuisset sonum, quo nos hodie Latinum *eia* proferre consuevimus, id Graece *ᾗα* scriberetur. Aliter enim prima syllaba brevis esset, scribique deberet *ἔια*. Itaque sic potius statuendum existimo, esse illud *ει ie* vere dipthongum, sono tamen eo, quo etiam in Germaniae nonnullis regionibus diphthongus *ei* pronunciatur, qui propius ad *e* accedit, ut, si scribendo exprimendus sit, magis *ἔϊ*, quam novus quidam sonus, in quo aures

neque *e* neque *i* percipiant, esse videatur. Valde autem inter se discrepant, quae p. 410. attulisti, *Calliopeia* et *Elegeia*. Nam *Calliopeia* terminationem illam habet disyllabam, Graeceque scribitur *Καλλιόπεια*, Latine *Calliopea*; *Elegeia* autem trisyllabam, vt, si Graece scribenda sit vox illa, vbi, vt apud Ovidium, in quattuor syllabas distracta est, scribi oporteat *Ἐλεγήϊα*.

Quae p. 464. seqq. disputasti, non minus dubia esse puto. Littera iota quidem, vt *α* et *υ*, omni tempore aliis in verbis longa, in aliis breuis fuit. Nec verum esse, quod ais p. 466. debuisse Graecos *ι* breue ab longo distinguere, ne *ι* inter vocales positum *j* pronunciaretur, multa exempla docent, in quibus *ι* inter vocales nunc breuis vocalis est, vt *ἠϊόνες*, nunc longa, vt *Ταλαϊονίδης*. Omninoque si Graeci, quum de vocali *ε* loquuntur, *ει* scribunt, factum id est eo, quod ei vocali hoc nomen erat *εἶ*, vt *οὖ* vocali *ο*. Obiter hac opportunitate moneo, quod p. 521. ab Athenaeo traditum ais, veteres diphthongum *υι* solo *υ* scripsisse, fraudem tibi factam esse a Wetstenio. Nam Athenaeus XI. 5. p. 466. F. non vt Wetstenius refert, de diphthongo *υι* loquitur, sed de *ου*, quumque narrat, Achaeum tragicum, singulas nominis *Διωνύσου* litteras enumerantem, extremam posuisse *ο*, quam ille *οὖ* appellaverat, omissam ab eo

indicat *υ*, qua vox illa finiretur, quia veteres pro *ου* scribere *ο* consueuerint.

Sed quae de illa diphthongo *υι* disputas p. 515. seqq. in his primo non videris animadvertisse, si quando corripiatur ea diphthongus, id non posse ullo modo fieri, nisi ante vocalem, quae communis est omnium et longarum vocalium et diphthongorum conditio. Deinde quod Maittario auctore p. 518. memorasti, Atticos *υ* vertere in *ω*, in ea re ille quantum a vero aberrauerit, manifestum est. Non magis aut Terentius, aut quisquam alius genitivum quartae declinationis, qui in *uis* terminabatur, pro longa *u* posuit, sed sunt istae duae breves syllabae. Id apertum est metri indicio:

eius ánuis caussa, opínor, quae erat mórtua.

Illud vero in diphthongo *υι* vellem a te quaesitum esset, quid sit, quod grammatici consensu tradiderunt, non usurpari eam nisi ante vocalem. Quam sententiam valde probat Buttmannus in Lexilogo I. p. 56. et in vol. I. grammaticae p. 539. Et profecto ita quum alia, tum saepe *ἰχθύδιον*, quod analogia *ἰχθυίδιον* esse postulabat, scripta inveniuntur. De hac quidem voce videndus Davesius in Misc. crit. p. 386. ed. Kidd. Sic *μύδιον*, *βοτρύδιον* scribi narratur in Etymol. M. p. 239, 52. vbi disceptatur, vtrum *γράδιον*

an γραδιον scribendum sit. Ita κρεάδιον, de quo v. Dobraeum ad Aristoph. Plut. 227. Sed in Aristophanis Vespis tamen v. 1347. scriptum videmus υἴδιον vel υἱΐδιον, credo quod grammatici id quattuor syllabas habere opinabantur. At habuit tres tantum, sed eo ab υἴδιον, quod ex ὗς formatum est, differt, quod, quum illud brevi iota sit, eam literam, ut ex duplici iota factam, longam habet. Num igitur hoc quoque ὕδιον scriptum probaturi erant? Si negabunt, vereor ne suam ipsi doctrinam labefactent. Quam vt quovis modo conservarent, etiam optativos, quales ζευγνύην, ὀμνύην, πηγνύην, sine iota scribebant: de qua re permira fuit Apollonii sententia, quam attulit Choeroboscus in Bekkeri Anecdotis p. 1292. At quid fiet dativis, quos litteris υι in diphthongum contractis consonans sequitur, ut in illo Homeri, ἐνὶ πληθυῖ μένεν ἀνδρῶν? Apertum est enim, illud inepte scribi πληθύϊ. Viderit ergo Buttmannus, qui in vol. I. grammaticae p. 189. probavit πληθυῖ, ne secum ipse pugnet, qui alibi se addicat negantibus, eam diphthongum ante consonantem poni. Enim vero πληθυῖ, inquiat, diphthongum quidem illam habet, sed non ante consonantem: nulla enim sequitur consonans in illis formis. Profecto: et sic censebant, opinor, veteres illi grammatici. At, nisi ego pror-

sus fallor, aut ne πληθυῖ quidem, sed πληθῦ scribendum est, aut etiam non modo ζευγνυίην, sed etiam ζευγνυίμην, ἐκδυῖμεν, ἰχθυίδιον, et quidquid est huius generis, sunt vera existimanda. Nam quid tandem sibi vult illud, quod dictitant, *vι* non poni nisi ante vocalem? Nihil profecto aliud, si aliquid sanae mentis in illo praecepto inveniri censendum est, quam diphthongum illam non posse pronunciari nisi ita, vt iota prope consonantis officio fungatur, quemadmodum in illo Pindari *Λᾴον*, quod est *Lajon*, non autem vt vere diphthongus sit. Nam si diphthongus est, solam necesse est pronunciari posse, neque indigere vocali, cui partem aliquam sui tradat. Atqui si πληθυῖ nullam habet in pronunciando difficultatem, quomodo aliquam habebit ζευγνυίμην, quod est ζευ-γνυί-μην? Itaque qui hoc pronunciari posse negat, is necesse est neget etiam πληθυῖ. Non enim eo insaniae quisquam progredietur, ut id πληθύι, id est *plethyj*, sonuisse credat, inaudita consonante in fine verbi posita. Quae quum ita sint, magnopere vereor, ne illud sit unum de multis illis grammaticorum commentis, de quibus antiqui nihil neque cognitum neque auditum habuere. Quin si ipsam spectamus pronunciationem, est illa diphthongus ad pronunciandum facillima, ubi, ut in istis dativis, ex

duabus est brevibus vocalibus composita. Difficilior vero, quum *υ* longa est, sed nihilo tamen magis, quam omnes illae diphthongi, quae impurae vocantur *ᾳ*, *ῃ*, *ῳ*, *αυ*, ex longa *α* et *υ* facta, *ηυ*, *ωυ*. In hoc quoque genere miror, quod Buttmannus tanta religione sequutus est veteres grammaticos, vt, quum aperte et *υι* et *αυ* nunc brevem, nunc longam habeant primam vocalem, tamen eas diphthongos non discreverit. Quasi vero, si quid illi neglexerunt aut errarunt, id nobis non supplere atque corrigere liceat. Sed amamus nonnumquam, consuetudinis auctoritate freti, etiam peccare. Vt quum *γήρᾳ* dativum scribimus, qui non minus analogiae repugnat, quam si quis *τείχῃ* scriberet, quum, si *τείχει* scribimus, etiam *γηραι* scribendum esse pateat. Et haec quidem eo turpior est socordia, quod ista scribendi ratio ne grammaticis quidem, sed librariorum inscitiae debetur, qui quum iota, quod olim in caeterarum ordine litterarum scribebatur, subscribi coeptum esset, etiam ibi eam litteram subscripserunt, ubi locum suum tueri quam maxime debebat.

Sed satis. Nam ipsa illa de litterarum Graecarum pronunciatione quaestio, quam tu, vir praestantissime, tanto cum doctrinae apparatu maximam partem ex iis fontibus derivasti, ad quos mihi non licet accedere, tam late patet,

tamque impedita est, vt, hoc praesertim tempore, quo nihil mihi otii relictum est, ab ea me plane abstinere debeam. Itaque rogo te, ut haec pauca sic accipias, quemadmodum ab amicis etiam levia non solent ingrata esse. Tu vero, quod nunc agis, ut, quae egregie de veterum Aegyptiorum lingua inchoavit Spohnius noster, quo nuper sumus candidissimo amico orbati, ad exitum perducas, id age feliciter, curaque, ut tua opera atque industria illius virtus meritam consequatur gloriam, cuius non exigua pars ad te ipsum redundabit. Me autem, qui tui sum studiosissimus, ut hactenus fecisti, amare perge. Vale. Dabam d. VIII. April. a. CIƆIƆCCCXXIV.

PRAEFATIO.

Nescio, an miraturi sint plerique, nouum exstitisse librum de pronunciatione Graeca agentem eumque ingentis fere molis a theologo conscriptum. Memores enim verborum Senecae: *prodest ad alia multa, ad virtutem nihil*, vile habebunt huius libri argumentum atque inemptum videatur necesse est, retractasse ea, quae a viris celebratissimis sexcentis, doctrinarum copia, intelligentiae amplitudine, ingenii acumine atque disputandi subtilitate summa insignibus, tractata erant. At neminem pudet inuestigare verum, neque exigui momenti est, nosse literarum Graecarum sonos tum genuinos, tum susceptos. Quod enim per tria quidem saecula eruditorum ingenia exercuit, publica interdicta elicuit, odia, vexationes atque exsilia progenuit (*Hauercampi Sylloge II. scriptorum, qui comment. de pron. Graec. reliquerunt. Praefatio.*), quod denique Collegiorum suffragiis diiudicatum est (*Ideen über uns. Erasm. Aussprache des Altgriechischen p.* 11.), dignum vtique videtur animaduersione. Quid autem magis literarum bonarum studiosis curae esse debet, quam germana elocutio linquae praestantissimae, cuius monumenta sublimia ac fere diuina in erudiendo

terrarum orbe grauissimas partes etiamnum agunt? Cognita literarum apud Graecos potestate perspiciuntur dialectorum origines atque proprietates, explicandos se praebent singulares scribendi mores, corrigi possunt librariorum errores atque constitui codicum aetas, nec facile aliquis fructus salubres indicauerit, quos verum vnum proferre valeat. Ceterum qui de pronunciatione linguae Graecae adhuc disseruerunt, non egerunt ita, vt nihil omitterent, nihil peccarent, nihil in dubio relinquerent. Temporum enim quamuis diuersissimorum interualla nemo hactenus distinxit, ac si lingua Graeca per tria fere annorum millia eadem manere debuerit. Licet plurimae linguae ad cognoscendam pronunciationem Graecam aptae adessent; non respexerunt nisi vnam vel duas, parum reputantes, Latinorum, quippe antiquitatis studiosorum, hac in re vsum in suspicionem vocari posse atque esse cauendum, ne poetarum licentiae nimium tribuatur.

Has equidem ob caussas animum appuli ad quaestionem de pronunciatione Graeca. Scilicet dudum ante in translationibus S. S., in quibus exegeseos praesidia quaerebam, singularem verborum Graecorum scripturam obseruaueram. Quum vero interpretes isti potuerint ac debuerint sonos verborum et nominum Graecorum sua quiuis aetate valentes seruare; digni

vtique videbantur, qui, hactenus neglecti, audirentur. Congessi itaque ingentem verborum Graecorum numerum aut literis peregrinis scriptorum aut Hebraicis vocibus respondentium, quae, quo accuratius versarer, integra siui. Ne nimis molestus essem lectoribus, signa peregrina multisque incognita, quatenus licuit, vsitatioribus reddidi. Absoluta ea quaestione, quam solam initio soluendam mihi sumseram, cum in pronunciationem Graecam talem incidissem, qualem neque cupieram neque praeuideram; requirebatur videre, vtrum, quae e scriptis Graecis et Latinis huc faciunt, consentirent, nec ne. Qua de re coegi, quidquid est propositum aut ad Erasmi, aut ad Reuchlini, aut ad alius sententiam de sono literae cuiusdam Graecae firmandam. Hinc vt perfectum quoddam opus de literatura Graecorum existeret, quaesiui etiam de literis a Graecis subinde in scribendo adhibitis atque, quod cum fine libri cohaerere videbatur, de ratione et initio pronunciationis corruptae nec non de optimo genero recitandi Graeca. Quo facilius quaestionum summa perspiceretur, adieci etiam tabulas duas, alteram signis, alteram sonis literarum Graecarum inseruientem. Quod vero signa Graecis literis in versionibus sacris respondentia ibi opposita cernuntur, ideo factum est, vt lectioni succurre-

tur. Inde enim quiuis a barbaris literis alienissimus vocabula barbara, si placuerit explorare scripturam, poterit recitare. Denique *Godofredus Hermannus* etiam, Vir Magnificus, omni pietate colendus, de suis nonnulla, quod rogaueram, adiecit placitaque mea ex parte quadam examinauit, quo, quantopere ei obscrictus sim, ipse sentio. Exspectent autem lectores disputationem aut Etacismo, aut Itasicmo, quos vulgo dicunt, fauentem, quam quidem neque volui neque potui instituere. Ita enim versatus sum, vt obliuioni traderem scholarum praecepta, nihil pro certo et firmo sumerum, quod euictum hactenus iudicarunt, neque solitam, sed nouam quandam viam ingressus sum, sperans fore, vt tandem lites de pronunciatione Graeca ortas mea ratione dirimerum. Quam ob rem accuratam temporum et locorum rationem habui, ita vt singula de sono literarum testimonia de ea tantum aetate valentia sumerem, in quam incideret testans. Praemittenda erat disquisitio de sonorum tum vocalium, tum consonantium origine earumque numero et affinitate, quo accuratius posset de linguarum elementis iudicari. Inde mihi contigit, vt cuiuscunque literae fines describi possent atque e pronunciatione corrupta vel ipsa restitui genuina. Ceterum tabulae vocalium et consonarum expositae ita comparatae

sunt, vt earum vsu cuiusuis linguae pronunciatio, quae in grammaticis aut leuius, aut obscurius tractari solet, luculentissime doceri, velvti ad oculos demonstrari queat. Haud parum profuit perspecta orationis humanae indoles atque certissimum est, quod nemo proferre valeat, ne Graecos quidem enunciasse, quodque omnes soleant, Graecos etiam debuisse. Non sufficiebat apposuisse verba Graeca e versionibus S. S.; opportebat etiam signorum Graecis literis respondentium potestatem germanam constituere atque summa diligentia et cura versari, qua de re non mirum est, cum vbique noua via ingredienda, dubia remouenda, obstacula superanda essent, eximiam in molem creuisse librum. Priusquam argumenta e lingua Graeca et Latina ad constituendam pronunciationem Graecam petita proponerem, necesse erat, vt fontes, vnde prodierint, enumerarentur atque, quid ponderis tribuendum iis esset, demonstraretur. Ea autem ratione pronunciationem Graecorum inueni valde diuersam ab ea, quam Reuchlinus alteram, alteram Erasmus aliique proposuerunt atque vellem, potuisset a *Collegio della sapienza* de me etiam iudicium committi.

Qualis quantaque mea fuerit hac in quaestione opera, vix aliquem sensurum puto nec dubito, quin, quod libere profiteor, ab ea abstinuis-

sem, si laborum et horum et aliorum mihi oblatorum grauitatem praeuidissem. Sunt enim quatuor fere nominum millia, quae mihi in translationibus sacris non semel, sed pluries respicienda erant neque exiguam eorum partem, repugnantia autem fere omnia attuli. Lectiones etiam in primis versionum Graecarum variantes, ad quas sexcenties delegabar, non leuem molestiam pepererunt, quippe nondum collectae, imo in variis libellis dispersae. Alteram libri partem aggressus, summa cura e scriptis — examen est — fere omnibus, quae de pronunciatione Graeca egerunt, describenda habebam loca, quae huc facerent, paene omnia. Ne in illud incurrerem, quod reprehensum vidimus in aliis, disposui singula suisque saeculis restitui. Vsus quidem illis veluti lignis lapidibusque aedificium exstruxi, de meis etiam nonnulla arcessendo; manserunt tamen integra atque licebit cuique dissoluere congeriem. Certe collecta sunt omnia et praeparata nec dubito dicere, qui librum nostrum possideat, eum possidere omnia, quae ad hunc vsque diem de pronunciatione Graeca disputata exstant.

Sunt etiam non exigua, quorum caussa veniam indulgentiamque enixe rogem. Haud raro viris, quorum nomina splendidissima meritaque insignia calamum cohibere debuissent, aduer-

sarius fui. Quodsi vero ii, qui, a litium studio alieni, non nisi veri amore ducti bonoque animo contradicant, non ab omni parte vituperandi videntur; habeo profecto, quod sperem, non in vanum preces fecisse. Multa etiam sunt, quorum nunc me pudet, genus disputandi sterile atque ieiunum, curiositas disserendi, lapsus operarum, mutatio consilii, pleraque alia. Quamquam prouocare possem ad naturam quaestionis, officia breuitatis, ad laborum, quos susceperam, multitudinem, ad typographorum, quibus, cum fidem dedissem, saepe numero singulas plagulas exhibere coactus eram, turbas et aggressiones; non haberem tamen, quo me satis excusarem. Ingenue alii monuerint illud: ὃ γεγραφε, γεγραφε. Sunt autem grauissima atque plurima, quae in disputatione instituta aut inuenisse, aut confirmasse, aut ad liquidum perduxisse mihi visus sum, quae quidem omnia penes alios nunc est diligentius et accuratius examinare. Dedi in Vniuersitate Lipsiensi d. X. April. CIƆIƆCCCXXIV.

Auctor.

PRAEPARATIO.

§. 1.

Ex quo tempore Erasmus Roterodamus, qui primus de sono Graecarum vocalium quaesiuit, vulgarem Graecae linguae pronunciationem senio confectam labentibusque saeculis corruptam iudicauit, non defuerunt, qui, cum res grauissimi momenti videretur, aut maiorum hac in re vsum, aut magistri sententiam tueri atque probare studerent. Quod cum multum haberet controuersiae nec facile esset expeditu, euenit, vt, qui alterutram caussam susceperunt, varias literarum partes in eum finem adierint nec quidpiam fere, vnde peti certa ad probandum possent argumenta, intactum et intentatum reliquerint. Primo enim respexerunt scripturam Latinam verborum Graecorum atque Graecam Latinorum;[1] deinde dialectorum naturam, poë-

1) Erasmus Rot. de recta ling. Graec. et Lat. pronunc. ed. Havercamp. Syllog. II. p. 78. 88. al. Ioh. Cheeus

tarum consuetudinem, grammaticorum praecepta[2], accentuum potestatem, artis metricae indolem, nec non pronunciationis elegantiam[3] eiusque generis alia. Figuras etiam quarundam literarum[4], varias codicum lectiones[5], li-

---

epistt. de pron. ling. Gr. ed. Hav. Syll. II. p. 287 ss. 307 ss. Adp. Mekerch. comm. de vet. pron. l. Gr. ed. Hav. Syll. I. p. 22 ss. 55 ss. al. Huber. orat. apolog. ed. Wetsten. p. 32. 36. Ryhiner. ib. p. 85. Mirtisb. Sarpedon. (Reiffenberg) dissert. de vera Atticor. pronunc. Rom. 1750. p. 32 ss. Gregor. Placentin. commentar. Gr. pronunc. Rom. 1751. p. 16 ss. Stanisl. Velasti. dissert. de lit. Gr. pron. Prag 1770. p. 10. Cl. God. Hermann. de emend. rat. Graec. gramm. Lips. 1801. p. 51. als. Neidlinger tract. Ist d. Reuchlin. od. Erasm. Aussprache vorzuziehen? (Wiener allgem. Liter. Zeitg. 1815. mens. Nov. Intelligbtt. n. 47. 48. p. 374 ss.) (Neidlinger) Ideen über unsere Erasmische Aussp. d. Altgriech. Wien 1816. p. 56 ss. Thiersch Gr. Gramm. Leipz. 1818. p. 21. n. 2 ss. p. 24. §. 16. n. 2; 3; 4; 5. Buttmann. Gr. Sprachlehre Berl. 1819. p. 13 ss. G. Syluae Cratyli, seu variae in var. script. vet. lucubrationes. Augustae Vindel. 1822. p. 35. 49. 56. ss. alq.;

2) Mekerch. l. c. p. 150 ss. Mirtisb. Sarped. l. c. p. 31, 35. sq. God. Herman. l. c. p. 53. Auctor libelli: Proben von d. Leakischen V Classen d. Schrift — Neugriech. Goettingen 1816. p. 20. Buttmann l. c. p. 25. 97. Syluae Crat. p. 12. 35. 49.

3) God. Hermann. l. c. p. 37. 52.

4) Iac. Ceratinus de sono litt. Gr. ed. Hav. Syll. I. p. 364 al. Velasti l. c. p. 74.

5) Eras. Schmidt de pron. Gr. ed. Hav. Syll. II. p. 639 ss. P. Wierzius orat. apol. ed. Wetsten. p. 146. Fiechter. or. ap. ib. p. 170. 174. 185. Scaliger L. I. de causs. L. L. c. 27. Velasti l. c. p. 85 ss. 108 ss. Syluae Crat. p. 35. al.

bros Graecos, in bibliothecis passim asseruatos, Latinis literis conscriptos[6], quibus accedunt numorum et lapidum inscriptiones[7], non neglexere viri docti, satis constat, in hac disputatione. Hinc denique attulerunt varia e Graecis Latinisque scriptoribus loca, quibus interpretandis, quomodo certae quaedam literae a veteribus sint pronunciatae, ingenio assequi studuerunt[8]. In his quidem, quamquam omnia

---

6) Th. Beza lib. de germ. pron. l. Gr. ed. Hav. Syll. I. p. 344. Mekerch. ib. p. 22. Placentin. l. c. p. 77 sq. Cf. Eichhorn Einleitung in d. Schriften d. A. T. T. I. 234.

7) Mekerch. l. c. ed. Hav. Syll. I. p. 111. Zaeslin. orat. ap. ed. Wetst. p. 129 ss. Ioh. Fiechter ib. p. 168. 172 sq. Placentin. l. c. p. 29 sq. 41 sq. 54 sq. Velasti l. c. p. 98. (Neidlinger) Ideen über uns. Er. Aus. p. 18 ss. Thiersch lib. c. p. 21. n. 3. sq. p. 24. n. 7. al.

8) Huius generis sunt, quae Thom. Smith diss. de recta l. Gr. pron. ed. Hav. Syll. II. p. 537 sq. Ioh. Checus ib. p. 286. 299. Ad. Mekerch. l. c. ed. Hav. Syll. I. p. 125 ss. Er. Schmidt l. c. p. 637. Gregor. Martin. lib. pro veteri et vera Gr. lit. pr. ed. Hav. Syll. II. p. 599 ss. Mirtisb. Sarped. l. c. p. 15 ss. 39 ss. 44 ss. G. Placentin. l. c. p. 5 ss. 28. Velasti l. c. p. 55 ss. 112 ss. (Neidlinger) Ideen p. 19. p. 23—26. Thiersch l. c. p. 21. 3. al. Syluae Crat. p. 13. alii collegerunt e Pindar. Aristoph. Callim. Apollon. R. Aristot. Apollodor. Dionysii Hal. Hesych. Suid. Georgii C. Eustath. Gazae, Platon. Diodori S. Plutarch. Dionis S. Zonarae Ignat. Clement. A. Epiphan. Cyrilli H. Drutmar. Cabasil. alq. scriptis.

Primaria hac in re loca Latina ex Ennio, Plaut. Terent. Lucil. Virgil. Ovid. Saturnin. Prudent. Macrob. Varron. Cic. Plin. Quintil. Sidon. A. Victor.

paene, modo ne torqueantur, grauissima sunt et maxime probantia, primum locum obtinere videntur, quae Echus et animalium vociferationes literis signatas et quasi pictas referunt[9], atque ea, quae de verborum certorum ἀμφιβολιᾳ, παρηχησει et ψευδοπαρηχησει agunt[10]. Sed quam multa demum sint atque varia, quae hucvsque experta habent viri docti; ea, si uniuerse disputamus, generis sunt non nisi duplicis. Quodsi enim eo usque recesseris, vnde singula argumenta, quae alicuius hac in re momenti sunt, originem duxerunt, plurima eo-

---

Capella, Priscian. Augustin. al. laudarunt Th. Smith. l. c. p. 538 ss. Mekerch. l. c. p. 45. 125. 137. ss. 141 ss. Beza l. c. p. 544. Er. Schmidt. p. 538. Fiechter. l. c. p. 175 alq. Accedunt Sam. Gelhudus de rect. l. Gr. pron. Andr. Helvig; Ioh. Gretser; Muret; Io. Lipsius, Io. Ad. Müller, Primatt, Anst. Georgiades, Rambach, Coray (in fronte opp. Isocratis ed. Cor.), Dau (über den richtigen Gebrauch der Temp. Lips. 1819, in fine), Reuvens (de ling. Graec. pron. in ej. Collectan. Lugd. Bat. 1815. p. 151), Vossius quique obiter hac de re scripserunt, Salmasius (nott. ad inscrip. Herod. Attici), uterque Scaliger, Giraud; Goar. (Prooem. ad. Eucol.) D. Ricci Florent; An. Nubrisens; Budaeus, Glorean; Rerius, Fr. Vergara, Camerar; Postell; Morelin; Molinaeus alq.

9) Cf. Iac. Ceratin. l. c. p. 364. Ioh. Checus l. c. p. 308. God. Hermann. l. c. p. 59 ss. Matthiae Gr. Gramm. 1807. p. 14 sq. Buttmann. Gr. Sprach. p. 97.

10) Cf. Stephan. Vinton. epp. ad Chec. ed. Hav. S. II. p. 338 sq. Henric. Stephan. pro vet. l. Gr. pron. ed. Hav. S. I. p. 415. 441 ss. Martin. l. c. p. 313. Velasti l. c. p. 51.

rum ad Graecam, reliqua ad Latinam linguam earumque, quae aetatem tulerunt, monumenta, tamquam ad fontes suos referenda esse inuenies[11].

§. 2.

Non huius est loci, si vel maxime possimus, nec nostri consilii, haec argumentorum genera, quibus variae philologorum sententiae de pronunciatione vocalium Graecarum nituntur, nouis augere partibus, aut ea, quae vel adhuc adversantur sibi et pugnant inuicem hac in re, iudicare atque componere. Quantumvis enim iis addideris nova graviaque, semper restabunt, quae ex eodem genere in contrariam partem

11) Alias quidem linguas inprimis Hebraicam et Syriacam adicrunt Er. Schmidt l. c. p. 637 ss. 641 ss. Greg. Martinus diss. pro vet. et gen. Gr. l. pron. ed. Hav. S. II. p. 594 ss. Andreas Hay orat. apol. ed. Westen. p. 121. P. Wierzius ib. p. 146 ss. Ioh. Fiechter ib. p. 178. Dan. Mayer. ib. p. 205. Walton. proleg. in bibl. pol. c. 19, §. 34. Ios. Scaliger in animadv. ad Chronolog. Euseb. p. 72. St. Velasti l. c. p. 105; sed, quae inde attulerunt verba, pauca sunt numero, nec certa origine, nec abs arte et studio electa, nec partim, quod summum est, codd. auctoritate confirmata, ita ut, quod iis tribuerunt pondus, nullius fere sit momenti. Libellos difficiles comparatu: Pickering. *An essai on the pronunciation of the Greec language.* Cambrig. 1811. 4. et Moore: *Remarks on the pron. of the Gr. L. Newyork* 1819. 8. quos America progenuit, non inspeximus quidem, sed constat, ea, quae in iis de literarum sono traduntur, communi atque trita via esse arcessita.

trahantur: unius vero sententia, cum plurimi et doctissimi viri dudum iudicaverint, parum nunc auctoritatis habitura videtur. Negari tamen nequit, plurima ista argumenta non adeo esse certa et ab omni parte tuta, ut nullum dubitationis locum reliquerint. Quod enim e Latina lingua cognosci posse dicunt Graecarum vocalium sonum, obiicere quis possit, ne nunc quidem constare de pronunciatione Romanorum[12]. Quid vero, si quis monuerit, Italos, ortos quippe e singulari gente Graecorum, singularem fortasse literis Graecis tribuisse sonum[13]? Linguam Graecam vero quod attinet, eius hac in re auctoritas pari modo minui posse videtur. Recte se habeat, quod iudicarunt, scripsisse Graecos verba, uti sonarent; sed si dicendum quod res est, id quidem non ad omnia, sed ea tantum tempora pertinere videtur, quibus scribendi usus aut obtinuit, aut confirmatus et stabilitus fuit[14].

---

12) Graviter monet Scaliger L. I. de causs. L. L. c. 8. linguae Latinae pronunciationem a prisca et genuina ratione degenerasse adeo, ut vix existant in ipso usu vestigia.

13) Simile quiddam nunc obtinet apud Germanos, Anglos, Gallos aliosque, qui nimirum pro diversitate provinciarum et locorum diverse proferunt et maxime varie easdem litteras. (Vide Grimm Deutsche Gram.; Mustersaal aller Mundarten. Bonn. 1822).

14) Provocare licet ad plurimas, fortasse omnes linguas, quarum partim alia nunc est scriptio, alia pronunciatio. Quod uti in reliquos, ita maxime in Gallicum et Anlicum sermonem cadere videtur.

At vero si quid est ab omnibus fere, qui fusius de pronunciatione Graeca disputarunt, neglectum, hoc maxime est, quod iustam non habuere temporis rationem[15]. Mirum enim in modum diuersissima tempora ab iis coniunguntur, omniumque saeculorum scriptores, omnes quasi aetatis unius, vel quasi singuli omnium sint testes, adeuntur et audiuntur. Hinc maxima ex parte factum est, ut tantus inter disputatores illos oriretur dissensus, hinc, ut aliis veterum scriptoribus alii opponerentur contradicentes, hinc, vt multi, quomodo expedirent se nescii, certa quaedam librorum loca mirum in modum verterent ac torquerent. Qui vero temporum rationem quandam habuerunt, ii partim obscurius hac de re loquuntur, ita ut, quid censeant, parum perspiciatur; partim vero adeo inter se distant iudicando, ut deprauatae pronunciationis Graecae initium inter III saeculum a. Ch. et XV. p. Ch. n. diuersis videatur incidisse aetatibus[16].

---

15) Vide St. Velasti l. c. p. 57 ss. 63 ss. An. Hay. l. c. p. 105 ss. Em. Zaeslin l. c. p. 127 ss. Ioh. Smith l. c. p. 530 ss. Ioh. Checus l. c. p. 199. pl. Ibi enim, quod et alias fit ab aliis, eadem auctoritas hac in re tribuitur Platoni et Clementi Al., Homero et Dionys., Suidae et Aristot., Eustathio et Aristophani, codici Vat. et cod. Basil., Alexandrino et Rauiano omniumque generum numis et lapidibus inscriptis.

16) Mutari coepit literarum Graecarum sonus censente Walton. (Proleg. in Bib. Polygl. c. 2, §. 16.) longe ante

§. 3.

Cum non exigui momenti sit, vti recta et germana Graecae linguae pronunciatione, alioquin enim non nisi ex parte sentiri potest[17]) eius sermonis praestantia et virtus, cumque ea, quae ex Latina et Graeca lingua huc facere videntur, non omni dubitatione careant, cum denique aliae etiam exstent linguae ad cognoscendum literarum Graecarum sonum aptae, imo aptissimae; non alienum videtur, et novam huius generis disputationem instituere et, reliquis missis, ea nunc experiri, quae adhuc paene neglecta cernuntur et ab his quaestionibus aliena.

Turcarum incursiones; Cleric. florentibus adhuc Graecorum rebus; Ceratin. longe ante Chr. nat.; Thom. Smith (l. c. p. 489.) inde a barbarorum invasione; Thiersch (l. c. p. 26. n. 2.) mature; Buttmann (l. c. p. 13 sq.) seriori tempore; Mirt. Sarpedon. (diss. p. 11.) inde a Platonis aetate, (diss. p. 7.) inde a saeculo VII. vel VIII. Mekerch. (l. c. p. 18 sq.) irruentibus barbaris inde a saeculo VII. Censor. lib. Neidlinger. (Wiener Jahrb. 1819. B. VI. p. 127.) inde a saeculo VII. vel VIII. Mussaut. inde a sacc. VI. Ioh. Checo (l. c. p. 56.) inde a sc. XIV. et XV. Imo Iohn Foster. (*An essay on the different nature of accent and quantity.* London, 1820. p. 327.) vel ipsis inde ab Alexandri expeditionibus corruptam censet linguae Gr. pronunciationem.

17) Haud inepte nescio quis monuisse videtur, libros peregrinos eandem quandam habere rationem atque chartas musicas, vtrisque, donec non nisi inspiciantur, parum, quid possint, exhibentibus. Quodsi igitur male proferas literas, verborum elementa; aeques, inquit, eos, qui male cantant ad scripta.

Exstant nimirum vetustissimae quaedam Sc. S. versiones,[18] in quibus non solum nomina, quae dicuntur, propria permulta, sunt enim tria fere millia, aut ex Hebraica lingua in Graecam, aut e Graeca in reliquas conversa reperiuntur, sed etiam Graeca verba in singulas linguas recepta haud pauca[19]. Itaque cum alia nomina, tunc nimirum trita et in vulgus nota, ad vitam usumque ibi scripta, alia ignota et peregrina, ex ingenio interpretum reddita esse necesse sit; ex utroque genere cognosci posse videtur, non solum quomodo singuli interpretes Graecas vocales pronunciaverint, sed etiam quae omnino fuerit illo tempore Graecorum hac in re consuetudo[20].

---

18) Cf. Walton. Proleg. in Bibl. Pol. ed. Dathe p. 332 — 696. R. Simon. histoire crit. des vers. du N. T. à Roterd. 1690. Michaelis Einleit. in die göttl. Schrift des N. T. T. I, p. 133 — 322. Eichhorn Einleit. in das A. T. T. I, p. 331 — 734. Bertholdt Einl. T. II, p. 517 — 743. De Wette Einl. Berlin, 1817. p. 52 — 102.

19) Quemadmodum hodie nulla fere gens, cui commercium fuit cum aliis, non habet inter sua nomina peregrina et aliunde petita, ita accidit etiam nationibus, quarum libri sacri nobis sunt perlustrandi. In primis nominandi sunt Syri, Aethiopes et Aegyptii, qui plurimis et Graecis et Latinis et aliis verbis vsi sunt, nostro consilio maxime commodis.

20) Cum Sc. S. versiones, quae exstant, non omnes antiquissima tempora attingant, nonnullae etiam incertae originis et auctoritatis sint; eae quidem recte hoc loco negligendae videntur vt parum vtiles ad germanam Graecorum pronunciationem cognoscendam. Non adibi-

§. 4.

Sunt vero plurima et grauissima, quae omnem hanc disputationem vel priusquam nascatur incertam et suspectam reddere videantur. Dubitare enim aliquis possit, an non certo constet de pronunciatione linguarum, quas ad Graecam componendam adire in animo est, atque, si vel maxime de ea constet, an non eadem sit, quae tunc fuerit vsitata. Moneri deinde possit, linguarum illarum partem serius demum vocalium signa adsciuisse, et vero Sc. S. interpretes velut subrusticos atque exteros parum exercitatos male pronunciasse linguam Graecam. Obiicient porro qui harum linguarum cognitionem habent, Graeca nomina non integra mansisse adeo, ut plane noua sint orta[21]. In

---

mus itaque nos, nisi gravissimas hac in disputatione, de *Graecis* scilicet *Alexandrinam*, quae singulorum librorum Pent. Ios. Prov. Prophet. rel. singulares habet auctores, *Hexaplarem*, qua continentur Aquilae, Theodot. Symmach. Originis, rel. de libris servata, *et Venetam*; de *Syriacis Antiochenam*, *Philoxen.* et *apocrypham* Graecorum quorumdam V. T. librorum; nec non *Arabicas*, *Aethiopicas*, *Sahiticas*, *Copticas*, *Armeniacam*, *Gothicam*. Paucula etiam ex versionibus Hebraicis ab Alexandrina ortis atque ex Itala utraque erunt adiicienda.

21) Huius generis sunt apud Syros: ܐܟܣܢܝܐ = *ξενος*. ܕܠܐ = *ἀντλεω*, ܐܙܛܡܐ = *ζητηματα*, ܡܬܝ = *Ματθαιος*. Arab. أَنْطَاكِيَة = *Ἀντιοχεια*, أَصِيبِن

genere autem indicari possit, barbaras linguas ita esse incultas, ut Graeca minime omnium inde discenda sit, et vero, quod gravissimum est, interpretes literarum non sonum, sed numerum et ordinem servasse[22]. At vero quod illarum linguarum pronunciationem attinet, ea quidem non est ignota et incerta omnino. Cum enim qui in hoc genere literarum polluerunt, non exiguam in eam rem operam impenderint, factum est, ut de sono vocalium earum vix dubitari nunc possit. Accedit quod linguae, quas diximus, aliae etiamnum usitatae sunt suis gentibus, aliae ante fatum interitumque cognitae a viris doctis atque descriptae[23]. Eo enim id

= *ἀμην*. Armen. *ap* = *ἀπο*, *hom'* = *ὁμου*, *Iesu* = *Ἰησους*.

22) Cf. Paul. Wierz. orat. apol. ed. Wetsten. p. 147.

23) Huc spectant linguae Syriaca, Arab. Armen. Sahit. Copt. et Aethiopica. Harum pronunciatio debetur, ut alios mittamus, *Syriacae Assemanno*, Tripoli in Syria nato (Michael. Gramm. Syr. Halae 1784. p. 27.) *Arabicae Michaeli* pat. et fil., qui audierunt Arabes, (Ej. Gr. Arab. Götting. 1781. p. 20.) *Arydo, Erpenio, de Sacy*. (Rosenmüller Inst. Arab. Lips. 1818. p. 19 sq.) *Armeniacae Agopo*, Armenio (Ej. Gr. Armen. Rom. 1765. p. 230 ss. atque Gramm. Latin. Armenice explicata. Romae, 1675. p. 4 ss.) *Copticae* et *Sahiticae Petraeo* (Cf. *Recherches critiq. et historiq. sur la langue et literat. de l' Egypte p. E. Quatremère*. Paris. 1818. p. 31 ss. et Wilkens Praefat. in N. T. Copt.) qui diu apud illam gentem versatus hodiernae pronunciationis specimina exhibuit. (Vid. ej. Psal. I. Copt. Arab. et Lat. Lond. 1659. Scholz Gramm. Copt. et Sahit. ed. Woide Oxon. 1778. p. 7.)

assecuti sumus, ut de quibusdam saltem harum vocalium sonis, scilicet, quod postea videbimus, corruptelae parum obnoxiis, certi simus. Sed ne creduli videamur, quamquam doctissimorum virorum auctoritate iure possimus acquiescere, non negligemus, de literarum etiam pro Graecis scriptarum potestate, quo maxime opus erit, accuratius quaerere. Praeterea monendum est, vocalium notas a libris quidem Hebraicis, Syriacis et Arabicis ab initio abfuisse, minime vero ab Aethiopicis, Copticis, Sahiticis, Armeniis et Gothicis, quas apud gentes literae sonantes vnacum consonantibus excogitatae atque effictae in mediis versibus verbisque scriptae sunt[24]. Hebraeorum vero et Syrorum vocales constat notari coepisse florentibus adhuc earum nationum rebus[25]. Deinde non

---

Hundingtono (Quatremère Recherch. p. 62 ss.) *Ludolfo* (Vid. ej. Gramm. Aethiop. Francof. 1702. in fine) Ed. *Bernhardo*, Oxoniens. alq. (Quatremère Rech. p. 66 ss. Woide Gr. Copt. l. c. et Ludolf. l. c. p. 184) *Aethiopicae* Ioh. *Potkenio*, Colon. qui primus huius linguae cognitionem in Europam intulit. (Ludolfi histor. Aethiop. L. I. c. 15. n. 9.) et *Ludolfo*, qui praesens eam didicit a Gregorio, Aethiope, Germaniam obeunte. (Ludolf. Histor. Aeth. L. I, c. 15. Gramm. Aeth. in fine).

24) Cf. Ludolfi Hist. Aethiop. L. IV, c. I. 12 ss. 15 ss. Schroederi Thesaur. ling. Armen. diss. p. 21.

25) Cf. De Wette Commentar über die Psalmen §. 7. p. 59. Gesenius Gesch. der Hebr. Sprache p. 207 ss. ej. Lehrgeb. der Hebr. Sprache §. 8. p. 30 ss. al. Michael. Gramm. Syr. Halae, 1784. §. 13 ss. Eiusd.

dubium est, quin bene noverint Graece Sc. S. interpretes, quippe partim vel ipsi homines Graeci iique docti, partim viri ea aetate aestumatissimi, nobilissimis Graeciae urbibus eruditi adeoque subtiles, vt etiamnum habeant multorum admirationem. Ii vero an singulari modo pronunciaverint vocales Graecas, id vel ipsum quaerimus. Non offendit porro, Graeca nomina subiisse passim quasdam literarum mutationes. Cum enim aliarum linguarum alia sit indoles, cumque usus, quemadmodum aliis in rebus, ita maxime in his plurimum possit, non mirandum est, multa verba tum scribendo, cum pronunciando creuisse, aut decrevisse paullulum in fine[26]. Neque vero praetermittendum est, apud plurimos interpretes omnia fere nomina inte-

---

Dissert. de Syror. vocalibus in ej. Comment. in Soc. Goettingens. praelect. ed. II. Brem. 1774 p. 169 sqq. Arabum vocales inde a I. post Muhamed. saeculo scriptas esse, non est quod memoretur.

26) Cf. *Vater* Comm. ad Pentat. P. III. p. 631. Glassii Philolog. S. L. IV. Tract. III. obs. 12 et 13. Mylius diss. de variatione nomm. prop. p. 55; ej. diss. de variis et fictis binom. Sc. c. h. Ien. 1738. Ipse Hieronymus monet (ep. 126. ad Euagr.): Non refert, utrum Solem, an Salim nominetur, cum pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diversis sonis et accentibus praeferantur. Exempla ponamus: יְרוּשָׁלַיִם = Chald. יְרוּשְׁלֵם = Syr. ܐܘܪܫܠܡ et ܐܝܪܘܣܘܠܘܡܐ = *ἱεροσολυμα* et *ἱερουσαλημ* = Arab. يَرُوشَلِيم = Pers. اورشليم

gra mansisse et apud reliquos haud pauca. Iam iis respondendum est, qui barbaras linguas rudiores dixerint, quam quae Graecam subtilitatem percipere atque exprimere potuerint. His quidem tenendum est, istas linguas minime cultura caruisse, imo partim adeo esse expolitas, ut et Graecam et Latinam et vernaculam et alias, quae nunc in usu sunt, nonnullis superare videantur. Vtvt vero cultae, vel incultae fuerint, sufficiebat certe, quod grauissimum est, literarum copia, quibus singulae quaeque Graecorum vocales significari possent[27]. Singulos

27) Adhibent quidem Arabes, quod et apud Syros obtinuit primo, non nisi tria vocalium signa ـَ, ـِ et ـُ sed plures iisdem notis innuuntur soni inter se diversi. Cum vero ea non quovis loco posita potestate certa sint, inde fit, ut libri Arabici decipiant passim exspectationem, quod sane, si versiones istae longius a nostris temporibus abessent, dolendum foret. *Syri* vero, quibus signa sunt ܰ ܳ ܶ ܺ ܽ, Graecas vocales figura et numero fere aequantia; *Copti* et *Sahitae*, qui VI vocales simplices quidem illas a Graeca scriptura parum diversas indeque petitas habent; (V. Didymi Taurin. literat. Copt. rudiment. Parmae 1783 p. 42 ss.) *Gothi*, qui ad Graecas atque Latinas literas suas effinxerunt (Vlfil. Goth. Bib. ed. Zahn Anh. p. I.) *Armenii*, qui IX literas diverse sonantes scribunt (Ioh. Schroeder Thesaur. ling. Armen. Amstelod. 1711. Dissert. p. 46 sq.) *Aethiopes* denique, qui VII vocalibus et insuper VI, vel XIII consonantibus, vocalium potestatem suis locis gerentibus, vtuntur, omnino adeo non impediti erant reddendis exprimendisque Graecorum vocalibus atque diphthongis, ut non solum singulas quasque notare, sed etiam, si eaedem forte in aliis verbis

denique Sc. S. interpretes non nisi sonum literarum reddidisse, grauissimis argumentis probari posse arbitramur. Taceamus, quod Coptorum et Sahitarum quidem, neque vero reliquorum literae pari quodam ordine sese excipiunt atque Graecorum. Quamquam enim Syriacae, Arabicae, Hebraicae et Graecae literae, si numerum significant, similem quendam ordinem observant; perturbatur tamen et immutatur statim series, accedentibus vocalibus apud Graecos. Vocalium vero Hebraicarum, Syriacarum et Arabicarum nullus est ordo. Idem habes apud Gothos et Armenios; quid, quod Aethiopes CLXXXII literis sonantibus, vel syllabis utuntur? Mittamus porro, quod rem ineptam, ne dicam absurdam fecissent interpretes, si nomina vulgaria et ne pueris quidem inaudita torsissent et quasi iugulassent[28]. Quo tempore enim variae istae nationes suos nacti sunt libros sacros, dudum iis terrarum vrbiumque nobilissimarum, hominum aliarumque rerum nomina vsu venirent necesse erat; neque vero passi fuissent sani, malesanis obstrepi sonis. Quod si ita est, uti non improbabile vi-

---

paullo aliter sonarent, discrimina earum et degressiones a legitima ratione vel minimas significare possent.

28) Huius generis sunt *'Αντιοχεια, 'Αλεξανδρεια, 'Αθηναι, Ῥωμη, 'Ιωαννης, Πετρος, Λουκας, 'Ιησους Χριστος* aliaque sexcenta pro regionem urbiumque varietate notissima et quasi familiaria.

detur, sponte sequitur, nomina reliqua etiam ignobilia nec satis nota illa, cum eadem scriptura sint atque vulgaria vsuque quotidiana trita, literarum Graecarum sono, atque pronunciationis rationi conuenienter esse consignata. Iam vero operam dedisse interpretes, ut sonum maxime et quasi modum verborum Graecorum seruarent, id quidem eo potissimum cognoscitur, quod, cum alias literam litera presserint scribendo, passim, vbi vna vocalis sufficeret, vnam loco duarum Graecarum scripserunt; contra, vbi non nisi duae explerent vnam Graecam, duas iniunxerunt; deinde, quod alia nomina, ut facerent sua, pro linguarum indole paullum flexerunt, alia vel casibus in exitu mutata integra receperunt; porro, quod, si adessent duae, aut tres vocales sono similes, eam vbique in locum Graecae substituerunt, quae optime quadraret; hinc denique, quod vocabulorum etiam accentum, quo syllabae aliae attolluntur, aliae corripiuntur nunc, atque spiritum, quem dicunt, asperum atque lenem, vsu solummodo cognoscendum, literis plerumque notarunt atque expresserunt 29).

§. 5.

Non ineptae itaque videntur veteres Sc. S. versiones ad eruendos et inveniendos Graeca-

29) Haud pauca eius generis verba sponte se offerent postea. Sufficiat hoc loco monuisse.

rum vocalium sonos; cauendum tamen, ne nimium inde exspectetur. Cum enim quaequae audiantur in omni mundo linguae non scriptis et pictis, soni enim pingi nequeunt, sed vita et usu tantum bene probeque disci possint; desperandum est omnino, et hac et vlla disputatione, nisi Aristoteles aut alius ex inferis redierit, emortuos sonos in vitam reuocare ac veluti ad unguem usque refingere[30]. Imo satis habebimus, Graecas vocales ita expediuisse et constituisse, vt pronunciando inter se discerni possint nec altera alterius fines inuadere longius videatur. Cum porro libri, quibus utemur, non eam Graeciae aetatem attingant, quae orationi sua dedit signa, non est, quod exspectemus etiam, genuinos et quasi natiuos vocalium sonos invenire, aut, si forte mutationem subierint ante interpretum aetatem, deprauatae pronunciationis initium investigare[31]. At ta-

30) Non abhorret a vero, quod iudicauit Erasm. Schmidt. (dissert. ed. Hav. Syll. II. p. 634 ss. 650 n. I.) in antiqua et germana pronunciatione Graeca discrimen fuisse literarum subtile nec exteris nationibus facile imitabile.

31) „Non instituti est nostri," bene monet Mirtisbus (dissert. p. 20.) „nec, quantum equidem opinor, in vllius hominis vtvt eruditissimi potestate positum, ostendere corruptionis caussam, occasionem, epocham." Non enim certum ac definitum est tempus, quo, si aliorum sermonum exempla spectantur, vocales certae ad alias abire solent, nec, quando unius verbi litera sonum mutavit, eadem in omnibus simul eandem vicem subiit.

men sunt grauissima quaedam, quae fore, ut hac disputatione, si feliciter succedat, assequamur, recte speremus. Quod scilicet dubitavimus, an non e Latino sermone, tamquam vnius populi tractusque teste, omnis pronunciatio Graeca cognoscenda sit; id nunc in eo est, ut plurimis et si quid video religiosis testimoniis aut confirmetur, aut tollatur. Cum enim aliorum interpretum alia sit patria, ex eo fit, vt Graecarum literarum sonos variis in locis maximeque diversis vsitatos cognoscamus et quasi audiamus. Quae vero pronunciatio, ob Graecae linguae naturam probabilis illa, videbatur ad incerta tempora, vel ad Cadmeas potius, quam Platonicas aetates pertinere, Graecamque, verbo dicamus, barbariem magis, quam humanitatem spectare; ea quidem an ad optima Graecorum tempora trahenda sit, nostra disputatio exponet. Cum enim de aetate interpretum Sc. S. constet, ex eo fit, ut certum ac definitum tempus habeamus, a quo vt a termino et progredi et vero etiam paullo regredi fas est in Graeca pronunciatione constituenda. Iam vero ut ordinem quendam habeat disputatio, commodum videtur, literarum vocalium Graecarum, siue simpicium, sive compositarum delectum et discrimen facere. Sunt enim aliae, quae fere nullam, aliae quae maximam pepererint controuersiam. Vtrunque genus seorsim spectare liceat, quo facto opus erit, quid eo asse-

quamur, exponere. Triplicem ergo habebimus disputationem, in qua primum de vocalibus *α*, *ε*, *ι*, *ο*, *ω* et *ου*, deinde de *η*, *αι*, *ει*, *οι*, *αυ* et *ευ* ab interpretibus Sc. S. redditis videndum erit. Tertio denique loco disseremus, quid de singulorum interpretum auctoritate, patria, aetate, ingenio habendum sit, et quid tota disputatione, vti par est, efficiatur[32]. Cum vero literae illae primi ordinis plurimorum consensu genuinum sonum ad hunc vsque diem servaverint; eae quidem negligi hoc loco possint omnino. Sed cum vel certa in dubitationem vocare liceat, cumque Sc. S. interpretibus, si ne his quidem reddendis sibi constiterint, parum fidei et auctoritatis tribuendum sit in reliquis, cum denique, quod postea intelligetur, necessarium sit, barbaras vocales loco Graecarum ex hoc genere adhibitas cognouisse; non alienum videtur, siue trita terantur et firma firmentur, siue nouum aliquid inueniatur, de iis vocalibus primum quaerere, de quarum sono paene nullus inter viros doctos ortus est dissensus.

§. 6.

Iam vero, antequam rem ipsam aggrediamur, sponte se offerre videtur quaestiuncula de

32) Literas *ᾳ*, *ῃ*, *ηυ*, *υι*, *ῳ*, *ωυ* negligi ne quis miretur, monendum est, pauca, aut nulla earum exempla in

vocalium origine earumque inter se propinquitate. Certam enim et accuratam huius rei cognitionem, quamquam et aliis, nobis vero maxime nunc vtilitati fore, clarum est. Quodsi enim constiterit, quae binae, vel ternae vocales prae ceteris sibi sint affines et cognatae, vel eo poteris intelligere, vnde quaedam vocales, in quibus corruptionis suspicio haeret, mutatae fuerint quemve in locum, ut germanum sonum referant, restituendae sint. Sed ne gemino ab ovo ordiamur, mittamus ea, quae ad humanae vocis originem pertinent. De iis enim doctissime et accuratissime ab aliis iamiam actum est[33]. Id tantum quaeramus, quae singulae vocales oriantur affines ex affinibus, quaeque sit, dum proferuntur recte et naturae humanae accommodate, oris moderatio atque affectus. Sunt autem quatuor, ad quae animum in ea re aduertere par est, labia, palatum, lingua atque ea pars, quae est post velum, quod medici dicunt, palati. Cum vero sinus laryngis iisque vicina, si recte vidimus, nonnisi paullulum at-

---

scriptis sacris occurrere. Quodsi vero constiterit de reliquis, non impeditum erit, hae etiam quomodo efferendae sint, intelligere.

33) Cf. a Kempelen Mechanismus der menschl. Stimme. Wien 1791. p. 59 ss. Chladni Akustik Leip. 1802. p. 82. Biot Physik. interpr. Wolff. Berlin 1819. p. 618 ss. Liskovius Theorie der Stimme. Leipz. 1814. qui et singulas Ferrein. Chladni. Cuvier. Burdachii hac de re sententias obiter tractauit.

tollantur et dilatentur, lingua recedente, cumque eorum motus omnino metiri nequeamus; tecta enim et obscura non nisi sentiri possunt: ea etiam mittamus, non ita quidem, ac si nihil valeant in vocalium claritatem, sed ita, ut teneatur, istam oris partem eo latius distolli solere, quo magis lingua a solito loco relabatur. Quid multa? Illud tantummodo addamus, vocalium sonos, ne impediatur magis quam expediatur cognitio, eos fore descriptos, qui in Saxonia cultiori audiuntur, quod semel monuisse sufficiat; atque visum esse, retinere ea, quae praecipit Hallerus[34]), triplex discernendum esse palatum humanum, quod ideo quidem fit, quod vocalium classes, quas constituemus, recte inde iudicandae videntur.

Oritur vocalis *a*, dum, sonante glottide, os, quatenus commode fit, aperitur. Mento linguam ferente in hunc modum demisso, reliquae oris partes suis locis seruantur, nec vox nisi ad palatum dentesque offendit. Iam dirigatur mentum paullo sursum, ita vt lingua propius accedat ad palatum anterius; illico audictur *ä*, vel Anglicum *a*, hinc vero *e*, hinc denique *i*, si constringendo et coarctando ore perrexeris. Vltra ut progrediaris impedit natura, quae, si linguam altius tollas palatoque adigas, abscindit sonum. Primam itaque habes vocalium clas-

---

34) Physiologie IX. B. 2. Abth. §. 8. Berlin 1766.

sem, quae eo cognoscitur, quod una tantum eaque simplici oris moderatione, lingua scilicet ad anterius palatum adscendente oritur. Paullo aliter quidem a Kempelen disputat[35], ubi autem exercet praecepta, inuitus consentit; simillimo enim modo vocales elicit machinae. Iam repetas easdem vocales illas ita quidem, ut labiis paullo coeuntibus linguam versus medium palatum dirigas, quo facto *a* pariet sonum â, *e* vero *ö*, *i* denique *ü*. Novum itaque habes vocalium ordinem, qui peculiare habet id, quod, labiorum circuitu, quem natura descripsit, paullulum vndique contracto, lingua medium palatum petente proficitur. Tertium denique vocalium genus est, quod auditur, si secundae classis vocales efferantur labiis arctius contractis linguaque ad tertium, seu proximum velo, palatum retracta. Exempla sunt *o* et *u* quae iam oriuntur ex *ö* et *ü* sonis. Singulae itaque vocalium harum classes inter se eo differunt, quod iis proferendis oris palatique ratio constanter aut minuatur, aut augeatur. Inde etiam cognoscitur, primarias partes in vocalium origine agere linguam, quam quidem ob rem ea in posterum negligemus, quae ori externo debentur hac in re. Quae cum ita sint, habeamus necesse est XII vocales simplices eas-

---

35) Mechanismus der menschl. Stimme p. 189.

que tribus classibus adscriptas, quas, quatenus fieri potest, scriptas ac pictas tabula exhibet.


Sed quid sibi volunt, inquis, mirae II^{di} et III^{tii} ordinis vocales, quae nec audiuntur vita, nec sano ore omnino proferri possunt? Expediamus, ratio adest simplicissima. Efficit nimirum mentum, siue maxilla inferior simul atque deorsum feratur, angulum quendam, cuius crura sunt dentes superni et inferni, siue lineae utrisque veluti impositae. Agunt enim ossa maxillaria vectis partes simplicis. Ex quo iam fit, ut lineae rectae eaeque parallelae, quae ab alterutro crure ad alterum ducantur, eo longiores sint mensura, quo longius singulae a vertice, qui in palatum infimum cadere videtur, distent. Itaque sponte iam intelligitur, linguam, quando effingendis vocalibus varias quasdam parallelas decurrit, eo plus spatii facere, quo magis ad primum palatum conuersa mouetur; hinc vero, prima classe plures vocales, quam secunda, secunda autem plures quam tertia con-

---

	I	II	III
4.	*i*	*ü*	*u*
3.	*e*	*ö*	(*ö̊*)
2.	*ä*	(*ä̊*)	(*o̊ä*)
1.	*a*	*å*	*o*


tineri posse apparet. Iam paullo accuratius videamus. Constat apud mathematicos, in triangulo, cui linea alicui lateri parallela inscribatur, lineam inscriptam et parallelum latus certam inter se proportionem habere. Haec enim est ratio, ut sit CB:ED = CA:EA. Quodsi ergo est CA = 3; EA = 2; sequitur, ne longi simus, lineam CB tres partes inter se pares continere, si lineae DE duas feceris. Iam vero cum lingua, uti vidimus, singulas classium singularum vocales exprimendo, tres parallelas palatum inter atque mandibulam pari intervallo distantes veluti emetiri debeat; sequitur, si prima in classe quatuor soni certi et distincti constituantur, ut ex secunda non nisi tres, tertia non nisi duo pari distinctione et claritate audiri possint. Efficiunt itaque vocales singulis classibus adscriptae seriem, quam dicunt, arithmeticam eo modo, quo sequenti pagina scriptae sunt. Sed ne perperam intelligantur, quae exposuimus hactenus, varia videntur primum addenda. Obiici possit, os humanum non an-

---



guli, sed semicirculi formam habere, quo id quidem efficeretur, ut diversi arcuum sinus, quos trigonometria docet, longe aliam, atque dictum est, inter se haberent rationem; deinde linguam non recta quadam, sed curua linea adscendere ad palatum, sicuti conuenit vecti hypomochlio in fine affixo; hinc denique, vocales istas longe alio etiam modo elici et formari posse. Contra monendum est, parum offendere palati curuatam et quasi cauatam formam, cum eandem paene habeat lingua, nisi si a solito et quasi legitimo habitu longius detorqueatur. Quantum enim singulae illae parallelae ob gyri recessum quendam supra produci videntur, tantum abscinduntur et decurtantur circulo infra accedente. Deinde recte se habeat, linguam loquendo sonosque vocales efferendo arcus quosdam describere; sed cum natura iustis hac in re limitibus contineatur, euenit, ut neque arcus oriantur alti, neque sinus eorum multum ipsi ab iis distent mensura. Quod vero sum-

---



mum est, circuli ex communi centro diuersis radiis ducti eandem habent proportionem, ac radii. At vero ne quis putet, eas, quas diximus, oris affectiones sufficere ad vocales bene recteque formandas. Spectant huc etiam alia minuta et exigua quaedam, hac quidem in re gravissima, quae vero hoc loco iure negligimus; qui aptior forte sese offeret alias. Illud etiam addendum videtur, non eo solum effici istas vocalium classes, ut lingua inde a primo palato magis magisque recedat, sed eo etiam, quod in vulgari vsu obtinere videtur, vt lingua parum retorta, qua parte palati opus est ad certum vocalium genus, in ea non nisi adscendat et quasi turgescat. De alieno denique et insolito quodam vocalium ortu quid dicendum sit, in promtu est. Non enim quaeritur, quomodo varii soni oriri possint, sed quomodo naturae humanae, quae est eadem apud omnes, accommodate optimeque nasci soleant. Torqueat, qui cupit, volvat, circumagat, disturbet os, quo demum modo libuerit; originem vocalium communem earumque propinquitatem, credimus, non vnquam expediet. Iam vero, si recte vidimus, clarum est, quae vocales singulae singulis affines sint. Affines enim dicimus eas, quae facillime, siue minutissima oris affectione invicem alia ex alia profici possunt. Hinc sequitur, triplex esse genus vocalium propinquarum. Cum enim, uti vidimus, vocales certae ex cer-

tis nascantur eo, ut, voce sublata, lingua, aut diuersis in oris partibus sursum vel deorsum dirigatur, aut ad certam altitudinem allata recedat vel procedat, aut denique varias mandibulae, ut cruri inferno, parallelas describat; ex eo fit, ut vocales ortu aut a lingua radicibus, aut a palato, aut a maxilla inferiori quodammodo aequidistantes illae singularis affinitatis aliquid habeant. Cum vero lingua, si oris hiatum fingas triangulum, loquendo facillime a legitima certae cuiusdam vocalis ratione deflectat ita, ut lateri vlli ex tribus parallelam quandam eamque minutam quasi adscribat; inde sequitur primum, singulas vocales eo plures habere affines, quo longiores possint parallelae, quas diximus, vsque ad oris fines produci, ex quo fit, ut vocales *a* et *i* minime omnium corruptelae obnoxiae sint; deinde vero in genere, vnamquamque vocalem duabus ex reliquis maxime esse propinquam, ita ut ternae quaeque facillime alia ex alia oriri et vero etiam minutissima oris moderatione inter se commutari possint. Habemus, quod subtilius etiam disputemus, sed nimii iamiam fuisse videmur. Etenim vel haec tenuisse sufficiet. Affine est itaque *ö*, ut hoc utamur, literis eiusdem ordinis ab vtraque positis; auditur enim eius loco *ü*, simul atque lingua a secundo arcus gradu (sunt enim huius classis tres) ad tertium adscendat; hinc vero oritur *å*, descendente lingua ad pri-

mum. Porro propinquum est *ö* literis *ä* et *u*, cum audiatur alterutra, si lingua inde paullum retrocedens, aut procedens parallelam mandibulae quasi adscribat. Denique cognatum est *ö* literis *e* et *o* inde oriundis, cum lingua a genuino eius vocalis loco ad alium a palato aequidistantem, aut anteriorem, aut posteriorem deflexerit. Hinc vero intelligitur, literas *ö*, *ä*, *e* atque *ö*, *e*, *ü*, et sic porro, invicem esse affines, cum earum alia ad aliam abeat, si lingua, aliquam ex iis pronunciando, iusto longius aut ascendat, aut recedat, aut relabatur et contra. Eadem ratio est in reliquis vocalibus. Sed miretur forte aliquis, abesse a tabula exhibita vocales plurimas, quae, quamquam non scribuntur apud nos aliasque gentes, proferuntur saltem certisque in vocibus pronunciandis clare distincteque percipiuntur. Recte quidem, neglexinus vero eas, ne nimium impediretur quaestio. Sane potest interiici, quo nihil frequentius est in vita vsuque, inter binas quasque vocales, quas scripsimus in tabula, noua et singularis. Non enim hac in re ad certas leges adscripta nec ad certa oris loca quasi ablegata est natura. Facillimum foret, vocalium istarum numerum mirum in modum augere apponendis iis, quae praeter eas linguae agilitate et dexteritate formari possint, aut quae variis nationibus in pronunciatione singularium vocabulorum vsu veniunt. Apud Gallos, exem-

pli caussa, soni audiuntur, qui, si pingantur, nunc inter *ä* et *e*, *e* et *i*, *e* et *ö*, nunc inter alias medii incidant, sin pronuncientur, neque *ä*, neque *e*, neque *i*, neque denique *ö* referant. Itaque intelligitur, eo modo non solum cuiuscunque classis vocales singulas augeri, sed etiam nouas integras classes oriri posse. Quemadmodum enim I*mae* classis arcus, quem diximus, in quatuor, quinque, sex pluresue partes diuidi et quasi dissecari potest, ita ut lingua singulos gradus notando totidem vocales singulares sonoque inter se diuersas exprimat; ita palati quoque non solum tres, vero etiam quatuor pluresue partes, quae totidem classes incipiant, bene probeque distinguere licet. Satis enim discriminis est inter *i* et *ü* et *u* reliquas, ita ut duae vocales tribus his interpositae optime adhuc auribus percipiantur. Tenendum vero est, vocalium classes, siue III retinueris, siue nouas constitueris, constanter numero minui inde a prima vsque ad ultimam, ita ut, si prima 6 vel 5 exempla habeas, in sequenti 5 tantum vel 4 pari claritate distinguere possis. Vere enim haec ita se habere, rei natura, et vita, et paullulum exercitationis docent. Iam vero quaeri possit, quae vocales, prae reliquis sibi propinquae, propinquiores sibi rursus sint invicem. Non haesitantes respondemus. In genere arbitramur, si singulae cuiusdam classis vocales spectentur, eas quidem, dummodo suis quaeque finibus

servetur nec, uti vita vulgari accidit, alteri alterius naturae aliquid addatur, pari inter se propinquitate stare. Quae vero vocales diuersis ordinibus adscriptae confines sibi sunt, eae quidem, cum stadium paullo longius intersit decurrendum, paullo remotiores altera ab altera esse videntur. Cum denique, si natura accuratius inspiciatur, ea sit oris humani figura, ut, quo ad palatum infimum seu guttur inclinatur, in angustius contrahatur spatium; non dubitamus, quin inter vocales II^di^ ordinis maximeque III^tii^, non enim omnis geometrica est hominum natura, plus cognationis intercedat, quam inter literas I^mae^ classis. Ex quo fortasse fit illud, vt inter *o* et *u* vix vna vocalis clara distinctaque interiici et sonus *uu*, qui adscriptus est ne cornu careat tabula, vix parum audiri possit. Hoc etiam monendum videtur, vocalium *u* et *uu* situm siue ortum ex ore eundem prope esse, atque, quae sunt communia naturae humanae vitia, segnitie commodique studio singulos quosque vocalium sonos ad alios detrudi. Nam quoniam palatum versus laryngis sinus constanter incuruatur, rectius linguam dixeris proferendo *u* recedentem, quam assurgentem; commoditatis autem tanta vis est, vt ea maxime impellente partim consonantibus vocales origine similes loco dissimilium adiungantur cum loquendo tum scribendo, partim vero vna quaeque vocalis in proximam eam-

que minorem, seu exiliorem commutetur. Cum vero sonus *i*, quippe omnium minimum menti linguaeque requirens laborem, facillime pronuncietur; efficitur, ut reliquae, in primis propinquae, huius ipsius vocalis tenuitatem subire demum atque retinere possint.

Iam animaduertamus aliquantulum consuetudinem atque vsum veterum visuri, verene sint ita affines, uti expositum est, vocalium soni. Primo quidem, cum vocales *a*, *i*, *uu*, quae singulae tamquam cunei cornua tenent, plurimis interuallis inter se distent, cumque linguae, quo vltra decurrat flectendis vocalibus, terminum quendam ponant; sequi videtur, eos sonos omnium primos a gentibus adhuc rudioribus et inveniri et vero etiam notari potuisse. Quod iam optime docent linguae Semiticae, quae scriptura haud dubie antiquissima sunt. Vsi enim sunt hae nationes ab initio tribus tantum vocalium signis potestate ista, quam diximus[36], Hebraei scilicet Chaldaei א י ו, Samaritani ࠀ ࠉ ࠅ, Syri ܐ ܝ ܘ, Arabes et Persae ا ى و quibus accedunt Zabii[37]. Hos itaque, obseruatur, discrevisse siue scribendo, siue audiendo, tres vocales ita, vt duas classes constituerent primam-

---

36) Cf. Gesen. Lehrgeb. d. Heb. Sp. p. 26.
37) Cf. Gesen. lib. c. p. 30.

que, uti par est, in duas partes diuiderent[38]. Subinde vero palati atque spatii palato mandibulaeque interiecti tres partes, siue gradus, secerni coeperunt, quo factum est haud dubie, vt apud Hebraeos, Syros, Graecos, Latinos, alios quinque vocalium signa orirentur[39]. Sunt vero denique aliae etiam vocales, binis quibusque his mediae, unde et nouae classes et nouae partes factae sunt, quae, cum signa deessent, non nisi ad affine sonantes literas ablegari, vel alligari poterant. Hinc itaque ortae sunt ex a, *o*, *u* literae *ä*, *ö*, *ü* atque Suedicum â aliaeque, ex quo etiam sequi videtur, nunc quidem א ܐ أ vel ـَ sonos ä â, ܝ י ي vel

a

ـِ vero i ü, ܘ ו و vel ـُ denique u uu vo-

e o

cales complecti debere. Quod prorsus ita euenit. Sed cum *uu* vix possit audiri neque commode proferri, accidit ut ܘ ו و vel ـُ, ad vocales o et u restricta, nouas hisque vel ipsis

---

38) Figuram, si pingantur, hanc habes:

i *uu*

a

39) Figura haec est:

i *u* (*uu*)

e *o*

a

propinquas assumerent: â ö ü . Plurima
(o u)
huc spectant apud Arabes, Syros, Hebraeos verba; quae vero desunt exempla, ea fortasse ob paucitatem ignota sunt, vel, nescio quo casu, parum illis gentibus vsitata. Iam si vere sibi affines sunt:

1) ü u   2) ä ô   3) i ü
ö o   a   e
â

oportuit has triplicis generis vocales, si forte sonum mutauerint singulae temporum vicissitudinibus, nostris etiam in linguis commutatas esse inter se. Videamus paucula, quae huc spectant, exempla. Ad I^{mum} genus pertinent a Gothis maioribus accepta: sunus (Sohn), vugels (Vogel), waurms (Wurm), ubils (übel), thaursjan (dürren), full (füllen), hulon (höhlen), ufar (über); Anglorum: *Wölf*, *Ròme*, *tòmb*, *mòve*, *òft*, *bònn*, *actor*, *ùnder*, *bùtter*, syllaba *ure* in exitu verborum; Gallorum *u* atque Italorum *o*, a Latino *u* orta. Ad II^{dum} genus referenda sunt: scamen (schämen), draggkjan (tränken); Anglicum *a*, quod, etsi a nostro, Italo atque Gallico ortum est, nunc praeter genuinum sonum etiam â atque ä proprium tulit. Exempla III^{tii} generis sunt: this (des), marei (mare), hilpan (helfen), slepan (*to slèep*); Anglorum: *èvil*, *èven*, *Dèiti*, *tyranny*, *Syrtis*, atque *ee* et *e* plurimorum verborum, in quibus ea sonant *i* aut *ih*; Italorum: dispetto (despectus), diletto (delectus),

dicapitare (decapitare). Plurima alia huc spectant; contra longe rariora sunt verba, quorum vocales genuinae non ad primam, sed ad secundam aut tertiam proximam hodie tractae ac veluti traiectae cernantur.

Nouem itaque sunt, quamquam plures numerare licet, generis humani vocales, quae facillime pronunciari auribusque vel parum attentis internosci possunt. Ex iis iam oriuntur diphthongi atque triphthongi, si binae vel ternae, voce constanter sonante, ita coniunguntur, vt, quod temporis spatium vni vocali distincte efferendae conuenit, inter duas vel tres dispertiatur. Ingens est sane diphthongorum numerus, si vocalium literae ad leges combinatorias conscribantur et quasi coniugentur. Habebis enim *nouem* elementis constitutis, vti canon iubet: $n(n-1)(n-2)(n-3) \ldots (n-m+1)$,

diphthongos $72 = 9 \cdot 8$,

triphthongos $504 = 9 \cdot 8 \cdot 7$,

quae vero, cum parum huc spectent, iam mittimus. Addere tamen liceat, e diphthongis singulis, scriptura licet eaedem maneant, nouas et singulares quasdam oriri, si alterutri sono paullo plus temporis impendatur, et gigni ex iis ipsis etiam simplices vocales et posse et solere. Cum enim ea sit diphthongorum indoles, vt e vocalibus, qua in re plurimae linguae consentiunt, parum affinibus maximeque disiunctis velut elementis constent, cumque lingua, dum ab altera vocali ad alteram proferenda

quadam diphthongo decurrit, non possit non eam attingere, quae est inter vtramque media constituta; sponte fit, vt vocalis contacta et quasi contrectata consonet. Ob eam enim caussam non mirandum est, apud plurimas gentes e dipthongo *oi* vocalem *ö*, ex *ui* vero *ü* atque ex *au* et *ai* simplicem *o* et *ä* esse ortam. Accuratius de his videbimus infra.

Iam vero sponte intelligitur, quae vocalium sit et diphthongorum notio. Inter vtrasque certe hoc discriminis est, quod illae constante, hae autem variante oris habitu pronunciantur. Diphthongi vero et triphthongi eo differunt inter se, quod illae duos, hae tres vocalium diuersarum sonos continent.

CAPUT I.

De vocalibus haud dubiae pronunciationis.

§. 1.

Quemadmodum omnes, quod novimus, qui accuratius in literarum Graecarum pronunciationem inquisiuerunt, vno atque certo modo vocalem *α* proferendam censent; ita veteres, quos diximus, Sc. S. interpretes etiam, si plurimis et grauissimis hac in re testimoniis fides facienda est, et adhibenda et reddenda hac litera inter se consentiunt. Respondet nimirum *α* Hebraeorum ָ et ַ, Syrorum ܵ, Aegyptiorum ⲁ, Arabum َ, Armeniorum ա, Gothorum 𐌰 et quarto Aethiopicarum vocalium ordini. Videri quidem possint, si quis in singularia quaedam verba inciderit, interpretes paullo aliter, aut plenius aut laxius hanc literam pronunciasse [40]. Occurrunt enim, ut a vetustissimis,

40) Simile quiddam obseruatur in Anglico *a*, quod plerumque ad vocalem e, neque vero raro ad o sono accedit, ut in verbis *bald, war, quart*.

vti par est, ordiamur, in libris sacris Vet. T. nomina alia ◌ְ, ◌ִ ex ◌ֱ orto, ◌ֶ et ◌ֵ, alia ◌ֹ et ◌ֳ notata, quae apud interpretes Alexandrinos, Hexaplares atque Venetae auctorem vocali *α* sunt scripta[41]. Accedunt Syri, a quibus haec litera passim omissa reperitur, ita vt ad tenuitatem Hebraici ◌ְ abeat, passim signo ◌̑ et ◌ܿ reddita[42]. Arabes etiam, quamquam difficile est, certi quid de iis constituere, vocalem nonnunquam minuere videntur.

Interpretes porro Aethiopes loco *α* adhibent passim primi et sexti ordinis vocales[43], quae quidem Ludolfo teste partim Anglici *a*, partim, vbi sonant, singularem vernaculi *e* ad *ü* accedentis sonum referunt[44]. Adest denique liber Tobiae e Graeco in Hebraicum sermonem conuersus, in quo loco *α* nomina quaedam

---

41) Huius generis sunt נְבָיוֹת = *Ναβαιὼθ*, מֵידְבָה = *Μαιδαβα*, קָדֵשׁ = *Καδης*, בִּלְהָה = *Βαλλα*, עָפְנִי = *Ἀφνι*, עַשְׁתֹּרֶת = *Ἀσταρτης*, Hexapl. רְבִיעִי = *ῥαβιη*, שְׁלֹשִׁים = *σαλωειμ*, Ven. בֵּלְטְשַׁאצַּר = *Βαλτασαρ*. Alia nonnulla vid. ap. Morin. de lingua primaeua p. 385—96. Capelli crit. sacra ed. Schaifenberg. p. 500 ss. Montfaucon ad Orig. Hexap.. T. II. p. 391. 397 ss.

42) Pes. *ἀηρ* = ܐܐܪ *ταξις* = ܛܟܣܐ *χωρα* = ܟܘܪܐ *πινακιδιον* = ܦܢܩܝܕܐ *γαρ* = ܓܝܪ *μαραναθα* = ܡܪܢ ܐܬܐ *ταλιθα* = ܛܠܝܬܐ *Σαμαρεια* = ܫܡܪܝܢ

43) V. T. *Μανασση* = ምናሴ, *Μαδιαμ* = ምድያም N. T. *Λουκας* = ሉቃስ, *Κανδακη* = ሕንደኬ.

44) Cf. ej. Gr. Aethiop. Francof. ad M. 1702. p. 2. 9 ss.

ֲ habent[45]. Sed obstant primum interpretes Sahitici et Coptici[46], Latini[47], Gothus[48] atque Armenii[49], qui vix usquam *α* in alium sonum mutant. Interpretes porro Graeci librorum V. T., vtentes scilicet exemplis vocalium signis omnino carentibus[50], in scribendis nominibus saepenumero vsum vitaeque consuetudinem observare iudicantur[51], nec raro ad certas quasdam leges, ex aliis linguis petitas[52], et ad ratio-

---

45) Versio II. *Γαβαηλ* = גָּבְאֵל, *Ῥαφαηλ* = רְפָאֵל: vers. vtraque *Ῥαγουηλ* = רְעוּאֵל.

46) Aegyptii loco *α* ponunt constanter ⲁ vtentes scilicet literis, Graecas et ordine et figura et sono paene aequantibus, quas quidem, quemadmodum Gothicas et Armenias Latinis, Graecis signabimus. Nolumus enim neque lectoribus neque typographis nimis afferre molestiae. Coptidae demum seriores *α* nonnunquam vertunt in e, vti monet Mingarelli in fine Aegyptt. codd. rell. Bonon. 1785, pro *παυλε* scribentes *πευλε*.

47) Hieron. vs. omni numero respondet veteri Ital. nisi quod in scribendis nominibus, quorum sonum maxime curat vet. Itala, consuetudinem et elegantiam quandam obseruat. Exempla sunt Silbanus et Nahum, quae Hieron. scribit Siluanus et Naum.

48) Scribuntur ab eo *Ἀρφαξαδ* = arfaksad, *Ἀμιναδαβ* = ameinadab, *Σαλαμις* = salamis.

49) *Ἀβρααμ* = Abraam, *Φαρες* = Phares, *Ἰωαριμ* = Ioarim.

50) Cf. Eichhorn. Einleit. in d. A. T. Th. I. p. 154 ss. Gesenii Gesch. d. Heb. Spr. p. 200 ss.

51) Non raro loco antiquorum et quasi inueteratorum leguntur ibi noua et recens nata, vt *Αἰγυπτος* = מָצוֹר *Αἰθιοπια* = כּוּשׁ, aut pronunciando paullulum immutata, ut יְרוּשָׁלַם = *Ἱεροσολυμα*, יַרְדֵּן = *Ἰορδανης*.

52) Cf. Gesen. Gesch. p. 190 ss. Hilleri onomast. sac. p. 706 ss.

nem aliorum vocabulorum maxime cognitorum parum cognita componunt, passim vero more Alexandrino, vti visum est multis, pronunciant Hebraica[55] et, quod nonnullis certe accidisse videtur, nomina incertae significationis (significant enim omnia) aliter interpretantes paullo aliter pingunt[54]. Accedit, quod versiones Alexandrinae, omnium vetustissimae, maxime variis gentibus vsitatae atque descriptae fuerunt. Quae cum ita sint, non mirandum, istos libros, qui etiamnum emendatorem diligentem et accuratum exspectant, vti in reliquis, ita maxime in nominum scriptura, tot periculis cincta, non omni vitio carere. Quod vero apud Syros *a* hic illic peregrinum quiddam sonat, id quidem non tanti est, ut communem sententiam minuat. Plurima enim eiusmodi verba non inde a scripturae sacrae conuersione, sed inde a Graecorum cum hac gente commercio atque Alexandri expeditionibus, ex quo tempore totae vrbes illius regionis a Graecis habitari coeperunt[55], ibi vulgata et quasi ciuitate donata videntur. Quo facto non a vero abhorret, ma-

53) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 39 s. Gesch. p. 66 ss.

54) Cf. Eichhorn Einleitung in das A. T. Theil I. p. 158 not. m.

55) Cf. Strabo L. XI. p. 524 ed. 2. Casaub. Senec. consolat. ad Heluid. c. 6. Ios. Ant. L. XVIII c. 9, 2. 8. 9. XIII c. 8. n. 11. XII c. 3. Bell. Iud. L. VII. c. 3. n. 3. Cic. pro Arch. poet. c. 3.

ture ea vitii aliquid traxisse[56]. Accedit, quod nonnulla vocabula ab aliis magis vulgatis vocales sibi sumsisse cernantur[57]. Reliqua vero non e Graeca, sed ex Hebraica lingua originem ducunt, ita vt, quae ad Graeca pertinere videbantur, nunc ad Hebraica trahenda essent, si non, quae natura sit sermonis Syriaci, satis constaret[58]. Nec vero maioris momenti sunt, quae e versionibus Aethiopicis aduersantur, nomina. Cum enim ea sit vocalis *α* natura, vt vbicunque corripiatur, minuatur paullulum atque Anglicum quoddam *a* sonet; euenit fortasse, ut nomina quaedam, ab Aethiope male reddita, a Graecis etiam molliuscule pronunciarentur, aut, quod verisimilius est, vt Aethiopicum ä serius demum in ä degeneraret. Hoc enim suadent reliquae Semitarum linguae, literaeque aliae quaedam ex

---

56) Diserte monet Erasmus Rot. dial. de recta pron. „quod deprauatur pronunciatio linguarum, accidit ex corruptela vulgari sermonis, partim hinc, quod soni vocum scribi non queant. Nil enim apud populum stabile, nil diuturnum.“ Atque quod nunc accidit, ut verba, quae ad gentem quandam ab alia abierint, breui tempore, a patria lingua tamquam matre et genitrice auulsa, peregrinis conformentur; id, quin tunc etiam factum sit, vix est quod dubitemus.

57) Huc referendum est verbum ܐܶܠܳܐ = ἀλλα, quod vocales vocabuli ܐܶܠܳܐ vel ܐܰܠܳܗܳܐ tulisse videtur, uti a Graecis Scipio scriptum est Σκηπιων ob verbum σκηπωνος.

58) Quemadmodum Dores mutare solent η in α, α in ο et ω, ε in ι, ο in υ et ω, ζ in σδ et ττ, σ in τ; ita Syri vertunt ܲ in ܳ, ܸ in ܽ, ܹ in ܺ, ܼ vero

eodem ordine[59]. Nonnulla denique librariorum negligentia errata videntur. Cum enim literae primi et quarti ordinis eandem fere referant figuram, nisi quod his deest, aut superest lineola; facillime accidit, vt aut addendis, quae abesse debebant, aut negligendis, quae requirebantur, literae quarti ordinis ad primam aut quartam classem abirent[60]. De versionibus vero Hebraicis, quarum mentionem iniecimus, in promtu est, quid dicamus. Eae nimirum seriorum sunt temporum, quibus Hebraeorum vocales iamiam

---

et ַ et ו in ܘ̄ , ר in ܪ, ע in ܥ, ש in ܫ, quo fit, vt linguam Syriacam iure quodam dicas dialectum Hebraicae Doricam. Exemplum attulit nouum Clar. GESENIUS in comment. de Samaritanorum Theologia ex fontt. ineditis. Halae 1822 p. 44 not. 106.

59) Literas dicimus gutturales nonnullas, quae una cum vocali primi ordinis proferendae, testante Ludolfo (Gr. Aethiop. c. V. n. 2. p. 9) *a* sonant. Quod si recte se habet, necesse est, idem obtineat apud literas his fere affines iisdemque pronunciatu, siue oris affectu simillimas, ቀ scilicet ከ et ገ aliasque. Itaque parum abest, quin cum Vansleben. (cf. editio Gr. Ludolf. p. 2. 7 ss.), primam Aethiopicarum vocalium classem *ä* exprimere statuenti, consentiamus.

60) Exempla verborum nonnulla, quibus literae primi, quarti et sexti ordinis promiscue adhibitae sunt, sponte se obtulerunt. Leguntur ለ loco ላ, መ loco ማ et ሞ, ዘ loco ዛ et ዠ uti ኧንዶኪያ loco ኧንዶኺያ, quae nescio vtrum typographis, an librariis vitio vertenda sint. Non enim numerosa est codicum MSS. copia, quibus libri Aethiop. descripti nunc sunt.

scribi solebant[61]. Quodsi vero ea nomina, quae apud singulos interpretes peregrinum quiddam vel subrusticum sonant, et scriptura genuina et pronunciatione vere Graeca sunt; inde nihil sequi videtur, nisi hoc, quod *ἄλφα* certis quibusdam in locis, certisque vocabulis paucissimis numero a genuino communique sono deflexerit[62]. Quemadmodum enim reliqui Sc. S. interpretes omnino, ita Graeci, Syri, Arabes, Aethiopes, Hebraei vbique fere seruant huius vocalis sonum[63]. Optime ergo consentiunt singuli et ad-

---

61) Cf. Bertholdti nuper defuncti Einleit. in d. heil. Schr. p. 2513 ss. et p. 2516 ss.

62) Verba nonnulla florentibus etiam rebus Graecorum ab aliis paullo aliter pronunciata fuisse, admodum credibile videtur, nec non diserte traditur a scriptoribus. Quod igitur Graeciae proprie sic dictae accidit, ut media Attica, mediaeque Athenae suos haberent quasi Iones, Dores, Aeoles, id fortasse non alienum fuit ab ea Graecia, quae peregrinis terris erat affinis (Cf. Strabo L. VIII p. 514 C.).

63) Reperiuntur scripta nomina *Γαμαλιηλ* = ܓܡܠܝܐܝܠ = غامالييل = ገማልኤል = גַּמְלִיאֵל, *Ἀκυλας* = አቂላ = ܐܩܘܠܐܣ = أكيلا, *ἀλλα* = አላ, אַהֲרֹן = *Ἀαρων*, אֲבַדּוֹן = *Ἀβαδδον*, עֲבָרִים = *Ἀβαριμ*, כַּרְשְׁנָא = *Χαρσενα*, גָּלָל = *Γαλαλ*, *ἁγια* = ܐܓܝܐ, *μαλιστα* = ܡܠܝܣܛܐ, *μαλλον* = ܡܠܠܘܢ, *μαθηματα* = ܡܬܡܐܛܐ, *Ἰασων* = ܐܝܣܘܢ, *Ιαζηρ* = ܝܙܝܪ, *Ἁλικαρνασσος* = ܐܠܝܩܪܢܣܘܣ, *Σαμος*

hibendo et reddendo *α*; quod quidem vere sonuisse *a*, optime eo cognoscitur, quod in certis nominibus, iisque vsu tritis, nunc in ä vel e, nunc in â vel o mutatum videatur, quod ne fieri quidem potuisset, nisi *α* inter vtrumque sonum fuisset medium, sive utrique a duplici latere propinquum.

§. 2. E.

Adhibitum reperitur *ἐ ψιλον* loco Hebraicorum ◌ֵ ◌ֶ, et ◌ֱ [64] rarius loco ◌ַ et ◌ָ vel ◌ַי [85] ab interpretibus harum literarum. Cum vero generis illius quidem exempla permulta, huius contra perpauca sint et dubia partim le-

---

= ܣܛܠܘܣ *Δανιηλ* = دَانِيَال, *Σειραξ* = شِيرَاخ *Σαμαρεια* = سَامِرِيَة *Κλαυδια* = ቀለውዴዮ *Σαμοθρακη* = ሳሞትራቄ *Θαδδαιος* = ታዴዎስ *Γαϊος* = ጋዮስ *Ναφθαλι* in libro Tob. = נַפְתָּלִי *Ἀνανιας* = חֲנַנְיָה Orig. הַחֲנִינִים = *Ἀθανινιμ* הָיָה = *ἀια* Aq. רְפָאִים = *Ῥαφαειμ*. Theod. מְאַחִים = *Μαθαειν*, Ven. *Χανανι*, *Ἀζαριας* e. g. pl. Facillime possit horum nominum numerus ingentem in modum augeri.

64) Alex. עֶבֶד מֶלֶךְ = *ἐβεδ, μελεχ* בְּעֵל טְעֵם = *Βεελτεεμ*, בִּדְקַר = *Βαδεκαρ* בְּרִית = *βεριθ* קֵינִי = *Κεναιος* הֶבֶל = *Ἀβελ* אֵלוֹן = *Ἐλων* עֵינָן = *Ἐναν*. Hexap. יְעוֹפֵף = *ἰεωφεφ* יִהְיֶה = *ἰειε* Ven. אֱלִימֶלֶךְ = *Ἑλιμελεχος*.

65) Alex. בִלְגַי = *Βελγα* הִלֵּל = *Ἑλληλ* אַלַמֶּלֶךְ = *Ἐλμελεχ* אֲבִישַׁי = *Ἀβεσσα*. Semel ה litera *ε* redditum vidimus verbi יוּטָּה (*Ἰεττα*) Hex. מִקֶּדֶם = *μεκεδεμ*.

ctione[66] cumque variis omnino de caussis errare potuerint aut interpretes, aut librarii; vix est quod dubitemus, quin ε eundem habuerit sonum atque *e* Hebraeorum. Syri vertunt ε in ܶ passim in ְ, quod quidem quamquam non scribitur, effertur saltem, vel tacetur rectius duabus consonantibus sine vocali iunctis[67]. Sahitae et Copti eam literam vbique fere retinent[68] nec nisi seriori tempore in ⲁ mutant paucis in verbis[69]. Aethiopes ε plerumque quinti, raro sexti atque, quod rarissime fit, primi ordinis litteris reddunt[70], Gothi vocalibus AI et E, raro EI, rarissime A[71]. Armeniis ἐ ψιλον est ե et

---

66) Loco יוֹטָה legunt alii יֻטָּה; loco *Ἰεττα* alii *Ἰοτα*, *Ἰτα* al. alit.

67) Exempla sint *ἡγεμων* = ܗܓܡܘܢܐ *Ἑρμης* = ܗܪܡܝܣ *ξεστος* = ܩܣܛܐ *ἐπιτροπος* = ܐܦܛܪܦܐ In nonnullis ε scribitur ܶ et ܳ ut *Κενδεβαιος* = ܩܢܕܒܝܣ *Πτολεμαιος* = ܦܛܠܡܐܘܣ *Ἐλισαβετ* = ܐܠܝܫܒܥ *ἐχιδνα* = ܐܟܕܢܐ *Ἑλλας* = ܗܠܣ

68) More Graecorum scribunt: *σεργιος* rel. paullo aliter: *Σεμει* = *σεμειν* *Σεκουνδος* = *σεκουτος* (*Σεκουτος*) *Δερβη* = *τερβη* *συνεδριον* = ⲥⲩⲛϩⲉⲇⲣⲓⲟⲛ.

69) Cf. Mingarelli Codd. Aegypt. reil. loc. c.

70) *Ἐλισαβετ* = ኤልሳቤጥ *Τιβεριος* = ጢባርዮስ *Βηθλεεμ* = ቤተ፡ልሔም *Ἀβιμελεχ* = አቢሜሌክ *Φερες* = ፋሬስ *Ἐφραθαιοι* = ኤፍራቴያን:

71) *Γεεννα* = gaiainna. *Ἐβερ* = aibair, *Ἐνοχ* = ainok, *Βεελζεβουλ* = baiailzaibul, *Βοανεργες* = bouanairgeis, *Νωε* = nauel, si saluus est locus (Cf. Zahn ad

ƅ, qui vel ipsi, prout syllabae paullulum producendae sunt aut corripiendae, alterutra notant[72]. Arabes eam literam alias clarius alias obscurius proferre videntur[73]; Latini denique a maiorum consuetudine *ε* scribendi e, quae in libris aureae aetatis conspicitur, fere nunquam recedunt[74]. De his quidem literis in locum *ἒ ψιλον* ab interpretibus Sc. S. singulis substitutis infra paullo accuratius videbimus.

§. 5. I.

Ἰωτα minimas omnium et rarissimas in versionibus Sc. S. subiit mutationes. Cum enim literae, quae huius quidem partes agunt apud Semitas, mediis nominibus (matres lectionis dicimus) scriberentur cumque in genere vocalis i veluti ad cornu stet prima in acie vocalium;

---

vers. Vlfil. Luc. 5, 36). *Μελεα* = malaia (Luc. 3, 31) nisi nomen forte corruptum est (Cf. Griesbach ad h. l.).

72) *Φαρες* = Phares. *Ἐσρωμ* = Esron. *Ἐζεκιας* = Ezekia. *Ἐλιαζαρ* = Eliasar. *Βηθλεεμ* = Bĕthlēhēm.

73) *Τεβεριος* = طيباريوس *Βερνικη* = برنيقية *Ἐλισαβετ* = اليصباة *Σαρδες* = سرديس = ⲥⲁⲣⲇⲓⲥ.

74) Pauca quidem nomina occurrunt et in veteri et in recentiori Itala paullo aliter scripta, quae vero constat aut ad textum Hebraicum emendata, aut ad vulgarem scripturam dudumque receptam mutata esse.

inde factum est, vt *ἰωτα* neque vertendo aut describendo facile deprauari, neque, cum ordinem claudat, duplicem vicem ab utraque agere potuerit vsu. Itaque fere semper legitur *ι*, ubi Hebraei habent ִי, ֵי, ִ 75) apud interpretes V.T. Graecos. Syri eius loco vtuntur ܝ ܝ et ܝ 76), Aegyptii ⲓ 77), Aethiopes literis tertii ordinis et የ omnium 78), Arabes ي et ِ 79), Gothus I, EI,

75) אֲבִי אֲבִיָּה = *Ἀβι, Ἀβια* אֲבִיגַיִל = *Ἀβιγαϊλ* עַיִן = *Ἀϊν* עַזְגָּד = *Ἀζιγαδ* בֶּרֶכְיָה = *Βαραχιας* עֲנַנְיָה = *Ἀνανιας* יָכִין = *Ἰαχιν* יִשְׂרְאֵלִי = *Ἰσραηλ* יִגְאָל = *Ἰγααλ*. Hexapl. *χι, σενι, λαϊαβασα, ἰαμιμ, φερι, ἰειε, φιεθρω, ἀγιθθιθ.* Ven. *Χιλεων, Ναφταλις, Σινων, Βινιαμιν,* al.

76) *σταδιον* = ܐܣܛܕܝܘܢ *κιθαρις* = ܩܝܬܪܐ *Νικολαϊδαι* = ܢܝܩܘܠܐܝܕܐ *Ἰοππη* = ܝܘܦܐ *Τιβεριας* = ܛܝܒܪܝܘܣ *Μυιδος* = ܡܘܝܕܘܣ *Κνιδος* = ܩܢܝܕܘܣ.

77) Exempla nominamus *σεργιος, ἠλι, ἰωαννης, ἰαμβρης, ἐλισαβετ, διαθηκη.*

78) Scripta sunt *Εγγαττι* = ዘበጋዲ, *Λιβανος* = ሊባኖስ *ἐπισκοπος* = ኤጲስ፡ቆጶስ *πατριαρχος* = በትረ፡ያርክ *Τιβεριος* = ጢቤርዮስ *Λωϊς* = ሎይድ *Ἰωαννης* = ዮሐንስ.

79) *Τιβεριος* = طِيبَارِيُوس = Persic. طباريوس *Ἐλισαβετ* = أَلِيصَابَاتُ *Καιν* = قَايِن *Ἰαμιν* = يَامِين *Ἰσραηλ* = إِسْرَائِيل.

G siue j maiusculo[80]), Armenii ի et յ[81]), Latini denique atque Hebraei vulgarem consuetudinem seruant. Sunt quidem nomina, quae efficiant, si prae ceteris audiantur, ut *ἰῶτα* omnino ab interpretibus aliter pronunciatum fuisse aliquis suspicetur; sed paucissima huius generis vnde mutata et corrupta sint haud difficile est iudicatu[82]). Esse vero *ἰῶτα* syllabis a vocali incipientibus praefixum, quo nunc a multis duriuscule profertur, admodum leni spiritu illa aetate pronunciatum, id quidem Hebraei, Syri, Aethiopes et Arabes adeo innuere videntur. Tradunt scilicet veteres quidam Hebraeorum grammatici[83]), יְ in capite verborum sonare *i*, quod vero non ad omnia pertinuisse videtur. Ex quo factum est fortasse, ut in versione Alexandrina nominibus ab *ι* incipientibus, quo discrimen indicaretur, aliis spiritus lenis, quem

80) Huius generis sunt ameinadab, jaisais, jannis, isak, idumaia, taleitha kumei.

81) Vt Aminadab, Philippi, Moria, Antiochos, Iarim, Nasib, Samir, Isahak, Iesse, Dauith.

82) Occurrunt אֲשֵׁדוֹת = *Ἀσιδώθ* בְּרַכְאֵל = *Βαραχιήλ* יְרִיחוֹ = *Ἰεριχώ* לְבִים et לוּבִים = *Λίβυες*; *Ἰσραήλ* = እስራኤል *Ἀντιοχεια* = አንጾኪያ *Ναϊν* = ናይን *Φῆλιξ* = ፌልክስ *Ἠλίας* = ܐܺܠܝܳܐ *ἰδιωτα* = ܗܶܕܝܽܘܛܳܐ *Ναϊν* = نَايِين *Τροφιμος* = τροφημος (Copt.) *ἐλωι* = ailoe ut et *Ἀριμαθια* = araimathaia (Goth.) *ξιφος* = ܣܰܝܦܳܐ.

83) Cf. Gesen. Lehrgeb. d. Heb. Sp. p. 26.

dicunt, aliis asperi signum antiquissimis temporibus apponeretur [84]. Syri porro ac reliqui literis *ἰῶτα* initiale referentibus, ut mitigent infringantque soni asperitatem ܐ አ et ܐ praefigere, ܗ subiungere solent [85].

§. 4. *O* et *Ω*.

Vtraque litera, cum simillimum sonum habuisse videatur, vna eademque tantum a plurimis Sc. S. interpretibus notata cernitur. Adhibuerunt earum loco Syri ܘ et ܳ, Aethiopes septimi ordinis vocales, Gothi O, Armenii օ, Arabes ـُ Hebraei וֹ, ֹ et ָ [86]. Aegyptii, apud quos vtraque litera haud multum immutata in

84) Cf. Hug. de antiquitate Cod. Vaticani comm. p. 9—13. Iohn Foster *on accents* ed. secunda p. 334 ss.

85) Cf. Michael. grammat. Syr. p. 10. Velut *Ἰούδα* = ܝܺܗܽܘܕܳܐ, *Ἱερουσαλήμ* = أُورُشَلِيم = ኢየሩሳሌም = ܐܘܪܫܠܡ *ἴασπις* = ܐܝܫܦܗ coll. ܦܝܠܝܡ (*φιάλην*) *Ἰάσων* = ܐܝܣܘܢ *Ἰησοῦς* = ኢየሱስ alit. Pers. عیسی *Ἰάειρος* = ኢያኢሮስ (Luc. 3, 41 vero ያኢሮስ) *Ἰεσσαί* = እሴይ. Idem suadere videtur interpres V. T. Sahit. *Ἰουδαία* scribens *οὐδαια*. Legitur adeo (lib. Ierem.) *οὐουδαια*, quod vero, cum semel tantum occurrat, fortasse corruptum est librariorum negligentia.

86) Aethiopes: *Νωεμιν* = ኖሔሚን *ἐπίσκοπος* = ኤጲስ፡ቆጶስ *Ὠρήβ* = ሆሬብ *Ἰωσήφ* = ዮሴፍ

in vsu est, Graecam scripturam fere semper retinuerunt 87). Magnus est vtique literarum Hebraicarum numerus a Graecis interpretibus *ο* aut *ω* redditarum, scilicet וֹ, וּ, ָ, ֶ, ֳ, ֲ, ֱ 88). Alia nonnulla, quae deprauatis codicum lectionibus niti videntur, vix est, quod commemoremus. Codd. enim Mss. literis ֵי וֹ et וּ mirum in modum variant 89). Sed plurima, vti dictum est, velut apicum et punctorum inopia vel defectus, anceps verborum significatus, vsus vitaeque consuetudo, Arabicae et Syriacae lin-

---

Ἐυβουλος = ኤውቡሎስ = أُوفُولُسُ *Κορνηλιος* = ቆርኔልዮስ = كُرْنِيلِيُوسُ *Ἡρωδης* = ሄሮድስ = ܗܪܘܕܣ *θρονος* = ܬܪܘܢܘܣ *Ἡρωδιατα* = ܗܪܘܕܝܐܛܐ (Polycarp.) *ἠλωι* = ܐܠܘܝ *χειροτονια* = ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ *ὀχλος* = ܐܘܟܠܘܣ Goth. *Ἐσρωμ* = aizrom, item obeid, nakor, nauel, nicaudemus; Armen. Obed, Ionathan, Antiochos, Anob, Simon, Herodes, Hroma.

87) Vti in nominibus factum est *κηπρος, ἡρωδης, κυριος, ἰωαννης, φιλιππος, ἰωσηφ*; aliter *Ὠβηδ* = *ἰουβηδ*, *Ὀνησιφορος* = *οὐνησιφορος*.

88) Exempla habeas אַהֲרֹן = *Ἀαρων* עֶבֶד = *Ὠβηδ* (עוֹבֵר) אֲבִירָם = *Ἀβειρων* (Vulg. Abiram) אַבְשָׁלוֹם = *Ἀψαλωμος*, (als. *Ἀβεσαλον*) אֲחִיטוּב = *Ἀχιτωβ* עַכְסָה = *Ὀξα* עֲדֻלָּם = *Ὀδολλαμ* אֵילַת = *Ἐλωθ* תּוּבַל = *Δοβελ* לְבֹנָה = *Λεβωνα* נָעֳמִי = *Νοομι* אֹהֶל = *Ὀολ* עֻלָּא = *Ὀλλα* זְרֻבָּבֶל = *Ζοροβαβηλ* וַתּוֹצֵא = *οὐθωσε* הַגְּדֹלִים = *ἀγαδολιμ*. *Α. Σ. Θ.* *Ἠθωθ*. Ven. *Ἰωσεφος*.

89) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 49. b. al.

guae cognitio, Graecae elegantiae atque subtilitatis studium, naturae vnius verbi vocales alteram alteri assimilandi procliuitas 90), hoc vero loco maxime literae ו figura et ratio valuerunt ad nominum ex V.T. sonum genuinum aut in ipsa horum librorum origine, aut temporum vicissitudinibus mutandum et quasi suffocandum. Attamen huius generis exempla neque numero aequant, neque pondere minimam partem eorum, — examen enim est, — quae Hebraeorum ו, ֻ et ָ vocalibus *o* et *ω* referunt. Grauius sane offendit, quod Syri, si a Polycarpo discesseris 91), Armenii et Arabes *o* et *ω* haud raro reddunt literis ܘ, ու et وُ 92). Sed obseruandum est primo loco,

90) Cf. Gesen. l. c. p. 168. n. 2. vti מֹלֶךְ = *Μολοχ*.

91) Vers. Philox. vbique fere pro *o* et *ω* adhibet ܘ coque vsu aduersatur vers. Pesch. vti in nominibus ܦܘܠܘܩܘܣ ܦܘܛܝܘܠܘܣ al. quae Polycarp. vocali ܘ scribit.

92) Pesch. *ἰδιωτα* = ܗܕܝܘܛܐ *χειμων* = ܟܝܡܘܢܐ *ποδηρη* = ܦܘܕܪܐ *Ῥωμα* = ܪܗܘܡܐ alias ܪܗܘܡܝܐ *κοφινος* = ܩܘܦܝܢܝܢ *Ἀντιωχεια* = ܐܢܛܝܘܟܝܐ *Ὠβηδ* = ܥܘܒܝܕ. Armen. Carinthus, Culussus, Elthukdad, Petrus, Apollus (Act. 18, 14 leg. Apelles) Gulgatha, Ptulemais. Arab. *Σαμοθρακη* = صَامُوثْرَاكِي *πραιτοριον* = بُرُوطُورِيُون *Ὠβηδ* = عُوبِيد *Ἡρω-*

vocales *o* et *u* sono et ortu, vti vidimus, sibi esse maxime affines, quo id certe efficitur, ut Graecum *o* ad *u*, contra vero ܘ̇, ո et وٌ ad *o*, maxime ubi corripiebantur, facillime abire potuerint. Iam vero constat, Syros, Armenios et Arabes Hebraicas etiam vocales וֹ, ֻ et ֳ iisdem, quas diximus, literis saepenumero reddere[93]), vnde sequi videtur, aut vtriusque generis sonos simillimos, vel coniunctissimos fuisse apud illas gentes, aut solitos esse Syros, Armenios, Arabes, et Graecorum et aliorum *o*, ubicunque liceret, de gradu deiicere atque mutare in *u*. Hinc igitur non mirum est, vocales *o* et *ω* tamquam consortes cum reliquis parem casum et fortunam subiisse. Sed nomina, quae attulimus quaeque non attulimus, huius generis paullo propius cognoscas; — sit enim, id quod sumitur, iustum discrimen inter *o* et *u* Syrorum, Armeniorum et Arabum: — quo facto ea remoueas, quae vulgaria et trita parum cadunt in

---

δης = هيرودس Τιβεριος = طيباريوس Ἰωαννης = يوحنّا al.

93) Huius generis sunt צְבוֹיִם = ՍԵԲՈՅԻՄ = ܨܒܘܝܡ = صبوييم = גּוֹלָן = ܓܘܠܢ = ԳՈՂԱՆ = جولان הֶרְמוֹן = ܚܪܡܘܢ = حرمون כַּרְכֹּם = քրքում pl.

aetatem interpretum; deinde ea, quae apud Syros ex Hebraica lingua orta sunt et apud Arabes ex Syriaca[94], detrahas; denuo minuetur numerus. Iam vero si verba Graeca diligentius cum Syriacis, Arabicis et Armeniacis istis, quae restiterint, contuleris; inuenies, quod sane mirum est, ὠ μεγα vbique fere seruasse sibi sonum, ὀ μικρον vero apud Armenios fere semper, apud Arabes frequenter, apud Syros rarius sonum *u* tulisse. Quaeritur iam, quid de Armeniorum ո statuendum sit; magnopere enim dubitandum videtur, an non *u* sonuerit haec litera illo quidem tempore. Argumenta haec sunt. Quod Waltonus[95], Agop[96] et Schroeder[97] tradunt, ո efferendum esse vti *u*, id quidem non ista tempora attinet, quibus haec litera, singularis soni signum, primum scribi coepit, inde a quibus, si sonuit *o*, ad cognatam facillime abire potuit[98]. Est vero litera ո, siue vocalium, siue consonarum series Armeniaca cum Graeco ordine comparetur, inter easdem literas posita, quibus ὀ μικρον continetur. Porro additum est ո more

---

94) Cf. Bertholdt Einleitung T. II p. 692. §. 205.

95) Cf. ei. Proleg. in Bibl. Pol. C. II. p. 12.

96) Cf. ei. Grammat. Armen. p. 230 ss. Grammat. Latin. p. 4 ss.

97) Cf. ei. Thesaur. ling. Armen. Gramm. p. 30.

98) Idem nunc accidit aliis nationibus. Galli, ut exemplo vtar, vos et nos nunc proferunt *vous* et *nous*; item Angli verba Rome, tomb, al. obscurius pronunciant c. g. a.

Graecorum literae ι, ut inde oriretur *ου*, siue ու Armeniorum et breue et longum, quod sane absonum fuisset, cum alterutra litera suffecisset. Accedit, quod Misrobus, qui ad Graecas literas suas effinxit[99], *ὢ μεγα* singularibus signis notauit[100], ita vt haud temere credas, praesertim cum duae praeter eam literae adsint u sonantes, non neglexisse eum *ὂ μικρον*. His quidem nihil effici videtur nisi id, ո eadem potestate fuisse atque *ὂ μικρον*; sed et alia sunt, quae certiores nos reddant. Occurrunt enim Graeca nomina nonnulla, vulgo fortassse vel vsu corrupta, in quibus *ὂ μικρον* vt ab aliis interpretibus, ita ab Armeniis u pronunciatur, quod vero non ո sed rursus ու scribitur,[1] alia contra sexcenta, quorum sonum a reliquis omnibus seruatum, si ո non o sonuisset, soli Armenii — scilicet Alexandriae — male percepissent. Porro ea litera haud raro scripta est loco *ὢ μεγαλου* accentus caussa vel corripiendi, vel etiam producendi[2]. Accedit quod Georgii eam literam etiamnum *o*, Siunenses *ö* pro-

---

99) Cf. Michael. Einleit. ed. secundae T. II. p. 215 ss. Eichhorn Einl. T. I. §. 306. p. 646. Bertholdt Einleit. T. II. p. 688 ss.

100) Ioh. Ioach. Schroeder. Thesaur. Gr. p. 17; 38.

1) Huc pertinent *Κορνηλιος* = կուռնէղիոս (Act. 10,1) *καθολικος* = կաթուղիկոս al.

2) *Ἰακωβος* = յակոբոս, *κανων* կանոն pl.

nunciant[3]) et quod ⲱ in verbis ex aliis linguis receptis ⲟ significat[4]). Hinc denique nonnulla nomina in Sc. S. recurrunt, quibus ⲟ, vel ⲟⲩ et ⲱ mira vice adhibentur[5]). Attamen negari nequit, restare in Sc. S. versionibus nomina, in quibus *ὀ μικρον* vti *u* pronunciatum videas. Non solum enim apud interpretes, quos diximus, sed apud reliquos etiam eius generis exempla reperiuntur[6]). Egregie itaque confirmare videntur nostri, quod haud leuis momenti argumentis probare studuerunt viri docti, *ὀ μικρον* praeter clarum et apertum sonum obscuriorem etiam et angustiorem quendam apud Graecos habuisse[7]). Quae vero fuerint huius

3) Schroeder Thesaur. p. 304.

4) Exemplo sit צור = Ծուր coll. חֵמָר = Խումր et כַּרְכֹּם = քրքում.

5) Leguntur nunc Gomorra, nunc Gumurra, Sorobabil nunc Surobabil, si vulgarem pronunciationem retinueris.

6) Itala vtraque plurimis locis *ὀ μικρον* vertit in u vti mos est Romanorum. Sahit. vers. *Ὀνησιφορος* = *ουνησιφορος*. Plura vide Mingarelli Codd. Aegypt. rel. in fine. Vlfilas adeo, qui *ω* scribit *O*, plerumque notat *ὀ μικρον* literis AU, atque U in fine verborum. Aethiop. *Κυρηνιος* = ቄሬኔዎስ pl. Graeci vel ipsi ו, quamquam rarissima sunt eius generis exempla, reddunt *ο*, uti עֲדֻלָּם = *Ὀδολλαμ* מְאוּזָל = *Μοοζιηλ* (Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 61.)

7) Huc spectat Romanorum et Graecorum vsus, *ὀ μικρου* conuertendi in u, atque u rursus in *ὀ μικρον* (Publicola = *Ποπλικολας*, Numitor = *Νομιτορ*, *Ὀδυσσεὺς* = Vlysses, *Συρακοσιων* = *Συρακουσιων* Virg. Ecl. VI.), Dorum et poetarum consuetudo atque loca

modi verba, cum parum omnino possit earum copia ad liquidum perduci, quaerere et inuestigare iure nunc mittimus.

§. 5. Υ.

Scripta est haec litera in Graecis V.T. versionibus loco ֻ, ֳ, וֹ, et ֹ 8) rarissime loco aliarum, quae haud grauiter offendunt. Syri, si a Polycarpo discesseris, qui ubique paene ܽ adhibet9), ὐ ψιλον reddunt nunc ܽ nunc ܘܿ 10); Aethiopes nunc secundi, nunc tertii, nunc sexti

---

quaedam ap. Plat. Gellium, Nigid. Eustath. Auson. Pierium (Cf. Siluae Crat. p. 5. Thiersch Griechische Gramm. 1818 p. 25 s. n. 5), in primis versus Thrasymachi (Athen. L. X):

Τοὐνομα θητα, ῥω, ἀλφα, σαν, υ, μυ, ἀλφα, χι, ου, σαν.
Πατρις Χαλκηδων, ἁ δε τεχνη σοφιη.

8) Nominanda sunt primo verba antiquitus ab Hebraeis ad Graecos delata, ut בּוּץ = *βυσσος*, מֹר = *μυῤῥα* לוּבִים = לֻבִים = *Λιβυες* צֹר = *Τυρος*, אַשּׁוּר = *Ἀσυρια* לוּדִים = *Λυδοι*, hinc, quae maioris momenti sunt, V.T. שׁוּנֵם = *Συναμ* שִׁיחוֹר = *Συωρ* (Vulg. Sihor) שִׁלֹה = *Συλω* (V. Silo) שִׁמְעוֹן = *Συμεων* (V. Simeon) *Α. Σ.* יְמִימָה = *Ἰεμυμα*; *Ἀλλ.* vero *Ὑεμιμα* aut *Ὑμεμα*. *Ἀλλ.* כּוּשִׁי = *Χυσι*.

9) Vti *κολλυβιτρον* = ܩܘܠܘܒܝܛܪܘܢ *Λυσανιας* = ܠܘܣܢܝܐ exc. *συρτα* = ܣܘܪܛܐ

10) *Κυπρος* = ܩܘܦܪܘܣ *Κυρηνιοι* = ܩܘܪܝܢܝܐ *Λυκια* = ܠܘܩܝܐ *Παμφυλια* = ܦܡܦܘܠܝܐ it. ܐܘܪܘܦܠܝܘܢ

ordinis vocalibus[11]; Sahitici et Coptici interpretes vocali ϒ[12]; Arabes aeque ac Persae ـِيـ rarissime ـُو[13]; Gothi Y[14]; Armenii ի et իւ[15]; Latini denique, nisi quo loco Graecos in scriptione nominum Hebraicorum emendant, *υ* scribunt y. Quaeritur iam, quid singulis his de literis statuendum sit. Ante omnia commemo-

---

+ ܦܡܦܘܠܝܐ + ܩܘܦܪܘܣ + ܩܘܠܘܢܝܐ + ܦܪܘܓܝܐ
ܐܘܪܣܛܘܒܘܠܘܣ.

11) *Κυρηνιος* = ቄሬኔዎስ *Κυπρος* = ቈጵሮስ *Ἀκυλας* = አቂላ *Βιθυνια* = ቢቲንያ it. ሊቃኦንያ: ጰንፈልያ:ልድያ alq. pl.

12) Paucissima excipias, quae mature corrupta, aut errata videntur, vt *Ἐυροκλυδων* = *εὐτρακυλων*, *βηρυλλος* = *βυριλλος*.

13) *Πεμφυλια* = بَنْفِيلِيَا simil. لِيقُونِيَة + بِثِينِيَة + أَكِيلَا + قِبْرِنَاوُس al. Pers. = قوريدوس + كَبِرْيَا + كَبِر pl.

14) Vti *σπυρις* = spyris, it. tyros, azyme, cyreinain, lysanias, al. Hanc vero literam sonare y Latinum, id quidem tradunt *Ihre* Analect. Vlfil. ed. Büsch. p. 207. Zahn. Gramm. Goth. p. 1 ss.

15) *Λυκια* = Likia; similia sunt: mirra, Babilon, Egiptos, Triphenos, Triphosos, asinkritos, Olimpan. Literis իւ scripta sunt: Tyros, tyrannos, Tychicos, Smyrna, Syntich = *συντυχη*; et Լիւ *ὑλη* = Լիւլէ nisi digamma Aeolicum adhibens pronunciare malueris *wyle*.

randum est, *ὖ ψιλον*, si sonum vernaculi *ü* habuerit — faciâmus enim habuisse — fuisse proximum *ö* cognato atque vocalibus *i* et *u*, quae sunt, vti demonstrauimus, eodem loco et numero diuersarum classium constitutae. Eo enim effici videtur, habuisse *υ*, cur triplicem vicem subiret, atque interpretes singulos, litera eiusmodi carentes, vocalem eam non nisi a triplici parte vicinis recte innuere significareque potuisse ac debuisse. Iam videamus de singulis. Deest vtique Hebraeis, Syris, Arabibus et Aethiopibus singularis vocalis *ü* designans; sed parum probabile est, alienum fuisse iis et inusitatum eiusmodi sonum[16]. Iam vero si sono non carebant, necesse erat, singulari signo deficiente, indicaretur scribendo iis literis, quae essent vndique affines. Hinc ergo quasi sponte fit, ut credamus in quibusdam vocabulis ـِ ִ, ـِي ִ et ܝ ֵ atque Aethiopicum i paullo restrictius, contra וּ, وُ, ܘ̇ atque Aethiopicum u paullo plenius fuisse prolatum. Huc facit, quod וּ, وُ et ܘ̇ quibusdam in verbis *ü* sonare diserte traditur[17]. Iam vero si ita est, uti non impro-

---

16) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 62. Michael. Syr. Grammat. p. 28.

17) Cf. Rosenmüller. Grammat. Arab. Lips. 1818. p. 22. Gesen. Lehrgeb. p. 58 n. 8 s. Michael. Gramm. Syr. loc. c. Quod Aethiopes *υ* passim reddunt VI. ord. literis, sciendum est, Vansleben. (ei. edit. Gramm. Ludolf. p. 7 ss.) huic ordini sonum *ü* tribuere; sed mi-

babile videtur, sequitur, interpretes istos non solum recte significasse *ὐ ψιλον*, sed etiam, sicuti dictum est, pronunciasse. Vtut sit, mirari tamen subit, hanc vocalem duplicem scripturam istis in libris nactam esse, neque omnis depravatae pronunciationis suspicio, siue sint hac in re vtriusque generis literae pari, siue impari potestate, inde tollitur. Quam ob rem ne nos tolli patiamur, mittamus primum ea nomina, quae parum referunt interpretum aetatem [18], nam de tempore horum quaerimus; tum ea, quae non e Graeco sermone, sed Hebraico aliisque originem duxerunt [19]; deinde, quae librariorum negligentia fortasse profecta sunt [20], denique, quae singulari fortasse literarum quarundam naturae debentur [21]. Sed quam caute etiam

---

nime offendit Ludolfi sententia, ex qua fere *ö* sonat ea classis proximeque ad *ü* accedit.

18) Huius generis sunt fortasse verba antiquitus recepta, veluti terrarum, vrbium aliarumque rerum nomina, singulari modo pronunciata, vti צוֹר = *Τυρος* בָּבֶל = *Βαβυλον*, *Λυκια* ܠܘܩܝܐ * ሉቅያ. al.

19) Ex quo genere sunt ܡܘܪܐ, Armen. Asori = ሶርያ, quae non a verbis *μυρα* et *συρια*, sed = מֹרָה et אשּׁוּר rectius dixeris orta.

20) Vti שׁוּנֵם = *Συνημ*, quod alias *Σωνημ*, plerumque *Σουνημ*, apud Hieron. Sunem legitur. e. g. p. יְעָרִים = *Ἰαρημ* (Ios. 15, c. 10), quod maxime offendit, cum syl. ־ִים, numeri pluralis nota, vbique *ειμ*, aut *ιμ* reddatur.

21) Huc pertinere videntur plurima nomina Hebraica שִׁי vel שׁ habentia, ut שִׁמְעוֹן = *Συμων* אַשּׁוּר al. adeoque פְּלִשְׁתִּי = *Φιλισταιοι*, quae ob Graecum vsum vel ista-

egeris prouideque processeris, semper restant plurima nomina *ὐ ψιλον* alia crassiori, alia exiliori sono referentia. Aegyptios adeo vocalem ⲩ, qua Graecum *υ* constanter scribunt, non solum seriori, sed illo etiam tempore, duplici, quem diximus, sono pronunciasse, plurima testantur[22]. Recte igitur, cum [illegible], reliqua diversa sint scriptura, in ea tempora nos incidisse videmur, quibus *ὐ ψιλον* duplicem sonum aut omnino, aut certis in terrarum tractibus habere coeperat. Denuo itaque confirmare videtur nostra disputatio, id quod aliis argumentis satis ingeniosis alii probare et demonstrare studuerunt[23]. Illud vero discrimen inter *υ* clarius

---

rum consonantium indolem mutata videntur. Cum enim hae literae, dum pronunciantur, eodem fere modo afficiant os atque vocalis *ü*, euenit inde, ut pronunciandis istis consonantibus veluti sponte sese subiungat *ü* loci *i*.

22) Graec. *ἀληθινον, δεινα* al. Copti et Sahitae scribunt *αληθυνον δυνα*. Arabes et Aethiopes vero ⲩ aeque atque *ὐ ψιλον* duabus, quas diximus literis notant. Cf. *Quatremère recherch. critique* v. l. Didymi Taurin. lit. Copt. rud. p. 45 ss. qui varia huius generis exempla exhibent. Cf. Petraei Ps. I. Copt. Arab. et Lat. Lond. 1759. Ludolf. Hist. Aethiop. p. 563.

23) Cf. Mekerch. de ling. Gr. pron. ed. Hav. Syll. I. p. 93 ss. Wetsten. orat. apol. p. 71 ss. inprimis p. 167 ss. al. Varia huius generis scriptura non solum apud Latinos, sed et in numis, lapidibus, aliisque monumentis vetustissimis deprehenditur. Syluae Crat. p. 41 ss.

et obscurius admodum leue fuisse et subtile, optime ab Armeniis discitur, qui, vbi fortasse *υ* paullo obscurius sonaret, literae ｈ addunt ւ haud valde immutans pronunciationem. Denique vero si quaeratur de sono *ὐ ψιλον* germano; is quidem ex literis cognosci posse videtur, eius loco adhibitis. Quod si enim sonauerit *u* vel *i*, non potuerit commode ea vocalis, deficiente *ü*, nisi ad *o* aut *e*, quippe proximas, abire, vti accidit literis ita vere sonantibus; cum vero *ὐ ψιλον* nunc *u*, nunc *i*, nunc *ö* scriptum sit tribusque quasi a partibus inclusum, perquam probabile videtur, germanum eius sonum fuisse *ü*, vel *u* Gallicum[24].

§. 6. ΟΥ.

Reperiuntur hae literae in libris Hebraeorum in Graecum translatis loco ו et ֻ, exceptis nominibus nonnullis eam vocalem corripientibus[25]. Syri pro iis vtuntur ܘ[26], Aegyptii ⲟⲩ[27]

---

24) Restat, ut nunc de singulari longeque alio quodam sono exponatur, quem *ὐ ψιλον* apud interpretes habuisse videtur; sed aptior erit locus, de eo infra agendi.

25) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 59 ss. Exempli caussa nominemus פּוּל = *Φουλ* עוּץ = *Ὀυς* כֻּשִׁים = *Χουσιειμ* בַּחֻרִים = *Βαχουριμ*.

26) *Λουκας* = ܠܘܩܐ *Ἐυβουλας* = ܐܘܒܘܠܘܣ als ܐܘܒܘܠܘܣ scriptum. Sunt eiusmodi ܣܩܘܢܕܘܣ + ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ + ܐܘܪܗܝ + ܩܘܡܨ + al.

17) Exempla ponamus *λουκας*, *ευβουλος*, *σεκουτος*, *ιουδεα*, *ιδουμεα*.

Aethiopes vocalibus secundi ordinis[28], Arabes وُ [29], Gothi U[30]; Latini atque Hebraei simplici litera, vti mos est illis *ου* reddunt, Armenii denique ու[31]. Sunt quidem Hebraeis vocales aliter sonantes, quas Graeci verterunt in *ου*[32], sed eius generis exempla non maioris momenti sunt, quam ea, quae ex Aethiopum et reliquorum libris sacris similia, sed perquam rara, huc afferri possint[33]. Iam vero quaeritur, quid singulae istae singularum linguarum literae, quibus Graecorum *ου* expressum cernitur, illo tempore sibi voluerint. Non enim sufficiat hoc loco nominasse eas et indicasse scripturam. Primo loco monendum est, Syros, Aegyptios, Arabes, Aethiopes, Armenios istas literas suas quasque vti *u* pronunciare, vel pronunciasse eo tempore, quo viri docti, quos diximus supra, atque alii

---

28) ሉቀስ፡ኤዉቡሎስ rel.

29) + سَاكُونْدُسْ + أُوفُولُسْ + لُوقَا

30) Sufficiant ad probandum nomina; lucas, idumaia, *Χουσα* = kusa, iudaius, iudas, susanna.

31) Vti Ierimuth, Alua, Abiud, Eliud, Chusa, Susanna, Vria, Zabulon Samuel.

32) Huc spectant אֱגְנִי = *'Ουγαιος* alias *Αγαγ* בְּרִיעָה = *Βαρουα* קִישִׁי = *Χουσι* עֶפְרָע = *'Ουαφρη* מֵישַׁע = *Μουσα*, quod fortasse verbum Graecum aemulatur. Cf. Gesen. Gesch. der Heb. Sp. p. 189 §. 50 ss. Lehrgeb. p. 61.

33) Exempla ponamus ሲቢንዲዮስ, nisi malueris legere ሰኲንዲዮስ, atque ኢየሩሰሉም, quod alias scribitur ኢየሩሰሌም፡

praesentes viserunt illas gentes. Cum enim nullum tempus nullaeque rerum vicissitudines omnes cuiusdam sermonis sonos, quippe certis quibusdam naturae legibus adscriptos, peruertere ac perturbare posse videantur; non improbabile est, huiusmodi vocalem, cum singulari eademque haud facile mutabili oris moderatione nascatur, vsitatam, ne dicam natiuam, potestatem seruasse apud illas gentes atque retinuisse. Addendum est porro, istas linguas aliam ab alia recepisse verba, in quibus vocalis illa *u* a singulis, licet diuersis signis expressa, seruata cernatur [34]. Quo id certe efficitur, singulas istas literas simillimum habuisse apud omnes sonum, adeo vt, si de vna constet, etiam constet de reliquis, sin vna cadat, cadant omnes. Plurimum vero tribuendum est hac in re nominibus, quae dicuntur, propriis. Cum enim terrarum, vrbium, montium, hominum aliarumque rerum no-

34) Ab Hebraeis plurima constat eius generis verba eodem et significatu et sono transiisse ad Syros, Arabes, Aegyptios, Aethiopes, Armenios, reliquos. (Cf. Iahn Element. Aram. ling. ed. Oberleit. Vien. 1820. p. 15. 4. Rosenmüller Gramm. Arab. 1818. p. 16. 27. al. Gesen. Lehrgeb. p. 50. 8). Singuli vero populi reliquorum rursus eiusmodi nomina eadem religione sua fecerunt inuicem. Ingens eorum numerus afferri posset, si esset opus. Armeniaca tantum, de quibus parum constat, verba pauca apponamus exempla: կուպր = ܟܘܦܪܐ, կորիւն = גּוּרְיָא. կուժ = كُوز. բու = bubo, nisi vox ad naturam efficta est.

mina vulgata tritaque non ex libris, sed e vita et vsu disci possent; hinc vtique coacti erant exteri et quasi compulsi, vt sonum vocabulorum premerent eumque solum, prouti singulae quaeque ferrent linguae, literis consignarent. Rari enim erant illo tempore libri nec vulgaria de situ orbis opera, ars vero typographica inuenta nostrum demum est decus. Verumtamen permulta nomina, non vnum enim vel duo sed sexcenta dicimus, eundem sonum apud plurimas gentes tulerunt, ita ut, in quibus *u* audiretur Latinis[35], haec vocalis a reliquis eodem modo seruaretur, quibus vero illi adhiberent *u*, a Latinis etiam scriberetur[36]. Iam vero

---

35) Exempla sunt Centurio, Vrbanus, Rufus, cornu, Iulius, Secundus, sudarium aliaque multa.

36) Primo loco nominandum est Vet. Test. Graecum ab Hieronymo in Latinum sermonem conuersum (Bertholdt Einl. T. II. p. 553 h. II), in quo nomina ad Hebraicum textum emendata reperiuntur (V. Hieron. Praefat. in Paral.); hinc versio V.T. vetus Itala (Bertholdt. l. c. T. II. p. 613) Vtraque vero Hebr. ו = *ου* reddit *u* Latino. Huc spectat locus Plauti (Poen. V. 1, 2.) in quo autem more fortasse Carthaginiensium ו plerumque *o*, וּ vocali *u* redditur; (V. Gesen. Gesch. d. H. Sprache p. 226 ss.) vti חַנּוֹן = Hannon. שׁוֹפֵט = Suffes. Porro huc afferri possint variarum nationum nomina, quae ex eodem genere ab historicis et geographis Latinis commemorantur, vti Iudaea = יְהוּדָה. Quid multis? vna cognita pronunciatione Hebraica, quod optime fit ex verss. Italis V.T., cognoscitur etiam reliquarum literarum, *ου* Graecum referentium sonus. De Gothis scorsim monendum est, eorum literam *u* significantem ad hunc vsque diem sexcentis in verbis suam seruasse rationem (uns, undar, brunn, hunds); de Ae-

cum u et Latinum et Hebraicum et Arabicum et Aegyptiacum et Aethiopicum et Armenium parem vicem subire potuerint; eo acquiescendum est sane, Latinum *u* apud Italos, qui eius pronunciationem a maioribus haereditate quasi acceperunt, et Germanos, qui eum sonum primo ab Italis docti sunt, non discrepare ab *ου*, quod nunc inde a bonis artibus instauratis et in Germania et vero etiam in Graecia pronunciatur.

§. 7.

Mirum itaque in modum sibi constant veteres S. S. interpretes et adhibendis et reddendis his vocalibus Graecis. Exempla enim in contrariam partem trahenda, quae diximus, rara illa nec satis certa, cum nihil infirmius, nihil fragilius sit scriptura quorundam nominum, non tantum valent, vt plurimorum et certissimorum auctoritatem et quasi imperium concutiant et frangant. Quod vero maioris momenti est, mirum in modum nostri confirmasse videntur, quae viri doctissimi de vocalium, de quibus hucusque exposuimus, apud Graecos vsu dudum iudicarunt. At vero quid prodest omnis disputatio longa et odiosa? Quae nihil efficiant, nec afferant nisi taedium, ea, inquis, par erat sup-

gyptiis denique, reddi eorum ⲟⲩ ab Arab. وُ ab Aethiop. vocalibus secundi ordinis. (Ludolf. Gr. Aeth. ed. II. p. 182.)

primere atque celare. Imo vel minime. Interpretes enim quodsi quibusdam visi essent, omnino nusquam seruasse ne has quidem Graecorum vocales, aut singuli singulari modo reddidisse; nonne parum fidei facerent, si vel maxime consentirent in pronunciatione reliquarum? Iam vero cum omnes ac singuli hactenus adeo fuerint religiosi scribendis nominibus et ignotis et notis, et exteris et quasi familiaribus, vt, vna literula adiecta aut detracta[37], dum

37) Liceat hoc loco aliud adiicere exemplum fortasse non ineptum. Multorum est sensentia, Cadmi nomen oriri a קֶדֶם, quod, quamquam mirandum est, qui potuerint inde diuersissimi soni descendere, crederemus, nisi aptius vocabulum adesset. Scilicet sunt Semitarum verba Heb. קָדַם, Sam. ࠒࠃࠌ, Chald. קְדַם, Syr. ܩܕܡ Aethiop. ቀደመ, Arab. قَدَمَ, quae singula primo principatum quendam aetatis, hinc vero auctoritatis significare videntur. Ex his oriuntur קַדְמֹנִי : קַדְמוֹן : ܩܕܡܝܐ : ࠒࠃࠌࠀ : ቀዳሚ : قُدْمٌ, quae fere omnia excellentem, si dicere licet, indicant et primo loco constitutum. Iam vero historia teste Cadmus, regis filius, Phoenix primus intulit in Graeciam literas, quae et nomen habent et figuram Phoenissarum (Postellus de Phoen. litt. ed. Hav. Syll. II. p. 715 ss.); itaque probabile est, inde eum traxisse nomen. Cum vero Phoenicia confinis fuerit Palaestinae atque linguae ibi vsitatae sibi simillimae (Gesen. Gesch. d. Heb. Sp. p. 229); nomen Cadmi a sermone Heb. vel Chald. deriuandum videtur, vna vel duabus literis, vt alias obseruatur, in fine mutatis: optime vero fit a ܩܕܡܝܐ. Nam si huic voci more Graecorum *s* addideris (contra est apud Syr.

Graecum audias, barbarum loqui putes, dumque barbarus loquatur, Graecum credas; habemus sane, quod, quae pronunciatio fuerit eo tempore vocalium, quae restant, Graecarum, propius nunc cognoscere exspectemus.

---

qui abiiciunt eam literam, vt Ἀρβηλος = ܐܪܒܘܠܐ) integrum paene habes nomen, quod vel validum, vel principem, vt Arabes docent, significat. Neque vero improbabile est, Cadmum nomen significans tulisse, (vt apud Arabes قَائِم) vel a ciuibus sibi subiectis atque popularibus, vulgari sermone vtentibus, eo nomine appellatum fuisse. Pro certo quidem constitui nequit, memorandum vero, nomen Tagae, literarum in Italia cultoris, si ortum est a ταγος vel ταγεις, simillimo esse significatu. (Cf. Lanzi Saggio di ling. Etrus. II. p. 239 coll. Kreuzer Symbol. II. p. 925 ss.) Similem etiam aliorum nominum originem demonstrauit Cel. Hermann. in diss. de mythologia Graecorum antiquissima et de historiae Graecae primordiis.

THESES.

Gentium Graecarum vita et ingenium ex literis ab iis inter se commutatis cognoscitur.

Linguarum natura continuo corrumpitur.

Librorum Latinorum et Graecorum veterum emendatio non vnquam absoluetur.

Vndarum neque certa, neque constans figura est.

Sermo Italicus omnis ortus est vulgari Latinorum.

Euangelium quartum recte prae se fert nomen Iohannis Apostoli.

CAPVT II.

DE VOCALIBVS DVBIAE PRONVNCIATIONIS.

§. I. H.

Adeamus iam eas Graecae linguae vocales, quarum in sono constituendo quo accuratius inde ab Erasmo versati sunt, eo longius inter se discesserunt viri docti. Sunt enim adeo varia et grauia argumenta, quibus alii aliorum hac de re sententiam conuellere studuerunt, vt vocales istae non solum duplici modo, sed etiam triplici et quadruplici partim recte probeque pronunciari inde posse videantur. In hac quidem disputationis parte ita versabimur, vt primo de literis loco Graecarum atque Hebraicarum adhibitis videamus, deinde vero, quod negleximus adhuc, in earum sonos illo tempore vsitatos, quam accurate fieri potest, inquiramus. Agmen ducat, vti propositum est, *ἦτα*.

Graeci V. T. interpretes scripserunt *η*, quo loco in libris Hebraicis nunc vocales ◌ֵ ◌ֶ ◌ֱ

atque ◌ֳ mobile leguntur [38]. His accedunt ◌ֵ, ◌ָ, ◌ַ et וֹ, quae praeter consuetudinem passim vocali η reddita cernuntur [39]. Sed rara sunt nomina, in quibus η locum ◌ֶ et ◌ֳ obtinet adeo, vt huius generis vix duo exempla afferre possis, cum centum pro ◌ֵ habentia η numeraueris. Reliqua aliter scripta rarissima ista, qui mutari vel corrumpi potuerint, supra expositum est. At ne quis offendatur, η passim vocali י◌ִ respondere, monendum est, plurima eiusmodi nomina in aliis atque optimis codd. aliter scripta reperiri [40], atque ◌ֵ siue י◌ִ etiam in ε conuersum exstare [41]. Cum vero ◌ִ passim a

---

38) *Vers. Alexandrin.* Pent. Chron. עֲמָלֵק = Ἀμαληκ Ios. Sam. Phroph. עֲזֵקָה = Ἀζηκα. Ios. Prophet. בְּאֵרוֹת = Βηρωτ. בְּאֵרשֶׁבַע = Βηρσαβεε. Reg. Ios. Iud. Cant. Proph. כַּרְמֶל = Καρμηλος (Χερμελ) אֵלִיָּה = Ἠλιας. Pent. Iud. al. יִשְׁמָעֵאל = Ἰσμαηλ. Ios. Iud. al. קֶדֶשׁ vel קֵדֶשׁ = Καδης. Ps. זְאֵב = Ζηβ. הַלְלוּיָה = ἀλληλουια. Proph. יְשַׁעְיָהוּ = Ἠσαϊας. Psal. אֱלִיָּאתָה = Ἠλιαθα Ios. Chr. מֵידְבָא = Μηδαβα. Paral. אֵתְנִי = Ἠθανι. *Orig.* בְּרֵשִׁית = βρησιθ. בֵּין = βην. מְאֹת = μηωθ. Μασσεκας (ὁ) = Μασσηφας (Θ). Ἀ. Σ. Θ. אֵחֹם = Ἠθωμ (teste cod. Coeslin.) *Ven.* כַּרְמֶל = Καρμηλ al.

39) Esdr. כְּפִירָה = Χαφηρα. Ios. כְּסִיל = Ξηλ. כְּלָל = Χαληλ. Gen. דִּישׁוֹן = Δησων. עֵיבָל = Γεβαλ. Θ. דוּרָא = Δειρα. Paral. עִילַי = Ἠλα. *Orig.* לַיְלָה = ληλα. רְקִיעַ = ῥεκιη.

40) Χαφηρα als. Χεφειρα, Ξηλ als. Ξιλ Δεηρα als. Δεειρα (Cf. Gesen. Lex. Heb. s. h. v.)

41) Ies. Por. אָסִיר = Ἀσερ. חִתִּיבָּה = Θεεννα.

Syris ◌ܶ, aliisque similiter scribatur [42] atque vocalis *i* propinquam habeat *e*, inde verisimillimum est, Hebraicum *i* nonnullarum vocum *e* sonuisse. Itaque quum ἦτα per totam Sc. S. vix triginta in locis respondeat ◌ֶ et ◌ֵ, vix quinque in certis omnino aliis quibusdam vocalibus, contra in sexcentis — plura adeo facile numerari possunt — signo ◌ֵ, quumque idem scribendi vsus non ab vno aut duobus interpretibus, sed a duodecim vel pluribus et tempore paullum et patria inter se diuersis servatus sit; vix est quod dubitemus, quin vocales ◌ֵ et η tunc temporis nisi eadem, certe adeo simili potestate fuerint, vt ex vtroque genere non alia quaedam propinquior audiretur.

Syri ἦτα scribunt ◌ܺ et ◌ܺܝ [43], porro ◌ܶ,

---

42) חִקְטֵל = ܐܶܬ݂ܩܛܶܠ al. (Cf. Iahn. Elem. Aram. ling. ed. Oberleit. p. 15).

43) *Pes. N.T.* Ἑρμης = ܗܶܪܡܺܝܣ, λιμην = ܠܶܡܺܝܢܳܐ, νομη = ܢܽܘܡܺܐ, φιαλην = ܦܺܝܠܺܝܢ, παρακλητος = ܦܰܪܰܩܠܺܝܛܳܐ, κυβερνητης = ܩܽܘܒܶܪܢܺܝܛܳܐ, ἀμην = ܐܰܡܺܝܢ, βημα = ܒܺܝܡ, ἡγεμων = ܗܶܓܡܽܘܢܳܐ, Ἀβιληνη = ܐܰܒܺܝܠܺܝܢܺܐ, Ἀθηναι = ܐܰܬ݂ܺܝܢܽܘܣ al. ܐܰܬ݂ܺܝܢܳܘܣ, Κλημης = ܩܠܺܝܡܺܝܣ, Ὀνησιφορος = ܐܳܢܺܝܣܺܝܦܳܘܪܳܘܣ, Δημητριος = ܕܺܝܡܺܝܛܪܺܝܳܘܣ, Κορνηλιος = ܩܳܪܢܺܝܠܺܝܳܘܣ, Κρητη = ܩܪܺܝܛܺܐ, Κι-

ܝܼ, ܝܹ, ܐܵ, ܘܿ, 44) passim denique abiiciunt 45). Mira est quidem haec scripturae varietas, sed facilis explicatu, si linguae Syriacae indoles nominumque origo respiciantur. Eo enim efficitur, vt primo, cum nomina peregrina ver-

---

ρηνιος = ܩܘܪܝܢܝܘܣ (Quirinus) *Apoc. V. T.* Κυρηναιοι = ܩܘܪܝܢܝܐ, Ῥωμη = ܪܗܘܡܝ. *Philox.* Γεθσημανη = ܓܕܣܝܡܢܝ, Μωσης = ܡܘܫܝܣ, Ἡρωδιαδα = ܐܗܪܘܕܝܐܕܐ.

44) Τιμη = ܛܝܡܝ, ἀλοη = ܐܠܘܝ, παῤῥησια = ܦܪܗܣܝܐ, στολη = ܐܣܛܠܐ, ῥητωρ = ܪܗܛܪܐ, Ἡρωδης = ܗܪܘܕܝܣ et ܗܪܘܕܣ, Ἰησους = ܝܫܘܥ, Ἰερουσαλημ = ܐܘܪܫܠܡ, Βηθανια = ܒܝܬ ܥܢܝܐ, Ἠλιας = ܐܠܝܐ, Γαμαλιηλ = ܓܡܠܝܐܝܠ, Γεννησαρετ = ܓܢܣܪ, Ἰσραηλ = ܐܝܣܪܝܠ, *Apocr. V. T.* Ἀρβηλος = ܐܪܒܝܠܐ, Maccab. Δημητριος = ܕܝܡܛܪܝܘܣ, quod als. ܝܼ loco ܝܹ habet, Ῥησα = ܪܝܣܐ, ἀμην = nonnunquam ܐܡܝܢ, Σημ, Σηθ = ܫܝܡ, ܫܝܬ, Ἡλιωδωρος = ܗܠܝܘܕܘܪܘܣ, Ῥηγιον = ܪܝܓܝܘܢ, Ἡρωδιωνα = ܗܪܘܕܝܘܢ, Ἡρωδιας = ܗܪܘܕܝܐ.

45) Καμηλος = ܓܡܠܐ, Κανδακη = ܩܢܕܩܝ, Apoc. Ἀρσακη = ܐܪܫܩܝ.

naculorum ad instar apud eam gentem mutari soleant in fine, literae η neque omissio, neque commutatio in ـܶܝ, ܐܳ et ܘ offendat. Deinde si η genuinum ab eo discernatur, quod ex ◌ܶ vel ◌ܷ ortum est, invenies, Graecum ἦτα fere semper in ◌ܺ, Hebraicum ◌ܶ in ◌ܶ conuersum esse. Negari tamen nequit, vtramque lectionem non vbique sibi constare[46]) atque, quod mirandum est, ἦτα Graecae linguae proprium saepissime scriptum esse ◌ܶ, vbi cum spiritu efferendum est, aut ρ adspiratum subsequitur[47]). Polycarpus vero η paene vbique reddidit ◌ܺ aut ◌ܺܝ, ita vt vel syllabas ηλ et βηθ, quae in versione Peschito semper fere ܒܶܝܠ et ܒܶܝܬ sonant, convertat in ܒܺܝܠ et ܒܺܝܬ. Itaque si fides habenda est Em. Tremellio, Trostio, Pocockio, Lud. de Dieu., Gab. Sionitae, Adlero, Polyg. Par. et Lond. editoribus, Ios. Whitio aliisque, qui ad optimorum et antiquissimorum codicum fidem libros Syriacos imprimendos curarunt[48]),

---

46) Vti λῃστης = ܠܶܣܛܳܐ.

47) Exempla posuimus supra. Idem obseruatur saepe post literas θ et δ, ita vt vtramque cum spiritu grandiori pronunciatam credas. Praeter ea, quae nominauimus, reperiuntur: Ἀθηνοβιος = ܐܬܶܝܢܘܒܝܘܣ μαθηματα = ܡܰܬܶܝܡܰܛܰܐ Δηλος = ܕܶܝܠܘܣ exc. Δημας = ܕܺܝܡܰܐܣ al.

48) Cf. Walton. Proleg. c. VI n. 5. et 13. p. 87.

inficias iri nequit, η ad Polycarpi vsum fere vbique, ad Peschito autem plerumque vti ܶܝ et ܶ, exceptis excipiendis, pronunciandum esse.

Arabes in locum η substituunt ـَيْ, ـَ, ـِ et ـِيْ, quod paucis nominibus afferendis probare sufficiat[49]. Si vero ad verborum originem animadvertas, ἦτα genuinum fere semper ـَيْ raro ـَ redditum videbis.

Aethiopes eius loco adhibent vocales tertii, quinti et sexti ordinis[50]. Sed vix pauca

---

49) Psal. *Μανασση* = مُنَسّ *Ἡμαθει* = إِمَاث (al. *Αἱμαθ*) Ies. *Βηλ* = بِيل Dan. *Δηβων* = دِيبُون Euv. *Ἀβιληνη* = أَبِلِيَّة *Ἡρωδης* = هِيرُودُس *Βηθεσδα* = بَيْت حِسْدَا Act. *Φηστος* = فَسْطُس *Δημητριος* = دِمِتْرِيُوس *Γεννησαρ* = جَانَاشَر *Ἰσραηλ* = إِسْرَائِيل *Κρητη* = أَقْرِيطِش *Μιλητος* = مِلِيطُس *Ὀνησιφορος* = أُونِيسِيفُورُس *Δερβη* = دَارْبِين *Κορνηλιος* = كُرْنِيلِيُوس.

50) V. T. *Κηδαρ* = ቄዳር *Ἰσραηλ* = እስራኤል *Ἰωσηφ* = ዮሴፍ *Ἱερουσαλημ* = ኢየሩሳሌም *Σηλωμ* = ሴሎም *Μανασση* = ምናሴ *Ζηβ* =

apud eos in Sc. S. exstant nomina, *η* literis tertii ordinis referentia, quae quidem vulgaria facillime corrumpi potuerunt. Praeterea tenendum est, *ἐ ψιλον* etiam, ea est enim vtriusque vocalis propinquitas, ad sonum *i* passim transiisse [51]. Haud frequentius loco *η* adhibitae cernuntur literae sextae classis, quod vero haud temere factum videtur. Quemadmodum enim duo vnius vocis *ε* ita plerumque notari solent, vt alterum tono producendum literis quinti ordinis, alterum sexti exprimatur, ita duobus etiam *η* in vno nomine comprehensis accidit passim, vt eadem qua diximus ratione scribantur. Ob eam caussam *ἠτα* vbicunque pronunciando corripiendum esset, breuiori vocali bene redditum videtur. Nec omittendum est, *ἠτα* et Graecis verbis proprium, et Hebraicis vocalibus substitutum vno eodemque, scilicet quinto literarum

---

ዜሰ *Μωυση* = ሙሴ *ἀλληλουια* = ሃሌሉያ Ruth. *᾿Ωβηδ* = ኢዮቤድ *Βηθλεεμ* = ቤተ፡ልሔም N. T. *Ἡρωδης* = ሄሮድስ (al. ሃሮድስ) *Κλημεντος* = ቀሌሜንጦስ *Βερνικη* = ብርኒቄ *Βηθανια* = ቢታኒያ (coll. ቢታንያ) *Δημας* = ዴማስ *Δημητριος* = ዴሜጥሮስ *Φηστος* = ፌስጦስ *δηναριον* = ዲናር *᾿Ιωαννης* = ዮሐንስ *Κρητη* = ቀርጤስ *Κηφας* = ኬፋ *ἀμην* = አሜን *᾿Ησαυ* = ዔሳው *Γαμαλιηλ* = ገማልኤል:

51) Exemplo sit *Σεκουνδος* = ሲኩንዱስ.

ordine ab interpretibus Aethiopicis consignatum esse.

Sahitae et Memphitae *η*, quamquam hanc literam plerumque retinuerunt scribendis nominibus[52], haud raro in Ⲉ[53] passim vero, quod mirari licet, in Ⲩ et Ⲓ conuerterunt[54]. Sed huius quidem generis paucissima enumerari possunt exempla, quae, si vel paullulum ponderentur, haud gravis momenti ne dicam flocci sunt iudicanda. Primum enim plura eorum ita subinde corrupta et deprauata sunt, vt vix possint censeri[55], praesertim quum codices, de quibus descripta in lucem prodiere, neque numerosi neque satis antiqui sint. Deinde alia apertis librariorum nituntur erroribus[56], quibus ea adnumeranda videntur, quorum literae duae altera

---

52) Inter alia occurrunt in V. et N. T. *ἠλιας*, *ψαλτηριον*, *μωυσης*, *ισραηλ*, *βηθφαγη*, *βηρσαβεε*, *γεθσημανι*, *κορνηλιος*, *δημας*, *φηστος*, *κανδακη*, *αμην* (Sah. *ἁμην*) *φοινικη*, *κορνηλιος*, *ἡρωδης*, *κρητη*, *ιαμβρης*, *αληθυνον*, *διαθηκη*, *φοιβη*, *αθηναι*, *κλημης*, *κηνσος*, *γαμαλιηλ*, *βηθ* (Sah. *βηδ*), quae syllaba sexcenta nomina incipit, atque paullo aliter scripta, *ιουβηδ*, *ἠσαυ*, *ουνησιφορος*, *τερβη*.

53) *Δημητριος* = *δεμετριος*, *στατηρα* = *σαθερ*, *Γεννηζαρετ* = *γεννεσαρηθ* als. *γεννεζαρηθ*, *Γεργεσηνοι* = *γεργεσενοι*. pl.

54) Vti *στηλογραφια* = *συλογραφια*. *Φηλιξ* = *φιλιξ* et *φιλιкς*. *σκηνη* = *σκυνη*.

55) Exemplo sit *Μιτυληνη* = *μηλητινη*.

56) Ex hoc genere est Copt. *δεμετριος*, quod *διμητριος* scriptum occurrit.

alterius sonum suscepit[57]. Hinc nomina Graeca occurrunt in duo η, vna aut duabus literis interiectis, desinentia, quae cum alterum η constanter ι scribatur ab Aegyptiis, vulgari pronunciationi danda videntur[58]. Alia denique inde ab origine librorum Copticorum forte corrupta sunt, cum mira sit passim in Graecis codicibus MSS. lectionum varietas[59]. Ceterum huius generis exempla perquam rara exstant, ita vt vel eam ob caussam nihil valeant in reliquorum auctoritatem. Itaque etiamsi contortorum et peruersorum nominum, quod negauimus, scriptura sit genuina, iudicandum est, in genere Aegyptios ἦτα, si a verbis paullo frequentioribus, ἐ ψιλῷ loco ῃ scriptis, discesseris, sua litera Graecae simillima reddidisse.

Gothus η scripsit E[60] rarissime EI[61] at-

---

57) *Μιλητος* = Copt. *μηλιτος*.

58) *Ἀβιληνη* = *ἀβιλινη*, *Κυρηνη* = Κυρινη, *Κρησκης* = *κρισκης*.

59) Loco *Φηλιξ*, *Μιλητω* habent codd. al. *Μηλωτω*, *Φιλιξ*· *Κυρηνιος* (Copt. *κυριννιος*) al. *Κυρεινος*. Luc. II, 2.

60) *Ἠσαΐος* = esaias (als. esacias) syllaba *βηθ* et *ηλ* vbique = beth et el, vti bethania, gabriel. Item taitrarkes, gaddarene, ioannes, iosef, iuse, neleis, herodes, salome, amen, praufetes, praufetus, iesus.

61) Vti iairusaleim (als. iairusalem) Mc. XI, 1, quo loco cod. arg. vulgarem lectionem tenet. *Κυρηνιου* Luc. II, 2. (Mc. XV, 21. *Κυρηναιος*) = Kyreinaiu, quo loco cod. ab Vlfila adhibitus haud dubie habuit *Κυρεινος* (Cf. Hug. Einleit. T. I. ed. II. p. 195 ss.) *του Ὠβηδ* = obeidis.

que AI[62]. Cum vero huius generis exempla paucissima sint neque satis certa, vnum restat E ab Vlfila loco η adhibitum.

Armenii denique reddunt hanc literam է[63] atque ե[64]; alia enim vix sunt quae commemorentur[65]. Latini vero maiorum hac in re consuetudinem fere nunquam non retinent, quod, cum satis inter omnes constet, exemplis probare vix opus est.

Itaque eo peruenimus disputando, vt de literis certi simus, quas loco η adhibuerunt Sc. S. interpretes, quasque singulas huic vocali adeo similes fuisse sono necesse est, vt similiores aliae non fuerint. Sunt autem hae ܶ et ܷ, ֵ et ֶ, ـيـ et ـِ, Aethiopum classes sexta et quinta, Ⲏ et Ⲉ, E et AI, է et ե atque e Latinorum. Nominibus enim huc spectan-

---

62) Mat. 11, 21. Luc. 9, 10. Gairgaisaine = *Γεργεσηνων*, baithsaida als. bethsaida.

63) V. T. Azēka, Bērith, Bēl, Sēir, Savē, Bethēl, Iēsu, Bethschalēth, Ierusalēm. al. N. T. Iohannes, Obēth, Solathiēl, Iosēph, Krēskēs, Manassē, Ĕmmanuēl, Bĕrnikē, Dĕrbē, Iannēs, Iambrēs, Ioppē, Pĕrgē, Iĕrusalēm, amēn, Kornēlios al.

64) Dĕmĕtrios, Bĕrsabēē, Hĕrodēs, Ĕsaias, Bĕthania, Bĕthsaida, Dĕmas, Onĕsiphoros, Elia, Phĕliks, Phĕstos, Krĕtadsi, Kyrĕnios, Manajĕn, Kyrĕnadsi, Nikodĕmos, Dĕmas, Onĕsimos, *πηγανον* = pĕgĕnon, *ἐκκλησια* = ĕkĕlĕsi. al.

65) Quae offensionis aliquid habent nomina in N. T. haec sunt: *Μιλητος* = Melitos, *βηρυλλος* = բիւրեղ *Μιτυληνη* = Mitilinĕ, *Φιλημων* = Philimon, *Γεθ-*

tibus illis, si opus esset, facillime sexcenta, quod denuo moneri debet, alia idem probantia addi possunt. Iam videamus, quid de sono harum literarum inueniri et probari possit. Illud vero non alienum est praemonere, singulis illis gentibus nisi plures, certe quinque vocales has:

a e i

o u

communes cum ceteris in vsu fuerint necesse esse. Cum enim vel plura vocalium signa apud illas reperiantur, cumque hae vocales facillime ab omnibus etsi barbaris et incultis secerni possint ac debeant, eaedemque non nisi certo atque definito modo apud omnes, quod accurate demonstrauimus ante (§. 6), ex ore humano nascantur; inde perquam probabile est, has quidem vocales singulas sua in illis linguis nactas esse signa atque earum etiam sonum apud omnes primum fuisse eundem. Literas vero sonantes illis nationibus praeter has vsitatas quod

---

σημανη = Gethsēmani, *᾿Αβιληνη* = Abilinē. Sed monendum est primo, saepissime duas vnius verbi vocales ita commutari solere, vt altera in alterius locum constituatur pronunciando, scribendoque. Deinde quaedam ex istis nominibus vsu corrupta videntur vulgari; inprimis vero tenendum, Armenios aeque atque Aegyptios codices adhibuisse ex familia Alexandrinorum (Cf. Hug Einleit. T. I. ed. II. p. 190 s.), in quibus partim scripta reperiuntur *Μηλωτῳ* (A.) *Μελιτη* (Coni.) *Γεθσημανει* (D. Alii.) *Αβιλινη* (C. Alii). Praeterea vel *ε* in Ի siue *ι* conuersum reperitur, vt *῾Ερμογενης* = Hĕrmoginēs.

attinet, eas quidem aut sono illis interpositas aut temporis ratione ab illis diuersas fuisse credibile est. Non enim nisi duplex caussa est inueniendi et pingendi literas vocales, vocalium scilicet, sonos dicimus, discrimen atque quantitas. Cauendum itaque, ne in eam opinionem adducamur, vt putemus, aliis gentibus aliud fuisse *a* vel *e* vel *i*, imo certissimum videtur, literas יִ, يِ, ܝ, ꜧ, vt hoc vtamur, si significarunt *i*, sono inter se aequales et pares fuisse, quod bene tenendum est per totum libellum.

Iam vero in oculos quasi incurrit, *ἦτα* ab interpretibus plurimis non *i* pronunciatum fuisse, alioquin enim literis יִ, ı, i, I, ꜧ et ኢ, quae apud illos nunc producuntur nunc corripiuntur, reddidissent haud dubie vocalem *η*. Quam ob caussam grauissime errant ii, vtut doctissimi, qui eam literam vllo tempore vlloque loco aliter, atque nunc fit in Graecia, pronunciatam negant, quique bene recteque eloqui Graeca credentes omnium saeculorum libros Graecos ita recitant, vt *η* vernaculum *ι* referat. Sed quis fuit illarum literarum sonus, atque eo quidem tempore, quo Sc. S. primum in istas linguas conuersa traditur? Age, videamus. Primo loco monendum est, sonare nunc, vel sonuisse non ita pridem ፔ, Aethiopum classem V*tam*, e Italum = ē atque ĕ; Ꞓ, Aethiopum classem VI*tam*, ኤ = ë; ȝ = ē; н = ē vel *a* An-

glicum; ـِـ ـِي = *i*[66]. Cum vero ـِ nunc = *e*, nunc = *i*, sonet, sponte intelligitur, hanc vocalem multum ambiguitatis habere; neque vero praetermittendum, in Aegypto eam teste Herbinio constanter pronunciari *i*[67]. Deinde respondet, vti vidimus, apud interpretes ἐ ψιλον literis ܶ, ܶ, Ⲉ, Aethiopum classi quintae, ቤ, AI et e Latino, contra ἰωτα literis ـِي et ـِـ, ex quo sequitur, η, vbicunque vna ex his vocalibus redditum cernatur, pronunciatum fuisse partim vti ε, partim vero ut ι. Restat itaque de ֵ, Ⲏ, Է, ቤ, videre. Ac primum commemorandum est, has literas passim loco ἐ ψιλου positas esse[68], ex quo intelligitur, eas

---

66) Cf. Tigurin. Institut. linguae Syr. Lugdun. Bat. 1594. p. 9. ss. Michaelis et Iahn Gramm. Syr. l. c. Ludolf. Gramm. Aethiop. l. c. Scholtz. Gramm. Aegypt. l. c. Agop. Gramm. Armen. Sect. IV. de arte metrica. Artic. II. de quantitate syllabarum p. 291. ei. Gramm. Lat. p. 3. Tradunt tamen Walton (Proleg. in B. P.) et Schroeder (Thesaur. Gramm. p. 7 s.) ቤ sonare nunc = *ĭe*, et vero = ቤ in Georgia (Thes. p. 304). Michael. Arab. Gr. p. 57. Rosenmüller Institt. Ling. Arab. 1818. p. 37.

67) Herbin. Developpemens des principes de la langue Arab. modern. Paris 1803. Praef. p. IV. Specimen vide in Rosenmüller. Institt. p. 38.

68) Pent. עֵילָם = Ἐλαμ, Ios. לֵוִי = Λευι, Chr. אֶלְדָּעָה = Ἐλαθα. Veneta imprimis constanter ֵ reddit ε. Γεννησαρετ = Copt. γεννεσαρηθ, του Γαρεδ = jaredis, Ἐλιουδ = Eliud, Ἐμμανουηλ = Emmanuēl, Ναζαρηθ = Nazarēth. Plura vid. ante §. 2. c. I.

nisi eadem, certe simili potestate fuisse atque *ε*; quod si vero similes sono fuerunt *ἐ ψιλῷ*, sequitur, *ἠ* etiam simili modo atque *ε* tunc temporis fuisse pronunciatum. Deinde ֵ redditur in genere quidem a Syris ܶ, ab Arabibus ـَ, ab Aethiopibus classe quinta, ab Armeniis է, a Latinis vero, quod probe tenendum est, constanter *e*[69]. Verba enim Semitica, quae contra sunt hac in re, ea vel communem habuisse videntur cum Hebraicis fontem, vnde dialecti istae profectae sunt, vel ex vsu vulgari traxisse vitium.

At vero quid iam statuendum est de ⲏ Coptorum? Multorum enim sententia est, sonare hanc literam omnique tempore sonuisse *i*, quod partim ex nominibus literarum quarundam Copticarum, partim ex variis Sc. S. lectionibus vocaliumque commutatione collegerunt[70]. Sed quamquam negari nequit, nominum in libris Copticis scripturam permultis in locis parum sibi constare, literasque ⲏ, ⲃ, ⲍ, ⲑ vulgo pronunciari Hida, Vida, Zida, Thita; tamen haec argumenta non tanti sunt, vt omnem de sono vocalis ⲏ tollant dubitationem.

---

69) Syllabae בֵּית et אֵל plerumque = ܒܶܝܬ et ܐܶܝܠ, אָמֵן = አሜን, דָּנִיֵּאל = دَانِيَال גֵּיא = գէ E Latinis vnum laudare sufficiat Hieronymum.

70) Cf. Wetsten. Oratt. apol. p. 151. Didymi Taur. lit. Copt. rud. p. 45.

Quod enim obseruatum est, Graecorum, Anglorum, Romanorum aliorumque populorum *e* passim abiisse subinde ad *i*, id fortasse accidit Aegyptiorum etiam *e*, praesertim cum ea gens communem fere cum Graecis habuerit casum. Seruitio enim atque socordia pessumdatur os, erigitur libertate. Literas vero Ⲏ, Ⲩ, Ⲓ inter se commututas quod attinet, monendum, eius generis exempla esse rara; deinde Aegyptios codices Alexandrinos, qui passim a reliquis differunt lectione, adhibuisse vertendo, et vero Wilkins ac reliquos MStis neque multis neque satis antiquis vsos esse[71]. Quam ob rem verba a vulgari ratione aliena, vti accidit codicibus Graecis aeui serioris, serius demum, corrupta pronunciatione Graeca aut Coptica, a librariis male emendantibus aut parum attentis corrumpi potuerunt; neque vero, quod commutatum cernitur, vt his vtar, Ⲓ in Ⲏ, inde sequitur, vtramque vocalem eundem habuisse sonum, quoniam altera alterius in certis verbis subire potuit potestatem. Praeterea Bernardus atque Petraeus, viri fide dignissimi, Ⲏ siue consona, siue vocali sequente pronunciari audierunt in Aegypto vti *e* atque *a* Anglicum, in quorum auctoritate acquiescere sufficit[72]. Quod si enim primo so-

---

71) Cf. Wilkins Proleg. in N. T. Copticum Cap. II, pag. VI ss.

72) Ludolf. Gramm. Aeth. ed. II. App. III p. 184. Petraei Ps. I. Copt. Arab. et Lat. Lond. 1659.

naret haec literae *i*, non mutaretur bene necesse erat, mutato sono, nisi in ȣ atque ⲉ; iam vero cum ⲏ abierit nunc ad *i* nunc ad *a*, vocales maxime propinquas, atque commutari soleat cum literis ⲉ, ⲁ, ⲉȣ, in dialecto Sahitica verborumque flexione[73]; vix ac ne vix quidem est quod dubitemus, germanam huius literae pronunciationem esse *e*.

Gothorum literam E significare *e*, haec habemus argumenta. Figura huius vocalis eadem plane est atque Graecorum *ἐ ψιλον* aetate Vlfilae, vel auctoris codicis Argentei MSS.[74]. Deinde vtraque litera, eundem locum inter eadem Gothorum et Graecorum signa obtinens, numerum quintum significat. Accedit, quod caruissent Gothi vocali *e*, si non ea potestate fuisset E. Cum enim Vlfilas, neglecto *η*, reliquas Graecorum vocales receperit suoque numero et figura seruauerit, neque vlla fere lingua quinque vocales, quippe facillime secernendas illas auditu,

---

73) Cf. Ludolf. l. c. p. 183. n. 3. Exempla ponamus *ἀφε, ἀπε*, pl. *νιαφηουι, ἀπηυε; βεχε*, pl. *νεβεχηουι, νιϱεμητ* = *νιϱεματι, δανη* pl. *νιδανευ* coll. *ἅε* pl. *ἐνάεευ* et *ἐνάὲ*, Ⲏ, quod in fine verborum fit ⲉ ante suffixa. Accedit quod aliae nationes hanc literam hocce modo seruarunt, aut affinibus reddiderunt. Cf. Gesen. Gesch. d. Heb. Spr. p. 59 ss. Didym. Taur. lit. Copt. rud. p. 8 ss. als.

74) Cf. Sig. Haverc. Diss. de lit. Gr. Syll. I. p. 248. Hug. exempla e cod. E Basil. et L. Paris. 62. ad. ei. Einl. ed. II. col. Zahn. Einleit. in Vlf. Bib. p. 35 ss.

non habeat; sponte quasi intelligitur, E significasse *e*. Denique vero E sonum retinuit plurimis in verbis Germanis, similique modo atque *e* vernaculum in casu nominum adhibitum aliisque vocalibus commutatum cernitur[75].

De Armeniorum denique Է in promtu est, quid dicamus. Seruauit nimirum Misrob Graecarum literarum, quamquam nouas et singulares passim interposuit, et numerum et ordinem ita, vt Ե loco ε positum numerum quintum, Է vero loco η septimum significet. Quàm ob rem probabile est, cum ad hanc vsque literam Graeca series eadem sit atque Armeniaca, Ե sonuisse ε, Է vero η. Iam vero ita vsi sunt interpretes Armenii duabus his literis, vt vtraque, quod antea demonstratum est, nunc ἒ ψιλον nunc ἦτα significaret. Cum vero literis Ե et Է alias ε, alias η certas quasdam ob caussas expressum sit, inde intelligitur, mittamus

---

75) Exempla nominemus: andnemum (annehmen), bedun (beteten), the (der, Angl. *the*), letan (leten platt.), ne (ne platt), spedista (späteste), wenjan (wähnen), mes (mensa). Hinc E additur casibus genitiuis et datiuis, quod item fit in Germania, vt wig, wige; goda, godane; atque oritur ex I, vti nostrum *a* ex *e* in verbis: itan, lisan, niman, giban al., quorum praeterita sonant: etun, lesun, nemun, geban; nec non loco AI scribitur: taihun, sibuntehund al. Quod vero E et EI passim in Cod. Arg. commutantur cf. Zahn Vlfil. Goth. Bib. Anhang p. 2 et 4.

enim, vtramque literam referre Hebraeorum ֲ, ֶ et ֳ [76], vocalem ቤ vocali ቢ, hinc vero η sono quidem ἐ ψιλῷ fuisse simile.

Processit itaque iam eo disputatio, vt cognitum habeamus, interpretes Graecos, Aegyptios, Latinos, Gothum, Aethiopes et Armenios η pronunciasse e, Syros vero et Arabes, de quibus infra denuo videndum erit, plerumque verborum i. Sed ne media via subsistamus atque rem deseramus quasi in vestibulo, paullo subtilius quaerendum videtur. Possit enim η, quamquàm simile fuerit ἐ ψιλῷ, ita sonuisse, vt accederet vocali i aut a, vti Anglicum a; deinde vero, si sono quidem η et ε eadem essent, non improbabile est, temporis quantitate alterum ab altero fuisse diuersum. Hoc loco primum cauendum est, ne Graecos nimis fuisse credamus subtiles in pronunciando audiendoque neque nimis accuratos, quod tenendum est, in scribendo. Cum enim IX sint vocales praecipuae nec nisi cultissimae artiumque humanitate eruditissimae nationes totidem excogitauerint, quibus eas exprimerent, signa; inde admodum probabile videtur, Graecos etiam quo tempore diligentius linguam coeperunt perpolire, id primum maximeque curasse, vt loco quinque

76) גֵּיא = gĕ, הַלְלוּיָהּ = hallēluia, פְּרִי = bĕr, كِرْبَاس = kĕrbas.

vocalium nouem, mediae inter eas partim, inuenirentur et reciperentur in vsum. Quam ob rem sonus literae η ex iis fuit haud dubie, quos in tabula infra §. 6. exposuimus, neque vero inter binas velut inter *e* et *i*, *e* et *ä*, *e* et *ö*, *e* et *ü* pronunciando medius. Quamquam enim non a vero abhoret, deflexisse hanc literam a legitima ratione in nonnullis verbis ita, vt cuidam ex istis vocalibus propinquior audiretur; verisimile tamen non est, eam eiusmodi sonum constantem et vulgarem habuisse. Quodsi enim Graeci adeo subtiles fuissent, vt vocalem quandam inter duas ex istis mediam singulari litera significarent, non dubito quin sonos etiam inter reliquas binas aeque facile percipiendos scribendo notassent, quo facto nouae literarum sonantium classes plurimaeque partes, quae desunt apud Graecos, essent reperiendae. Deinde sponte intelligitur parum, quo modo η ab ε distulerit, cognosci posse ex lingua Syriaca, Aethiopica atque Latina, quippe aut vtramque literam, aut η et ι vno tantum reddentibus signo. Videamus ergo de reliquis. Hebraeorum ◌ֵ et ◌ֶ atque Armeniorum է et ե non nisi temporis ratione inter se diuersa fuisse, facili negotio probari posse videtur. Oriuntur enim ◌ֵ ex ◌ֶ atque է ex ե in casu verborum producendis, contra ◌ֶ et ե ex ◌ֵ et է corripiendis 77).

---

77) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 162. §. 45. b. p. 154. n.

Huc accedit, quod Armenii reddunt vtraque litera אֵ et אֶ Hebraeorum atque η et ε Graecorum, quodque Graeci, excepto versionis Venetae auctore, qui η rarissime adhibet, literis η et ε Hebraeorum אֵ et אֶ exprimunt. Ex quo quidem sequi videtur, vocales אֵ, אֶ, է, ե, η, ε, quamquam minime negatur, singulas eas passim affinium habuisse potestatem, sono quidem inter se non fuisse diuersas. Gothorum AI et E eadem fuisse ratione, haec habemus argumenta. Scilicet promiscue adhibentur eae literae passim in Cod. Argent., deinde parem habent vsum, porro oritur vtraque ex A, EI et I aut abit ad easdem literas in flexione verborum atque parem sonum retinuit nunc, aut subiit[78]. Simile quiddam cadere in Aegyptiorum Ⲏ et Ⲉ, satis ex iis cognoscitur, quae

2. p. 169. §. 47. n. 2. 3. 4. 5. Schroed. Thesaur. cap. X. p. 37 II. 55. Exempla tantum Armeniaca nonnulla apponamus: ĕm, ē, ēch; Athĕns, (col. Աթենացիքն) Athĕnazikn; Krĕtē, Krĕtĕaj; Kyrēnē, Kyrĕnazi.

78) Cf. Zahn. Gramm. Goth. ad Vlfil. Bib. p. 4. Adhibentur AI et E ad casus verborum, vti nunc fit, significandos. Oriuntur hwe ex hwa, gesti ex gast, setun ex sitan, vti spaiw ex speiwan, draib ex dreiban, habais ex haba, alia. Verba etiamnum vsitata nonnulla ex hoc genere sunt: laisaris (Leser), stains (steen platt.), airtha (Erde), staiga (Steg), hairda (Herde), jaina (jehne), baitrs (bitter). Nomina, quorum litera *e* sonum pari modo seruauit aut integrum, aut immutatum haud valde, attulimus antea.

tractauimus àntea. Quas quidem ob causas admodum probabile est, binas istas vocales aeque atque Graecas η et ε, cum sono altera ab altera haud distulisse videatur, non nisi temporis modo diuerse inter se tunc fuisse pronunciatas. Iam vero constat, Hebraeorum ◌ֵ, Armeniorum է et Gothorum E, mittamus enim reliquos, referre *e* productum, contra ◌ֶ, ե et AI *e* correptum. Adhibuerunt enim Hebraei ◌ֵ, vbicunque pro huius linguae natura ē requiritur, atque ◌ֶ loco ĕ. Idem obseruatur apud Armenios, qui etiamnum syllabas vocali է scriptas producunt carminibus recitantis, atque eas corripiunt, quae habent literam ե. Vocalem vero AI rapidius quam E a Gothis pronunciatam fuisse, ex eo intelligitur, quod illa in syllabis reperitur, quae, cum verborum Gothicorum accentus et modus idem fere sit atque Germanorum, corripiendae sunt hodie, haec autem locum habet in syllabis productis, quodque AI, minime vero E, contrahendis nominibus passim abiicitur[80]. Quas quidem ob caussas, cum ἦτα respondeat literis ◌ֵ, է et E, ε

---

79) Sufficiant ad probandum nomina: andanehms (angenehm), unsels (unselig), faifah, faifalth, saislep, quae a verbis fahan, faldan, slepan orta in fronte creuerunt fere vti praeterita verborum Germanorum. Ex nominibus contractis afferamus vocabulum thizei, quod alias sonat thaizei. Exempla nonnulla, quae contra sunt hac in re, haud offendunt ob paucitatem.

ψιλὸν vero ∵, ቴ et AI, admodum probabile est, vtramque literam interpretum horum aetate ita inter se diuersam fuisse, vt *η* longum clarumque e, *ε* vero breue et obscurum pronunciatu significaret, quod optime ex lingua Latina atque Romanorum carminibus habemus cognitum.

Denique vero quaeri possit, qui factum sit, vt apud omnes fere, si a Latinis discesseris, interpretes *η* duplici modo redditum reperiatur. Primo quod attinet Syros et Arabes, in promtu est, de iis quid dicamus. Cum enim interpretum plurimorum consensu *η* non possit, nisi seriori demum tempore aut singularem quandam apud gentem sonum *i* percepisse, neque vero certa quaedam vocalis in omnibus vocabulis parem vicem continuo subire soleat; non mirum est, *η* genuinam atque germanam potestatem nonnullis in verbis Syriacis et Arabicis retinuisse. Gothus rarissime *η* corripuit, ita vt de eiusmodi scriptura, quae sibi ne constat quidem, iudicari vix possit. Quam ob rem probabile est, Vlfilam id maxime curasse, vt literae *η* et sonum et quantitatem sua in lingua seruaret. Quod vero Aegyptii atque Aethiopes ab orthographia Graeca hac in re passim recesserunt, id eo consilio factum videtur, vt numerus verborum quorundam Graecorum, aut accentuum potestas, aut popularium vsus paullo immutatus vernacula lingua exprimeretur. Quodsi

enim verba, quae ex hoc genere sunt, accuratius inspiciantur, apparebit, ἦτα litera Ɛ atque sexta Aeth. vocalium classe redditum plerumque nunc quidem accentus caussa paullo velocius pronunciandum esse. Porro, interpretes librorum Hebraicorum Graecas literas η et ε passim male adhibuisse, non mirum est, cum facillime ii, vti demonstrauimus, a legitima vocalium Hebraicarum ratione dissentire potuerint et debuerint. De auctore versionis Venetae autem quomodo existimandum sit, videbimus infra. Iam vero quid fuit, inquis, quod Armenii η atque ε nunc litera է nunc ե scripserunt? Primo memorandum est, eam gentem ita plerumque sua enunciare verba, vt vltimam syllabam attollant. Quam quidem ob rem cum reddendis nominibus popularium consuetudini satisfacerent necesse esset, operam dedisse videntur, vt verborum in exitu aptas adhiberent vocales. Ex quo factum videtur, vt η pariter atque ε, si continerentur vltimis verborum syllabis, litera է reddita sint. Deinde, cum lingua Hebraica Armeniis non aliena fuerit, non mirandum est, Hebraicorum verborum etiam numerum, inuita scriptura Graeca, passim seruatum esse. Denique vero, quod plurimis demonstrari potest, verborum etiam Graecorum inprimis in vulgus notorum modus, neglecta orthographia Hebraica atque vernacula, accurate ab Armeniis cernitur expressus.

§. 2. AI.

Venimus nunc ad Graecae scripturae signum quoddam e duabus vocalibus compositum, quod a grammaticis cum veteribus tum recentibus in diphthongis numeratur atque ab iis, qui primi de germano Graecarum literarum sono disputarunt, vti vernaculum *ai* pronunciandum iudicatur. Videamus iam, vtrum Sc. S. interpretes eas literas variante oris habitu pronunciauerint, ita vt vtraque vocalis diphthongorum more sonaret, an constante, ita vt simplex vocalis siue aliqua ex quinque illis iamiam commemoratis, siue alia quaedam in tabula exposita audiretur. Adhibuerunt Graeci interpretes literas *αι* loco Hebraeorum ◌ֵ, ◌ֶ, ◌ֱ atque ◌ַי et ◌ֵי [90]; nolumus enim reliqua af-

---

90) עֵילָם = *Ἀιλαμ* (al. *Ἡλαμ*), אֵילוֹת = *Ἀιλαθ*, Pent. בְּעוֹר = *Βαιὼρ*, Pent. Ios. בֵּיתהָרָן = *Βαιθαῤῥαν*, Hos. Reg. בֵּיתאָוֶן = *Βαιθαβεν*, Iud. בֵּיתבָּרָה = *Βαιθβαρα*, Reg. בֵּיתכָּר = *Βαιθχορ*, Pent. Paral. Iud. Reg. בֵּיתאֵל = *Βαιθηλ*, Ios. בֵּיתהַגְלָה = *Βαιθαγλα* (al. *Βηθαγλα*), Ios. Paral. בֵּיתחֹרוֹן = *Βαιθωρων*, Reg. בֵּיתמַעֲכָה = *Βαιθμαακα*, Ios. Iud. Proph. בֵּיתשֶׁמֶשׁ = *Βαιθσαμης* (al. *Βεθσαμες*), Iud. בֵּיתהַשִּׁטָּה = *Βαιθασεττα*, Pent. קֵינָן = *Καιναν*, Reg. בֵּיתעֵקֶד = *Βαιθακαδ* Pent. קְנַז = *Καινεζ*, Reg. Par. עֶגְלָה = *Ἀιγαλ*, (V. Egla) Propht. עֵילָם = *Ἀιλαμ*, Pent. אֵילִם = *Ἀιλιμ*, Proph. עֵינוֹן = *Ἀιναν*, Reg. Paral. אֵיתָן = *Ἀιθαν*, Reg. Paral. הֵימָן = *Ἀιμαν*, Ios. Proph. מֵפַעַת = *Μαιφαθ*, Paral. שְׁגֵא = *Σαγαι*, Par. Esd. תֵּימָא = *Θαιμαν*, Ios. בֵּיתעֲנָת = *Βαιθαναχ*, Proph. בֵּיתכֶּרֶם = *Βαιθαχαρμα*, Pent. מֵיזָהָב = *Μαιζοωβ*, Pent. Ios. בֵּיתהָרָם = *Βαιθαραμ*, Pent. os. Iud. אֵילוֹן

ferre excipienda [91]. Syri literas *αι* reddiderunt ܶ atque ܶܝ et ܐܝܶ [92]; Aegyptii Ⲉ atque

---

= *'Αιλων* (al. *'Ελων.*), אֵיתָן = *'Αιθαμ*, תֵּימָן = *Θαιμαν*, Orig. Hexap. *'Α. Σ. 'Ε. Δαιμαν*. Versio Veneta עֵילָם = *'Αιλαμις* (ὁ *'Αιλαμ*) eiusque generis alia plurima. Porro אֲבִיגַיִל = *'Αβιγάϊλ*, אֲבִיחַיִל = *'Αβιχαια* (Vulg. Abihail), אֲבִישַׁי = *'Αβεσσαϊ*, עַיִן = *'Αϊν*, Proph. יִשַׁי = *'Ιεσσαι* (Vulg. Iessai al. Isai), Orig. Hexap. מַיִם = *μαϊν* לְהָאִיר = *λαϊρ*, Vers. Venet. יִשַׁי = *'Ισαϊς*.

91) Vti אַלּוּשׁ = *'Αιλους* (Vulg. Alus, (אֲנָמִים = *'Αινειμειμ* (V. Anamim), Ios. בַּהַן = *Βαιον*, Paral. כִּידֹן = *Χαιδων*, Pent. דִּיבֹן גָּד = *Δαιβωνγαδ*, Paral. Reg. גַּת = *Γαιθ* (V. Geth.), נַחֲמָנִי = *Ναιμανι*, Pent. אוּזָל = *'Αιβηλ* al. *'Αιζηλ*, Orig. Hexap. גִּיחוֹן = *Γαιω* (ὁ *Γεον*) *'Ακ.*, עֵנָה = *'Αινας* (ὁ *'Ανα*).

92) Exempla ponamus ex Pesch. *πραιτωριον* (praetorium) = ܦܪܶܛܘܪܝܢ, *καισαρ*, *καισαρας* = ܩܶܣܰܪ, ܩܶܣܰܪܣ, *αἱρεσεις* = ܗܶܪܶܣܝܣ, *αἱρετικος* = ܗܶܪܶܣܝܩܐ, *Καισαρεια* = ܩܶܣܰܪܝܐ, *κεφαλαιον* = ܦܶܠܐܘܢ, Apoc. V.T. *Βαιθσουρα* = ܒܶܝܬܨܘܪܐ, *Βαιθζαχαρια* = ܒܶܝܬܙܟܪܝܐ, *Παλαιστινοι* = ܦܠܶܣܛܝܢܐ ∴ ܦܠܐܘܢ, Vers. Philox. *Φαρισαιοι* = ܦܪܶܝܫܶܝܗܝܢ, *Σαδδυκαιων* = ܙܰܕܘܩܶܝܘܢ, *πραιτοριον* = ܦܪܶܛܘܪܝܘܢ, Pesch. porro: *Καϊναν* = ܩܶܝܢܢ, *Ζεβεδαιος* = ܙܒܶܕܝ, *Ματθαιος* = ܡܰܬܰܝ, *Βαρθολομαιος* = ܒܰܪܬܘܠܡܰܝ, *'Αχαΐα* = ܐܰܟܰܝܐ, *'Ησαΐας* = ܐܶܫܰܥܝܐ, *Ναϊν* = ܢܳܐܝܢ, *Γαϊος* = ܓܳܐܝܘܣ, Polycarp. *Καϊφας* = ܩܳܝܳܦܐ. Paullo aliter scribuntur: *καιρος* = ܩܶܐܪܘܣ,

ܝܐ[93]; Aethiopes quinto literarum ordine atque literis primi aut quarti cum ዩ coniunctis, quas, sequente vocali, ዩ omnium classium suscipit[94]),

---

Νικολαΐται = ܢܝܩܘܠܐܝܛܐ, *᾽Αθηναι* = ܐܬܝܢܘܣ, atque ܐܬܝܢܘܣ, (Cf. Iahn. Gramm. Aram. 1820 p. 9.) *᾽Αινων* = ܥܝܢܘܢ, *Λασαια* = ܠܣܝܐ, *᾽Αινεας* = ܐܝܢܝܣ, Apocr. *Μαισαλωθ* = ܡܝܣܠܘܬ (Vulg. Masaloth), *Πτολεμαιος* = ܦܛܘܠܡܐܘܣ, *᾽Αινων* = ܥܝܢܘܢ.

93) Sahitica *μαθθαιος*, *γαλιλαια*, *ζεβεδαιος*, *φαρισαιος*, *ῥωμαιος*, *καιφας*, *ἐφραιμ*, *οὐδαια* (*Ιουδαια*), alia, quae scripta sunt vti Graeca. Ex versione Coptica V.T. sunt: *Ιδουμαιος*, *᾽Ιδουμαια* = ϩⲩⲇⲟⲩⲙⲉⲟⲥ, ϩⲩⲇⲟⲩⲙⲉⲁ, *᾽Εφαΐμ* = *ἐφρεμ* (al. *ἐφρεεμ*) *᾽Ιεσσαι* = *ἰεσσε*, *᾽Αιμαν* = *ἐμαν*, *᾽Αγγαιος* = *ἀγγεος*; N. T. *Ματθαιος* = *ματθεος*, *᾽Αθηναιος* = *αθηνεος*, *᾽Ελισαιος* = *ελισεος*, *᾽Ιουδαια* = *ιουδεα*, *Κυρηναιος* = *κυριννεος*, *Καισαρεια* = *κεσαρια*, *Γαλιλαια* = *γαλιλεα*, *Λεββαιος* = *λεββεος*, *Θαδδαιος* = *θαδδεος*, *Σαδδουκαιοι* = *σαδδουκεοι*, *Ναγγαι* = *ναγγε*, *Βαρθολομαιος* = *Βαρθολομεος*, *᾽Αινων* = *ἐνων*, *᾽Αχαΐα* = *αχαὶα*, *Γαΐος* = *γαιος*, *Ναΐν* = *ναιν*, *και* = *κε*, *Νικολαΐτης* = *νικοκαὶτης*, *Καΐν* = *καιν*, *Ιεσσαι* = *ιεσσε*, *Βηθσαιδα* = *βηθσαὶδα* aliaque plurima. Aliena sunt *᾽Αιθαμ* = *αθαν* (Ps. 89), N. T. *Μαΐναν* = *μεναν*, *᾽Εφραΐμ* = *ἐφρεμ*, *᾽Ιουδαιος* = *ιουδαι*, *᾽Ησαΐας* = *ἠσαὴας*.

94) Versio V. T. *᾽Εφραΐμ* = ኤፍሬም, *Ιεσσαι* = እሴ (als. = እሴይ), *Ζειφαιοι* = ዚፌዊያን, *Χελαιων* = ኬሌዎን, N. T. *᾽Αχαΐα* = አኪያያ, *᾽Αινων*

Arabes literis ـَـ, ـِـ atque ـَيْـ [95]; Gothus AI et AEI [96], Armenii literis է et ե atque այի [97]

= ሔኖን, *Βαρθολομαιος* = በርተሎሜዎስ, *Ματθαιος* = ማቴዎስ, *Θατθαιος* = ታዴዎስ, *Γαϊος* = ጋዩስ, *Ναϊν* = ናይን, *Ἡσαϊας* = ኢሳይያስ, *Αινεας* = ኤኔያ, *καισαρ* = ቄሳር, *Βηθσαϊδα* = ቤተ፡ሳይዳ, alia. A vulgori scriptione recedunt: *Καϊφας* = ቀያፋ, *Αἰθιοψ* = ኢትዮጵያ, *Καισαρεια* = ቂሳርያ, *Ἀθηναι* = አቴና.

95) Exempla verborum ex Graeca lingua in Arabicam conuersorum ponamus: *Γαιφα* = جِفَا, *Εφραιμ* = إِفْرَام *Ἐλισαιος* = اَلْيَشَعْ Ex N.T. *Ἀθηναι* = أَثِينَا *Καισαρια* = قَيْسَارِيَّة *Βηθσαϊδα* = (Pers. صيادا) بَيْتُ صَيْدَا *Αχαϊα* = أَخَايَا *Βαρθολομαιος* = بَرْتُلُومَاوُسْ *Ματθαιος* = مَتَّى *Θαδδαιος* = تَدَّاوُسْ *Αενεας* = إِنَاءَ eiusque generis alia.

96) Huc spectant: *Ἀριμαθαια* = araimathaia, *Βαρθολομαιος* = barthaulaumaius, *Βαρτιμαιος* = bartimaius, *Βηθσαϊδα* = bethsaida, *Θαδδαιος* = Thaddaius, *καισαρ* = Kaisar, *Ἡσαϊας* = esaeias (rarius esaias), *Μαϊναν* = maeinan, *Καϊν* = kaein atque eodem modo scripta: galeilaia, jaissais, idumaia, nazoraiùs, zaibaidaius, zakkaius, *δαιμονια* = daimonarjans, *πραιτοριον* = praitoriaun, alia.

97) Vti (V.T.) *Βαιδηλ* = Bĕthēl, *Αιγυπτος* = ˇEgiptos.

Latini denique ae atque ai, rarissime e, quod cum satis inter omnes constet, vix opus est exemplis comprobare[98]. Hinc itaque sponte intelligitur, interpretes omnes ac singulos duplici modo literas Graecorum *αι* pronunciasse, ita scilicet, vt nunc vna eaque simplex vocalis, nunc duae coniunctae vel disiunctae pronunciando audirentur. Cum vero vocales ܶ, ܷ, ܹ, ܸ, ϵ, ኤ, ֶ, ֵ, AI, ⲉ, ⲏ, *e* sint eae, quibus interpretes aut *ε*, aut *η*, aut vtrumque significarunt; contra vero literae compositae ܰܝ, ܳܝ, ܰܝܼ et ܰܝ, ⲁⲓ, አይ, አይ, AEI, ـَيْ, այի sin-

Βαιθβασι = Bĕthbĕsi, *Βαιθχαληθ* = Bĕthchalēth, *'Αιλαμ* (Cod. A.) = ¯Elam, *'Αιρεμ* = ˘Erĕm, *Βαιθαναμ* = Bĕthanam, (N. T.) *Γαλιλαια* = Galilēa, *'Ιεσσαι* = Iĕssē, *Ματδαιος* = Matthēus, *'Αιγυπτος* = ˘Egiptos, *'Αινεα* = ˘Ena, *'Αιθιοψ* = ˘Etheopatsi, *Βαρθολομαιος* = Barthulimĕos, *'Αλφαιος* = Alphĕos, *Λεββαιος* = Lĕbēos, *Βαρθιμαιος* = Barthimēos, *Βεθσαϊδα* = Bethsajida, *καισαρ* = kajsĕr, *Καισαρεια* = Kĕsarĕa et Kĕsaria, *'Ελισαιος* = ˘Elisēos, *'Επαινετος* = ˘Epĕnĕtos, ˘Esaja, Galilēa, *Γαϊος* = գայիոս, *Γαλιλαιος* = գալիլեայի, *Ιεσσαι* = Iĕssē, *Ναϊν* = Najin, *Πτολεμαϊδα* = Ptolemajida, Thimēos, *Ζαχαιος* = զաքէոս, *Ζεβεδαιος* = զեբեդեոս, *Μαϊνα* = Mĕnna. Paullo aliter *Καϊν* = կայեն, *'Αινων* = այենովն, *'Υμεναιος* = յիմենէոս.

98) Exempli caussa: *'Ιεσσαι* = Iesse (alias Isai) *Γαϊος* = Caius (Vet. Ital. Gaios) *'Αιλαμ* = Aelam (Vet. Ital. Haelam).

gulae disiunctae quaeque ad vocalium *α* atque *ι* sonum proferendum abhibitae sint, inde sequi videtur, *αι* sonuisse horum quidem Sc. S. interpretum aetate nunc vt *ε* et *η* siue, vti demonstrauimus ĕ̆, nunc vero vti *aï* sive ai vernaculum, in quo quidem paullulum nunc acquiescamus. Priusquam enim accuratius in sonum literarum *αι* inquiratur, agendum nobis est, ne negligentes aut partium studiosi videamur, de verbis, *αι* singulari modo referentibus. Primo enim nomina, quae attulimus, offensionis aliquid habent ea, in quibus *αι* literis [symbol], [symbol], [symbol], [symbol], [symbol] respondent. Sed obseruatum est, Hebraeos, Syros, Coptos et Arabes caruisse singulari quodam signo, quod ex tabula in fine libelli affixa intelligitur, vocalem *ä* indicante. Quam quidem ob rem — negauimus enim ab vlla lingua vel parum exculta abesse eiusmodi sonum — necesse erat ä, singulari litera deficiente, cum iis vocalibus scribendo coniungeretur, quae essent ei affines. Iam vero cum *α* maxime propinquam habeat ä, sequitur, literas etiam [symbol], [symbol], [symbol], [symbol], [symbol] eam potestatem passim habere potuisse ac debuisse, indeque ab omni parte eas etiam vocali *αι*, si eius sonus ä fuerit illa aetate, respondisse. Hoc quidem etiamnum cadere in [symbol] vix est quod commemoretur. Porro *αι* passim reperiuntur loco [symbol], [symbol], [symbol], [symbol], quod sane mirari licet. Sed memorandum, *αι*, si sonuerint *e*, potuisse subinde aeque atque

e sonum etiam i propinquum subire in quibusdam nominibus a vulgo hic illic tritis. Etiamsi vero *αι* sonuerint ä, haud difficile est intellectu, cum *α* etiam, vti demonstrauimus ad vocalem *e* hinc ad i traiectum appareat, *αι* eandem vicem subire potuisse. Praeterea tenendum, ָ ambiguum vtique significare etiam *e*, atque ַי haud raro ab aliis Semitis *e* pronunciari. Quod vero summum est, huius generis exempla perquam rara sunt in Sc. S., ita vt vel ob eam caussam iis aeque ac reliquis a communi scriptura longius adeo recentibus nullum fere pondus tribuendum sit. Mittamus praeterea, quod nomina, quae huc spectant, maximam partem vulgaria vel antiquitus recepta in singulas linguas facillime aut tunc aut antea corrumpi potuerunt, et quod codices alii alio modo ea scripta partim exhibent. Illud vero hoc loco non negligendum videtur quaerere, qui factum sit, quamquam rarissima sunt eius generis exempla, vt *αϊ* vna etiam litera, *αι* contra duabus iisque disiunctis reddita sint. Hoc loco respiciendum est id, quod monuimus antea, diphthongum ai, si aliis linguis auctoritatis aliquid tribuendum est hac in re, abire in vita subinde ad simplicem vocalem *ä* vel *e*, quippe inter *a* et *i* mediam, contra vero ä et e ita mutari et quasi dissolui solere, vt earum loca diphthongus *ai* audiatur pronunciando. Ob eam quidem caussam facile poterant ex *αι* oriri *αϊ* atque *αι* ex *αϊ*, etiamsi *αϊ* ita tunc temporis pronunciarentur,

vt vtraque vocalis disiuncta audiretur. Praeterea vero caussa adest ad explicandam interpretum hac in re diuersitatem aptissima atque facillima. Caruerunt scilicet Graeci signis seu punctis, quibus vocalis aut diphthongus *αι* a dissyllabo *αϊ* legendo pronunciandoque discerni nunc solet; quam ob rem nonnisi vsu vtriusque soni discrimen ab interpretibus percipi poterat. Vulgarem vero hac in re vsum aut incertum aut fallacem passim fuisse admodum credibile est. Si quis vero negauerit, non adfuisse in libris Graecorum iisque antiquissimis eiusmodi puncta quaedam diacriticâ, quippe ad intelligendum recteque eloquendum maxime necessaria, certe non improbabile est, ea passim, quod facillime accidit, a librariis in exemplis ad conuertendam S. S. adhibitis fuisse neglecta. Neque vero negari potest, ista nomina, in quibus *αϊ* vnius vocalis litera scripta reperiuntur, aut omnino ex ignotis et quasi obscuris esse, aut ex iis, quorum pronunciatio legitima certos quosdam interpretes facillime latere potuit. Iam vero diligentius paullo in sonum literis *αι* et *αϊ* ab interpretibus tributum inquiramus. Quamquam enim Syri, Aethiopes, Copti, Armenii, Arabes et Gothus vocalem *αι* iisdem literis expresserunt atque *ε* et *η*, iusto tamen citius inde conclusisse videmur, *αι* eodem modo atque *ε* et *η* ab iis fuisse pronunciata. Deest scilicet his linguis litera quaedam singularis, quod ex tabula libello in fine

addita cognoscitur, sonum *ä* designans, ex quo sequitur, cum ea quoque vocalis vti aliis, ita his etiam nationibus in loquendo adhibita vsitataque fuerit haud dubie, sonum *ä* cum literis ei affinibus, *a* scilicet et *e* fuisse coniunctum. Ex quo sponte intelligitur, parum ab his quidem cognosci posse, vtrum *αι* pronunciauerint *ä* an *e*; addere vero liceat, vocales Ɛ ƫ, ⊢, ⩪ et ⸗ atque reliquas eiusdem generis ex communi doctorum virorum consensu haud raro vti *ä* proferendas esse. Attamen haud dubito, an non vocalem *αι* minuerint et plenius paullo enunciaverint. Cum enim ne reliquas quidem vocales quinque illis primariis in tabula interpositas legitimo modo, quod postea etiam cognoscetur, seruauerint, cumque interpretes his quidem aetate superiores *αι* vti *ε* et *η* pronunciasse videantur; admodum probabile est, mature *αι* eum sonum esse adepta, qui in Graecia nunc in vsu est. Interpretes enim Graeci et priores et sequiores vocalibus *αι*, *η*, *ε*, easdem literas Hebraicas pro lubitu, vti videtur, innumeris fere in locis adhibuisse, exemplis demonstrauimus plurimis. Vnam memorare sufficit syllabam בֵּית = ܒܝܬ, quae nunc *αι*, nunc *η* nunc *ε* scribitur a Graecis, ita vt in V. T. atque Iosephi scriptis nonnulla nomina, iterum iterumque commemorata, triplicem adeo habeant scripturam. Moneri quidem possit, Latinos certe atque Sahitas, qui ex omnibus soli

vocalem *αι* singularibus signis ae et 𐌰𐌹 innuere et potuerunt et studuerunt, seruasse ac retinuisse Graecorum *αι* = *ä*. Sed quamquam negari nequit, harum quidem literarum sonum, quod aliis rationibus patet, genuinum esse ä, inde tamen non sequitur, earum potestatem omni tempore sibi constitisse. Quod enim *αι* serius etiam 𐌰𐌹 et ae scripserunt, obiici possit, id quidem eos fecisse, vt aut maiorum hac in re consuetudo aut Graeca orthographia scripturaeque quaedam varietas seruaretur. Denique vero quaeri possit, vtrum *aï*, vbi duabus vel tribus literis ab interpretibus signata sunt, diphthongorum ad instar, ita vt duae vocales in vnam ratione temporis coalescerent, pronunciata fuerint, an vero ita, vt vtraque vocalis legitimum temporis spatium sonans singularem syllabam constitueret. Quamquam difficillimum est, quod sponte apparet, certum aliquid hac de re constituere, tamen ne haec quidem negligere nolimus. Hoc loco tenendum est, ex syllabis *aï* facillime oriri diphthongum *ai*, si temporis spatium, quod vtrique vocali clare pronunciandae conuenit, paullulum contrahatur, ita vt lingua iusto citius a quarto primi arcus gradu, vti dictum est, ad primum ascendat. Quam ob rem facillime haud dubie accidit in vita vulgari, vt *aï* aeque atque literae, quamquam non coalescentes, pro iis adhibitae = *ai* sonarent. Itaque sponte intelligitur, ex literis 𐌰𐌹, · =, 𐌻𐍂,

ܲܝ, ـَيْ, loco *αϊ* adhibitis haud facile cogno-ſci posse, vtrum eae diphthongo an dissyllabo *αι* indicando inseruierint. Quamquam enim ܲܝ, ـَيْ et ላይ diphthongorum modo nunc pronuncianda sunt, possunt tamen olim duas etiam syllabas singulares constituisse. Idem cadere videtur in literas Gothicas AEI. Attamen Syri, Aethiopes et Armenii nisi omnem, certe aliquam rei dubitationem eximunt. Literae enim eorum ܝ, ይ, et յ, si sequuntur, nulla alia litera intercedente, vocalem *α*, ita adhibentur, vt cum praecedenti coalescant efficiantque diphthongos. Quodsi ergo *αϊ* omni ex parte diphthongorum naturam et sonum tunc haberent, necesse erat, interpretes ad seruandam literarum *αϊ* potestatem, literis suis *α* sonantibus ܝ, ይ, յ subiungerent. Iam vero ab his quidem *αϊ* ita scriptum est, vt in Syriaca diphthongo ܲܝ medium sit ܐ, Aethiopicam ላይ suscipiat የ cum variis vocalibus coniunctum, Armeniacam այ vero ի sequatur, quo facto ex diphthongis istis oriuntur dissyllaba. Attamen offendere aliquem possit, passim *αϊ* scribi ላይየ et այի, quae etiam aij et aii pronunciari possint. Sed sponte apparet, Aethiopibus, si neglecta fuerit in syllabis *αϊ* vertendis litera ይ, *ἰῶτα* duriuscule eloquendum fuisse; quod quidem cum Graecorum huius temporis consuetudine, vti ex praecedentibus iam cla-

rum est, pugnasset, atque si neglectum fuisset P, αϊ vti ai pronunciari potuisse. Armenii autem si ex literis այի = αϊ eiecissent յ, facile etiam այ ad diphthongum abire potuisset. Quas quidem ob caussas admodum probabile est, Syros, Armenios atque Aethiopes id maxime suo quosque modo curasse vertendis Graecorum αϊ, si a paucis discesseris, vt ambiguitatem soni αϊ = ai tollerent eiusque discrimen a vocali αι = ä clare perspicueque indicarent. Vtut sit, id saltem nacti sumus interpretum S. Sc. singulorum atque omnium auctoritate, vt constet, αι mature atque optimis adeo Graecorum temporibus simplici vocali scilicet *e* vel ä respondisse. Quodsi enim αι vti visum est iis, qui ab Erasmi partibus stant, serius demum inde a barbarorum incursionibus saeculo VII^mo^ aut VIII^vo^ diphthongorum naturam mutauerit et quasi exuerit, αι scribendum erat constanter loco ַי vel ָי, neque vero loco ֵ, ֶ et ְ, atque reddendum non nisi literis ܰܝ, ኣይ, ـَيْ, ـَيْ, այ, ai, reliquis, quae quidem diphthongi ai vernaculi, quod ex harum literarum vsu cognoscitur, germanam habent potestatem.

§. 3. EI.

Qua potestate literae ει fuerint ea Graecorum aetate, in quam veteres Sc. S. interpretes incidunt ex plurimis iisque variis verbis in

singulas linguas conuersis adeo clarum est, vt nulla fere restet caussa de ea re dubitandi. Graeci scilicet interpretes eas literas loco Hebraicarum ֶ atque ֵי adhibuerunt 99), quae

---

99) Exempla sunto: Pent. אחימן = Ἀχειμαν, אחירם = Ἀχειρωμ, Esd. עדינא = Ἀδεινα, Par. Soph. Amos. כושים = כשיים = Χουσιειμ, Par. אחשתרי = Ἀεσθαρει, Pent. אחירע = Ἀχειραΐ, Par. אמצי = Ἀμασει, Esd. אמי = Ἰμει, Reg. עמיזבד = Ἀμειζαβαλ, Par. הררי = Ἀρωρει, contra ערערי = Ἀραρι (Par.), Esd. הצביים = Ἀσεβωειμ, Par. אסיר = Ἀσειρ, Pent. אשורים Ἀσσουρειμ, Esd. עזי = Ὀζει, Reg. Par. Proph. בעלים = (Hos. בעלי), Βααλειμ Par. בריעה (al. בריעה) = Βαρεια, Proph. בקבקיה = Βοκχειας, Par. בירי = Βηρει, Proph. Par. ברכמיש = Χαρχαμεις, Reg. סירה = Σειρα, Esd. דיניא = Δειναιοι, Pent. חצרני = Ἐσρωνει, Reg. Par. Neh. חנני = Ἀνανει, Pent. חוילה = Ἐυειλα, Par. חזיר = Χησειρ, Reg. Par. al. חירם = Χειραμ, Pent. חירה = Ἐιρας, Pent. Paral. חורי = Χουρει, Pent. היכיני = Ἰαχεινει, Pent. יאיר = Ἰαειρ, Reg. יארי = Ἰαειρι Par. יעיאל = Ἰειηλ ibid. יריעות = Ἰερειωθ, Reg. יהויכין = Ἰωακειμ, Proph. יוירים = Ἰωιαρειβ, Par. יהויריב = Ἰωαρειβ. (als. Ἰωρειβ). Par. יהודיה = Ἰουδεια, Pent. Iudith. יהודית = Ἰουδειθ (als. Ἰουδιθ), Ios. Reg. Par. לכיש = Λαχεις (als. Λαχις), Esd. מגביש = Μαγβεις, Pent. Par. נפיש = Ναφεις, Pent. Reg. als. אופר = Ὀφειρ, Paral. הותיר = Ὠθειρ, Pent. ריפת = Ῥειφαθ, ib. שניר = Σανειρ (als. Σανιρ), ib. שעיר = Σηειρ, ib. שמידע = Σαμειδα, Reg. סרה = Σειρα, Pent. Reg. Psalm. Esai. תרשיש = Θαρσεις, Paral. תימני = Θεμανει, Gen. לאמים = Λααμειμ, Pent. תירס = Θειρας, Par. Reg. אורי = Οὐρει, aliaque sexcenta nomina Hebraica in literas ִים desinentia, quas Graeci interpretes modo ιμ, modo ειμ reddiderunt. Huc spectant etiam verba apud reliquos, scilicet Orig. להאיר = Λαειρ, אלהים = ἐλωειμ, coll. הגדלים = ἀγαδολιμ, פישון = Φεισων (ὁ Φισων) ויהי = οὐαεει, שלשים = σαλωειμ, שעיר = Σηιρ, Ἀλλ. Σηειρ Ἀκ. Θ. Σ.

quidem, vti §. 3. n. 75. demonstratum est, sexcentis in locis vocali ι respondent. Quamvis vero inde intelligatur, literas ι et ει sono inter se pares fuisse; videamus tamen, vtrum ita fortasse pronunciauerint ει interpretes, vt, vtraque vocali sonante, diphthongus *ei*, vti visum est multis, oriretur, an ita, vt vocalis inter *i* et *e* media quaedam audiretur, an alio modo. Cum enim diphthongus *ei*, in Saxonia inferiori inprimis illa vulgaris, e vocalibus *i* atque *e*, sono *i* maxime propinqua, constet eamque ob caussam haud multum discrepet pronunciando ab *i*; cumque vocalis inter *e* et *i* interposita quaedam propinquior sit adeo vocali *i*: vtique non incredibile est, Hebraeorum ִי eiusmodi potestatem habuisse. Huc facit, quod nomina nonnulla ει habent pro ְי[100], atque ֵ et ֵי[1],

---

Ἰαμειμ, כְּרוּבִים = *Χερουβειμ*, Marc. 5, 22. יָאִיר = *Ἰαειρος*, Hexap. עִיר = *ειρ* Ἀκ. רְפָאִים = *ῥαφαειμ*, הָעִיר = *ἀειρ* אַרְבָּעִים = *ἀρβαειμ*, בִּשְׁמוֹנִים = *βασεμουνειμ* מֵאתִים = *Μαθαειμ*, *Ἀνειν*, *Σελεειμ*, *Λαχεις*, *Νασειμ*, *Κειλα*, *Σεφιειμ*, *Λοιποι*: *Φιλιστιειμ*, *Ἀχιμελεχ*, Ἀλλ. = *Ἀειμελεχ* Σ. עִירָא = *Ἐιρας* (ὁ *Ἰρας*) id. יָאִרִי = *Ἐιαριτης* (ὁ *Ἰαρια*) חִירָם Θ. Ἀ. Σ. *Χειραμ* Θ. *Ὠφειρ* לוּחִית Ἀ. *Λουειθ* Σ. *Ὠρανειμ*, aliaque plurima. Venetae tantum versionis auctor, quippe simplicissime scribens nomina propria et fugiens omnem fere literarum abundantiam loco ִ vel ִי, plerumque ι scripsit.

100) Vti nomina, quae invenimus, Jud. שְׂעִירָתָה = *Σειραθα*. Paral. יְחִיאֵל = *Ιειηλ*, לִקְחִי = *Λοχει*, Mic. שְׁבְעִי = *Σωφει*.

1) Par. גֵּישָׁן = *Γεισων*, הַפִּצֵּץ = *Ἀφεσσει*, Reg. Par. מְכְרִי = *Μαχειρι*. Ier. גָּרֵב = *Γαρειβ*.

quo quidem vtraque sententia de pronunciatione literarum *ει* haud leuis momenti argumentis confirmari videtur. Cum enim ֵ ob soni tenuitatem et celeritatem sequenti vocali facile sese adiungat; existimare aliquis possit, eo modo oriri sequente ֵי diphthongum, cumque ֵ et ֶ (e) vti vocali i, ita maxime alii cuidam inter *e* et *i* mediae sint affinia; potuerint sane *ει* eiusmodi sono significando inseruire. Verba adeo quamquam rara, in quibus ֶי et ֶי respondet *ει*[2]), eandem alere sententiam videntur, quoniam ֶ, proxime antecedens י, passim, vti monitum est, sonum *e* habuisse videatur. Sed quominus assentiamur hac in re, obsunt argumenta longe grauiora atque certiora. Primo enim nullo pacto probari potest, ֵי Hebraeorum diphthongi *ei* habuisse sonum. Alioquin enim — taceamus reliqua argumenta — Syri, Arabes, inprimis Latini, alii, quemadmodum reliquarum, ita huius etiam literae sonum cum possent ac vellent (pag. 16.), suo modo seruassent scribendo. Attamen, cum syllaba ֵים saepenumero literis *ειμ* reddita sit, oritur suspicio, eam certe syllabam diphthongi *ei* ratione pronunciatam fuisse. Sed tenendum est, eam

2) Vti Pent. סִסְמַי = *Σασαμει* (V. Sismai Cod. *B. Σοσομαΐ*) Jes. אֶגְלַיִם = *Ἀγαλειμ* (V. Eglaim, Iob. 38, 28 leg. אֶגְלֵים) 1 Paral. אַפַּיִם = *Ἀφειμ* (V. Apphaim Cod. B. *Ἀπφαΐμ*) Paral. מְעוֹנֹתַי = *Μαωναθει* (V. Maonathi) Esd. שַׁלְמַי = *Σελμει* (V. Selmai Cod. B. *Σελαμι* Neh. 7, 48.).

syllabam ab iisdem interpretibus saepissime etiam vocali *ι* scriptam esse, neque vero probabile est, ־ִים numeri pluralis notam duplicem, ideoque incertam atque ambiguam potestatem tenuisse. Quodsi vero ־ִים alias *im* alias *eim* sonuerit, quid est, quaeso, cur eiusmodi discrimen neque Syri, neque Arabes, neque Latini, neque alii indicarunt suis literis? Sciendum enim, quod eadem verba, Hebraica in ־ִים desinentia, quae interpretes Graeci aut *ειμ* aut *ιμ* scripserunt, a Syris literis ܝܡ, ab Arabibus ِيم, atque, quod summum est, ab Hieronymo, qui quidem Graecos in conuertendis nominibus Hebraicis emendauit, *im* consignata sunt[3]. Neque praetermittendum est, haud pauca exstare eiusmodi verba, quae non solum a variis Sc. S. interpretibus, sed a Iosepho etiam, Eusebio, aliisque nunc *ει* nunc *ι* scribuntur[4].

---

3) Pent. Psal. צְבֹיִים = *Σεβωειμ* (ὁ) = ܘܨܒܘܝܝܡ = صَبُوِيِيم = Scboim. Est. Ex. אֵילִם = *Ἀιλειμ* (als. *Ἀιλιμ* Cod. A.) = ܐܝܠܝܡ = أَلِيم = إيلِيم (Est.) = Elim. Dan. יְהוֹיָקִים = *Ἰωακειμ* = ܝܘܩܝܡ, = يُوَاقِيم = Ioacim. Ps. קִישׁוֹן = ܩܝܫܘܢ = *Κεισων* = قِيشُون = Cison, et sic in reliquis.

4) Plura eiusmodi exempla collegit Origines in Hexap. vti

Quam quidem ob rem literae *ι* et *ει* in locum syllabae ַיִם substitutae sono tunc temporis pares fuerint necesse est. Quae vero caussa fuerit interpretibus Graecis *ι* et *ει*, loco ַיִ promiscue scribendi, de eo infra agendum erit. Deinde minime concedi potest, *ει* in iis certe verbis sonuisse *ei*, quae eius loco ֲיִ habent. Schwa enim, quamuis rapido sono insigne, in verbis istis partim tacendum, partim, cum literam consonantem antecedat, seorsim pronunciandum esse constat, ex quo illud tantum intelligitur, literas *ει* non solum pro *i* sed etiam pro *eï*, ita vt duae orirentur syllabae, adhiberi potuisse. Porro parum offendit vsus *ει* pro ָיִ et ֵי. Cum enim vocales ab istis literis abessent, facile accidit, vt י pro simplicis vocalis nota ab interpretibus haberetur; neque vero illud improbabile est, ista verba praeter formam dualem, pluralem etiam certis quibusdam in terris assecuta esse. Denique vero quid de *ει* loco ְ et ֶ dicamus inpromtu est. Vtraque enim litera aut librariorum negligentia aut vitae consuetutine vti ad sonum *ι*[5]), ita etiam, cum *ει* pari fuerit potestate, ad *ει* qui-

Χερουβειμ = (ὁ) *Χερουβιμ*, *Φεισων* = (ὁ) *Φισων*. *Ιαβεις* (ὁ) = *Ιαβις* (Ioseph.) *Ἰαιρ* (ὁ) = *Ἰαειρος* (Marc.) *Λαχεις* (ὁ) = *Λαχεισα* (Ioseph). Alia exposuit *Winer Bib. Realwörterbuch* Lips. 1820. var. l.

5) Exempla nominemus Gen. Par. יַחְצְאֵל = *Ἀσιηλ* יֶשֶׁבְאָב = *Ἰσβααβ* גְּדֵרָה = *Γαδιρα*.

busdam in verbis abire potuit. Praeterea monendum, earum scriptionem esse incertam et ab Hieronymo emendatam[6]. Illud tantum adiiciamus, verbis, quae inuenimus ab hac quidem scribendi modo aliena, partim ob numeri paucitatem, partim ob lectionis peruersitatem nullum pondus posse tribui[7]. Itaque cum interpretes librorum Hebraicorum Graeci omnes ac singuli literas *ει* plurimis iisque certissimis in locis ita adhibuerint, vt vocali ִי responderent, quae quidem non solum ab iisdem alias *ι* scribitur, sed etiam a Latinis Chaldaeis, Syris, Arabibus aliisque *i* pronunciatur, cumque verba aliam et singularem scripturam referentia numero perpauca, lectione dubia atque corrupta sint; inde sequitur, Graecos interpretes *ει*, si ab istis exemplis discesseris *εϊ* loco syllabarum duarum habentibus, vti *ι* pronunciasse. Has vero literas non *ει* diphthongi potestatem eo tempore habuisse, ex verbis etiam שִׁמְעִי =

6) Habent alii pro *Γεισων* (A.) *Γεσων* (V. Gesan), pro *Ἀφεσσει* (*B*.) *Ἀφεση* (V. Aphses) pro *Μαχειρι* (B.) *Μαχιρ* (V. Machir). Pro *Γαρειβ* alii *Γαρηβ* (V. Gareb.)

7) Huius generis sunt: חַרְנֶפֶר = *Ἀρναφει* (V. Harnapher, Cod. B. *Ἀρναφαρ*) מִיָּמִין = *Μειμιν* (V. Meiamin al. *Μιαμιν*) פְּקַחְיָה = *Πακεια* (V. Phaceia ed. Rom. *Φακεσιας*) פְּתַחְיָה = *Χεδεια* (al. *Φεταϊα*) רְאָיָה = *Ῥεϊα* (V. Raaia vel Raia. ed. Rom. *Ῥαϊα*) שְׁמַעְיָה = *Σεμειας* אֲשַׂרְאֵלָה = *Ἀσειρημα* (V. *Ἀ*sarela ed. Rom. *Ἐραηλ*.) בְּרָאיָה = *Βαρεϊα* (V. Baraia ed. Rom. *Βαραϊα*).

Σεμεει (Gen. VI, 17.) et וַיְהִי = *ουαεει* (Orig. Hexap.)[8], perspici posse videtur. Quodsi enim *ει* non *ι* sed *ei* tunc sonuerit, redundaret profecto et offenderet *ε ψιλον*, quippe nouam et alienam inferens vocabulis Hebraicis syllabam. Si vero interpres Alexandrinus atque Origenes *ε* addidissent eo consilio, vt *ε* syllabae *ει* produceretur, poterat ac debebat vterque, ne ambiguitas aut error in pronunciando oriretur, *εε* vna litera *η*, quae adhuc e valebat, comprehendere. Eiusmodi certe scribendi vsus obtinuit in orthographia Graecorum atque conuersione nominum *Ῥηι* et *Ἐληια*. Hinc itaque intelligitur, interpretes Graecos nullum inter *ι* et *ει* soni discrimen fecisse, nec nisi temporis ratione eae vocales inter se illa aetate diuersae fuisse videntur. Sed audiamus ante omnia reliquos Sc. S. interpretes, qui fortasse alio modo literas *ει* pronunciarunt.

Syri *ει* scripserunt ܝ[9] Aethiopes lite-

---

8) Addere liceat, nullam nos huius lectiones varietatem inuenisse. Scripsit quidem interpres lib. Sam. 16. 5. Reg. 2, 8. 1. Chron. 29, 14. 31, 13. *Σεμεϊ* 1. Chr. 25, 17. *Σιμεϊα*, quod vero tantum abest vt infringat, vt confirmant illam sententiam.

9) Nominemus primo, verba antiquitus a Graecis recepta
ἐικη = ܐܝܩܐ (coll. *Ὀνησιφορος* = ܐܢܝܣܝܦܘܪܘܣ)
στρατεια = ܐܣܛܪܛܝܐ *σπειρα* = ܐܣܦܝܪ
χειμων = ܟܝܡܘܢܐ *χειροτονια* = ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ

ris tertiae classi adscriptis[10]). Sed ne quem of-

πραξεις = ܦܪܟܣܝܣ κλεις, κλειδες = ܩܠܝܕܐ σαπφειρος = ܣܦܝܪܘܣ εἰσαγωγη = ܐܝܣܓܘܓܝ κυριε ἐλεισον = ܩܘܪܝܐܠܝܣܘܢ *Pesch.* Καισαρεια = ܩܣܪܝܐ Ἀντιοχεια = ܐܢܛܝܘܟܝܐ Ἀλεξανδρεια = ܐܠܟܣܢܕܪܝܐ (= נא, quam vocem interpres Chaldaeus item vbique reddit: *Alexandria.* Cf. Gesen. Wörterb. s. h. v. p. 668) Λαοδικεια = ܠܕܝܩܝܐ Φιλαδελφεια = ܦܝܠܕܠܦܝܐ Σαλειμ = ܫܠܝܡ aliaque plura in ειμ desinentia, quae literis ܝܡ notata sunt. Σαρδεις = ܣܪܕܝܣ Ἐυνεικη = ܐܘܢܝܩܐ Versio Philoxen. σπειρα = ܐܣܦܝܪܐ V. T. Apocr. Σαμαρεια = ܫܡܪܝܢ Ἀντιοχεια = ܐܢܛܝܘܟܝܐ Ἰαμνεια = ܝܡܢܝܢ Μωδεϊν = ܡܘܕܝܢ Δαρειος = ܕܪܝܘܫ Σειραξ = ܐܣܝܪܐ. Paullo aliter scribuntur παραδεισος = ܦܪܕܝܣܐ quod cum Graeco, vocabulo parem originem habere dicitur Ἰαειρος = ܝܐܝܪܘܣ.

10) Exempla ponamus ex V. T. Ps. Σεισαρα = ሲሳራ (coll. Νωεμιν = ኖሔምን) Κεισαν = ቂሶን ex N. T. Χωραζειν = ኮራዚ Ἀντιοχεια = አንጾኪያ et አንጾኪያ Ἰαειρος = ኢያኢሮስ (Luc. 8, 41. ያኢሮስ) Λαοδικεια = ሎዶቅያ Col. 4, 13. 16. 17. (Apoc. ሎዶቅያ) Ἐυνείκη = ኤውንቄ aliqua plurima inprimis nomina in ειμ desinentia, quae

fendat, *ει* passim sextae classis literis respondere, tenendum est, idem accidisse vocali *ι* atque huius ordinis literas pro vocalibus etiam *α*, *ε*, *η*, *ο*, *υ*, (pp. 37, n. 43. 44, n. 70. 47, n. 82. 56, n. 11. 72, n. 50.) sono destitutis adhiberi. Quo quidem primum intelligitur, Aethiopum literas classis sextae, (simile quiddam fert ְ Hebraeorum atque vsus Arabum et Syrorum[11]) nisi omnium vocalium, certe pronunciatu facillimarum earumque correptarum sonum habuisse, deinde vero illud egregie confirmatur, mature Graecos vocalem *ει*, quamvis a poëtis productam, in vita vulgari, vbi nunc accentus signo caret, pronunciando corripuisse. Arabes *ει* scripserunt ـِيـ[13], Armenii ի[14],

---

Aethiopes literis ኢም, ኪም, ሊም, et sic porro scribunt. Paulio aliter *Ιαβεις* = ኢዪሌሲ *Καισάρεια* = ቂሳርያ *'Αλεξάνδρεια* = እለክሳንድርያ cuius nominis mira est in Bib. Polygl. Londin. lectionis varietas. *Φιλαδέλφεια* = ፊልድልፊያ *Σαλειμ*, (Copt. *σαλημ*) = ሳሌም Ioh. 3, 23. quo loco Cod. A. aliique aliter legunt ex eadem recensione, *Σαμάρεια* = ሰማርያ.

11) Cf. Gesen. Lehrgeb. d. H. Sp. p. 68. 4 ss. p. 72. a. b. c.

12) Vid. supr. p. 25. coll. p. 31.

13) Vti *κρανεια* = قِرَانِيَا Psal. *'Ιαβειν* = أُوِنِيم (Syr. ܕܡܝ) *Κεισαν* = قِيسُون *Ζειφαιοι* =

زريـفـيـون Euangel. *Χωραζειν* = كورزين

Act. *Καισαρεια* = قيسارية *᾽Αντιοχεια* = انطاكية *Λαοδικεια* = لاذقية *Φιλαδελφεια* = فيلادلفيا Ev. *Σαλειμ* = ساليم

Syllaba *ειμ*, quae semper redditur ـيم Tim. *᾽Ευνεικη* = أونيكي. A communi scribendi modo recedunt verba: *παραδεισος* = فردوس, quod aliunde et quidem ex sententia Schroederi (Thesaur. ling. Arm. Diss. p. 55. s.) non e lingua Persica, sed Armeniaca originem duxit. *᾽Ιαειρος* = يايرس (quod linguam Arabicam redolet) *Σεισαρα* = سيسرا *Χειμα* = كيما, quae haud valde offendunt non solum paucitatis caussa, sed etiam propterea, quod vocales *αι*, *η* atque *ι* similem soni mutationem passim subierunt.

14) Vti *βραβειον* = բրաբիոն (brabion) collat. Կլիմայ = *κλιμα* ex V. T. *Σηειρ* = Sēir *Σεβωειμ* = Sebojim, quod Hebraicum צְבֹיִם acrius premit, *Χεφειρα* = Chephiron *᾽Ωφειρ* = Ophir. atque sexcenta nomina loco *ειμ* literis իմ scripta, ex N.T. *᾽Αχειρ* = Achira *᾽Αντιοχεια* = Antiochia *ἀρειος παγος* = ariopagos *᾽Ελιακειμ* = Eliakim *Θυατειρα* = Thiwatira *Σαρδεις* = Sardis *Φιλαδελφεια* = Philadelphia *Λαοδικεια* = Lawodikia *Σαμαρεια* = Samaria *Σαπφειρη* = Saphira *Σελευκεια* = Seleukia. (collat. *Κιλικια* = Kilikia, սիւրիա = *Συρια*) alia. Ab hac scribendi ratione aliena inuenimus verba դէերա = *Δε-*

Vlfilas literis EI aeque atque vocali I [15], interpretes Memphitici ⲓ [16], Sahitici ⲉⲓ [17], Latini de-

---

ειρα, cuius vero loco alii legunt *Δεηρα* (Dan. 3, 1.); Կէիղա = *Κεῖλα*, quod vero trisyllabo קְעִילָה Vulg, Ceila) respondet, *Semei* vti Syr. ܫܡܥܝ = *Σεμεῒ*, ex quibus illud tantum cognoscitur, *ει* duas etiam syllabas efficere potuisse: Յայրս = *Ἰαειρος*, cuius loco alii legunt *Ἰαῒρος*, nec non Կեսարեա (Kesarea), quod alias scribitur Կեսարիա (Kesaria). Mira sane pronunciationis variaetas, quam frustra explicare tentabis, si huius nominis significatio paullo diligentius non respicias. Duplex scilicet fuit eiusdem nominis vrbs altera Palaestinae, quam interpretes Armenii *Kesariam*, altera Philippi, quam *Kesaream* constanter scripserunt. (Cf. *Winer* Realwörterb. s. h. n.)

15) Exempla nominemus *Ἐλιακεὶμ* = aileiakeim (coll. aisleim = *Ἐσλὶμ*) *Ἰαεῖρος* = iaeiros *Ἰωρεὶμ* = ioreim *Καισάρεια* = caisaria (col. siloam = *Σιλωὰμ* et sion = *Σιὼν*) *Σαμάρεια* = samaria contra *Σαμαρείτης* = samareites. Aliter se habet vocabulum *Saimaiei* = *Σεμεῒ*, quod vero, vti demonstratum, verbo Graeco trisyllabo optime respondet.

16) Verba huius generis a Graecis ad Coptos deleta sunt, sunt: *παραβενιν* (*παραβαινειν*) coll. ⲙⲁⲣⲅⲁⲣⲓⲧⲏⲥ (*μαργαριτης*) ⲛⲟⲩⲁⲕⲣⲟⲥⲑⲓⲥ (*ἀγρωστις*) *πιραζιν* (*πειραζειν*) *ετιν* (*αἰτειν*) *μαστιγοιν* (*ματιγοειν*) *πλαζιν* (*πλαζειν*) *χρια* (*χρεια*) *πιταμιον* (*ταμειον*) *διπνον* (*δειπνον*) *ψαλλιν* (*ψαλλειν*) *αληθια* (*ἀληθεια*) *ιτα* (*εἰτα*) eiusque generis plurima. Huc spectant (V. T.) ⲍⲓⲫⲉⲟⲥ (*Ζειφαιος*) col. ⲛⲓⲕⲁⲛⲱⲣ (*Νικανωρ*) *ιεμενι* (*Ἰεμενει*) *πρεσβις* (*πρεσβεις*) *σισαρα* (*Σεισαρα*) *ιαβιν* (*Ἰαβειν*) *κισσος* (*κεισσος*) rel. (N. T.) *ἡλι* (*Ἡλει*) *ιωριμ* (*Ἰωρειμ*) *ελιακειμ* (*Ἐλιακειμ*) *παραδισος* (*παραδεισος*) *αριοπαγος* (*ἀρειος παγος*) *ατ-*

nique litera ι[18]. Itaqne ex horum etiam interpretum plurimorum vsu, qui facillime aliis sexcentis exemplis comprobari possit, iam sponte cognoscitur, literas *ει* pronunciatas fuisse non non *ei* quidem, sed *i* scilicet a Syris, Memphitis, Latinis, Gothis, Armeniis, Arabibus atque Aethiopibus, qui nimirum literas *ει* aeque atque *ι*[19]) scripserunt ܝ, ⲓ, i, 𐌹, ի, يِ, ኢ, nisi si istae literae non solum *i*, sed etiam *ei* sonuerunt. Nostrum itaque est quaerere, primum, num fortasse istae vocales praeter communem potestatem sonum etiam *ei* habuerint, deinde, quid de literis Gothorum EI at-

---

ταλια (*᾿Ατταλεια*) *κεσαρια* (*Καισαρεια*) *χοραζιν* (*χοραζειν*) *ιαιρος* (*᾿Ιαειρος*) *λαοδικια* (*Λαοδικεια*) *φιλαδελφια* (*Φιλαδελφεια*) *σαμαρια* (*Σαμαρεια*) rel. Contra ⲤⲈⲘⲈⲒⲚ = *Σεμεϊ*. Paullo aliter scribitur ⲆⲨⲚⲀ = *δεινα* collat. ⲀⲎⲐⲨⲚⲞⲚ = *ἀληθινον*.

17) Exempli caussa ⲈⲔϬⲀⲔⲈⲒ = *ἐκκακει* ⲆⲞⲔⲒⲘⲀⲌⲈⲒⲚ = *δοκιμαζειν* ⲦⲒⲀⲔⲢⲒⲚⲈⲒⲚ = *διακρινειν*, *βοηθεια* (*βοηθεια*) et sic in reliquis. Nominum scriptura eadem est hac in re atque Graeca vti ex V.T. *ιεμενει* *᾿Ιεμενει* ex N. T. *αντιοχεια* = *᾿Αντιοχεια*, *ιωαρειμ* = *᾿Ιωαρνιμ*, rel. Aliter vero se habet *σεμεϊ* = *Σεμεϊ*.

18) Paucula sufficiant ad probandum exempla. Habet vet. Itala in V. T. versione Laomim = *Λαομειμ*. Aphir = *᾿Αφειρ* Abida = *᾿Αβειδα* rel. N. T. vtraque Itala Iairus = *᾿Ιαειρος*. Achim = *᾿Αχειμ* Eliachim (Vet. It.) Eliakim (Rec. It.) = *᾿Ηλιακειμ* et sic in reliquis. Contra Semei loco *Σεμεϊ*.

que Sahitarum ⲈⲒ pro *ει* adhibitis, statuendum sit. Ac primum tenendum est, religiosissimos fuisse Sc. S. interpretes in seruandis et quasi pingendis verborum Graecorum sonis adeo, vt, quod monitum est antea plurimisque exemplis demonstratum, nouas et a Graeca scriptura alienas literas, quo magis Graecae pronunciationis subtilitas retineretur, verbis exteris impingere non dubitauerint. Eo etiam, quod aliter se habet hodie, omnis fere inclaruit antiquitas[20]. Quam quidem ob rem, cum istas literas alias sonum *ι* habuisse clarum sit, necesse erat, ne ambiguitas importuna quaedam oriretur atque *ι* et *ει* plane eodem modo pronunciarentur, Syri *ει* scriberent literis ܐܶܝ vel ܐܺܝ vel ܐܺܝ ad instar diphthongorum ܐܰܝ et ܐܳܝ, vel simili alio quodam modo, Memphitae signo ⲈⲒ, quod plurimas easque grauissimas ob caussas diphthongis adnumeratur, Latini ei, Gothi EI vel EEI Armenii եյ, secundum diphthongos այ et ոյ, Arabes إِي vel ـَيْ simili modo atque ـَيْ et ـَوْ, Aethiopes ኤየ, vel literis primi ordinis vocali የ praefixis, vti ተሠየመ (tas*ei*ma), quod quidem nusquam factum esse obseruatur. Contra quidem moneri possit, certe literis ܐܶܝ, ei, EI, EEI, ⲈⲒ, إِي, si loco *ει*

20) Cf. God. Hermann de emend. rat. p. 5. 55.

adhibitae fuissent, nullum inter *ει* et *εϊ* statutum fuisse discrimen. Sed cum *eï* dissyllaba, quod vitae vsus atque rei experientia docent, facillime, simulac vel paullo rapidius proferantur ex ore, diphthongi *ei* naturam induant, hoc saltem inficias iri nequit, eiusmodi scriptura longe rectius sonum diphthongi *ei* innui potuisse, quam simplici eaque ambigua vocali adhibenda. Praeterea sciendum, Memphitas diphthongi ⲉⲓ et dissyllabi ⲉⲓ discrimen, cum linea hac in re diacritica alias vsi sint[21], optime scribendo innuere potuisse. Quodsi ergo *ει* sonuerint *ei*, scribenda erant Memphitis ⲉⲓ, *εϊ* vero, ne eundem sonum referrent, ⲉⲓ̀. Ex his itaque intelligitur, literas *ει*, si sonum *ei* habuerint, vocalibus ـִـ, ⲓ, i, I, ħ, ـِي, Aethiopum tertiae et sextae classis, etiamsi eae non solum *i* sed etiam *ei* tunc sonarent, reddi ab interpretibus neque potuisse recte, neque, cum earum loco aptiores adessent, debuisse. Istas vero literas nonnisi simplici vocali scilicet *i* vernaculo respondisse, eo satis confirmari videtur, quod viri docti, qui illarum gentium habuerunt vsum, omnes ac singuli eas pronunciari audierunt *i*, quodque istae vocales non solum inter se constanter simplici litera vocali redduntur, sed etiam ab aliis gentibus nunquam

21) Cf. Scholtz. Gramm. Aegypt. p. 9. §. 7. ss.

fere non vocali *i* scribantur[22]. Memphitas autem speciatim *ει* non *ei* sed *i* prounciasse, ex eo etiam patere videtur, quod *ει* passim vocali *υ*, quam quidem sonum *i* iamiam tunc temporis subiise demonstrauimus, eum apud populum significata cernuntur. Itaque confugiendum est, inquis, ad Gothos et Sahitas, qui Graecorum literis *ει*, scribentes pro iis EI et ⲈⲒ, ex omnibus soli germanam suam, scilicet diphthongi *ei* rationem conseruarunt. Age videamus. Primum tenendum est, Gothos *ει* saepenumero etiam I reddidisse, ex quo fit, vt *ει* alias I, alias EI sonuisse videantur. Iam vero Gothi EI etiam loco *ι* adhibuerunt plurimis in locis[23], ex quo sequitur, soni quidem inter I et EI nullum paene fuisse discrimen. Quam ingeniose vero Vlfilas his vtrisque literis in vernaculae linguae scriptura vsus sit, de eo videbimus infra. Restat, vt de ⲈⲒ Sahitarum disputemus, quas quidem literas, vbi

---

22) Heb. יָמִין = Chald. יְמִין = ܝܰܡܺܝܢ = يَـا مِـيـن = Ἰαμιν = ⲒⲀⲘⲒⲚ = Յամին ያሚን = Iamin. collatt. *Κιννάμωμον* (Herod. 3, 111.) = קִנָּמוֹן Hannibal = חַנִּי בַעַל Sidon = צִידוֹן *θιβη* = תֵּבָה = ⲐⲎⲂⲒ (vid. p. 76. n. 65.) ማሬሲ = ⲘⲀⲢⲈⲤⲒ ቢካዚ = ⲠⲒⲔⲀϨⲒ. Կարմիր = כַּרְמֶל Կաղնիկ = نَيْرَكْ spyris (Goth.) = *σπυρις* սպիր = (Parth.) اجي բարբառնս = ܒܪܒܪܝܐ aliisque plurimis.

23) Vid. sup. p. 47. n. 80.

pro Graecorum *ει* adhibitae sunt, non nisi *i* sonuisse, haec habemus in promtu argumenta. Scilicet Graecorum verba, quae fortasse inde ab Alexandri expeditionibus in linguam Copticam recepta sunt, eadem non solum in dialecto Memphitica, sed maximam partem etiam in Sahitica reperiuntur[24]. Iam vero parum probabile est, vnam eandemque gentem ab alia quadam eadem verba duplici modo pronunciari audiuisse, aut, cum Copti commune fatum habuerint, aliam huius terrae regionem alium verbis Graecis tribuisse sonum. Deinde verba dialecto Memphiticae propria in Sahitica etiam vsitata sunt, quae quidem nonnisi scriptura apud illas gentes inter se differunt[25]. Cum vero vtraque gens fere eadem vtatur lingua, atque vtraque dialectus haud multo magis inter se differant, quam, vt hoc vtamur, Dorica atque Ionica; admodum probabile est, Memphitas et Sahitas verba sibi communia nec nisi scriptura paullulum diuersa non diuersis modis pronunciasse. Ex his quidem illud tantum sequi videtur, literas ⲈⲒ Sahitarum loco Ⲓ Memphitarum scriptas pari

---

24) Memph. *διακρινιν*, (1. Cor. 4, 7.) *δοκιμαζιν* (1. Cor. 3, 13.) = Sahit. *διακρινειν*, *δοκιμαζειν*, *ψαλειν* = *ψαλιν* et sic in reliquis.

25) Exempla ponamus Mem. Ⲓ = Sah. ⲈⲒ, Mem. ⲒⲤ = Sah. ⲈⲒⲤ, Mem. ⲞⲨⲒ = Sah. ⲞⲨⲈⲒ, ⲤⲒ = ⲤⲈⲒ, eiusque generis plurima alia.

fuisse potestate. Iam vero cum Ⲓ Graecorum *ι* atque in verbis subinde corruptis vocalibus *υ* et *η*, quae nullo pacto inter diphthongos numerari possunt, respondeat atque ab aliis gentibus *i* pronunciari videatur; vix est profecto, quod dubitemus, ⲈⲒ Memphitarum sonuisse i. Huc denique accedit, quod ⲈⲒ et Ⲓ non solum in verbis Graecis sed etiam Copticis nonnunquam promiscue adhibita sunt a Memphitis, quodque ⲈⲒ adeo loco *ι* Graecorum posita reperiuntur[26]. Itaque cum in antiquissimis Sc. S. versionibus literae *ει* et *ι* loco Hebraeorum vocalis ִי adhibitae sint atque pro *ει* vocales ܝܼ, Ⲓ, ⲈⲒ, i, EI, I, ի, ِي, Aethiopicarum literarum classis tertiae et sextae, quae quidem sono *i* respondent; inde sequitur, interpretes Sc. S. omnes ac singulos literas *ει* et *ι* pari modo, quod sonum attinet, pronunciasse. Videamus ergo, an temporis ratione illarum literarum discrimen vsu fecerint interpretes. Ad eam rem cognoscendam dolemus, inutiles esse literas, quas supra diximus, plurimas. Cum enim Syri ܝܼ, Memphitae Ⲓ, Armenii ի, Aethiopes tertii ordinis vocales modo corripiant, modo producant, Gothi autem literis EI et I atque Arabes ِي nunc *ι* nunc *ει* exprimant; difficillimum sane

---

26) Huius generis sunt Memphit. *πειρασμος* alias *πῖρασμος*, *νεινα* alias *νινα*, *Δαβὶδ* = *δαυειδ*.

est, ex horum vsu literarum ει et ι discrimen cognoscere. De qua quidam re desperandum non foret, si carmina, quibus Graeca nomina ex hoc genere artis metricae legibus subiecta continerentur, illo tempore ab his gentibus concinnata adessent. Itaque quid discriminis inter ι et ει fuerit, e reliquis Sc. S. interpretibus quaeramus. Primum quod Graecos attinet, negari nequit, eos, si ab auctore versionis Venetae discesseris vbique fere ει respuente, literas ει maximam verborum partem eo loco posuisse, quo ֵי ob linguae Hebraicae naturam tono nunc est producendum. Huc spectant syllabae vltimae inprimis ab iisque proximae nominum Hebraicorum habentes ֵי. Quamquam enim eiusmodi verba haud raro litera ι etiam scripta sunt, eius tamen rei ratio in plurimis satis conspicua est. Primo commemorandum, singulos Sc. S. interpretes singularem scribendi modum passim sequi potuisse, quo factum est fortasse, vt nonnulli, quod aut commodum sibi esset, aut vsui vulgari conueniens, id maxime curarent, reliquis neglectis. Deinde non a vero abhorret, Alexandrinos aeque atque reliquos nonnulla nomina Hebraica, cum vitae vsus hac in re multum valeat, paullo aliter, quam Tiberienses atque Grammatici recentiores praecipiunt, pronunciasse. Praeterea illud etiam probari posse videtur, literas ι et ει inter se commutatas esse eo consilio, vt nunc nominum diuersorum eodem fere modo sonan-

tium discrimen scribendo fieret, nunc verba, vti fert Graeca quaedam scribendi elegántia, vocalibus aut corripiendis aut producendis nimis abundarent. Neque offensioni est, '— in syllabis a fine verborum tertiis passim *ει* scriptum esse, cum eae in proferendis nominibus oxytonis sponte profecto sese paullulum attollant. Vtut sit, ex plurimis et certissimis nominibus clarum est, interpretes Sc. S. Graecos omnes ac singulos ita vocalibus *ι* et *ει* fuisse vsos, vt illud in syllabis corripiendis, haec autem in corripiendis håberent locum. Simile quoddam discrimen Ⲓ inter et ⲈⲒ Sahitarum esse, grauissimis rationibus concluditur. Scribunt enim haud raro Sahitae ⲈⲒ, quo loco Memphitae Ⲓ habent producendum atque Graeci *ὶ* accentus signo notatum. Ex quo intelligitur, vocalem *ει*, quamquam in vita valgari in quibusdam verbis velocius etiam pronunciata videatur a Graecis, apud Sahitas, quippe constanter eam ⲈⲒ scribentes, valuisse temporis ratione longam. Rem autem vere sese habere ita, ex vsu poetarum huius aetatis Latinorum adeo clarum est, vt nullus sane ea de re dubitandi restet locus. Cum enim paucissimis verbis exceptis, *i* ex *ι* ortum in carminibus Latinis ob metrorum necessitatem corripi soleat, contra *i* in locum *ει* substitutum produci; vix est, puto, quod dubitemus, verum illud atque germanum inter vocales *ει* et *ι*, quod diximus, tunc temporis obtinuisse discrimen.

Attamen quaeri possit, qua de caussa interpretes Sahitici Graecorum, ει et ι suo loco scribendi, consuetudinem retinuerint, Memphitici, quippe vtramque vocalem I reddentes, abiecerint, Gothi autem inuerterint. Reddamus rationem. Sahitas quidem, cum primi coeperint Sc. S. in vernaculam linguam conuertere[27], cumque reliquas Graecorum vocales et simplices et compositas retinuerint, non mirum est, recepisse sibique seruasse diuersam literis ει et ι apud Graecos vtendi rationem. Memphitae autem, qui serius demum libros sacros sibi compararunt' quod populares suos hac in re emendarunt, admodum non vituperandi sed laudandi videntur. Cum enim illo tempore verba Graeca ita in vita vulgari solerent pronunciari, vt vocalium ι et ει quantitas migraretur, atque accentuum, qui nunc adhibentur, potestas seruaretur, quod quidem non solum e scriptorum veterum locis quibusdam cognoscitur[28], sed etiam Aethiopum, Coptorum atque imprimis Gothorum vsu confirmatur; sane perquam vtile erat et commodum, pro ι et ει, quod idem fecerunt Latini, vnam tantum eamque simplicem adhibere literam. Quemadmodum enim Memphitae pro αι scribendo Ɛ id

---

27) Cf. Bertholdt. Einleit. Tom. II. p. 678. 55· §. 199.

28) Cf. inprimis Plat. Cratyl. 35. pag. 399. a. b. Soph. El. 4, 8. Aristot. Poet. 25.

nacti sunt prae Sahitis, vt literis ⲁⲓ, quae apud Sahitas nisi ⲁⲓ̈ scriptae multum ambiguitatis haberent, aut diphthongum aut syllabas duas diuersas innuere possent; ita etiam pro *ει* vtendo *ι* id assecuti sunt, vt literas ⲉⲓ, quae Sahitis nunc *i* nunc *eï* sunt, aut ad diphthongum aut ad dissyllabum *ει* significandum haberent aptas. Quo autem loco ⲓ producendum esset aut corripiendum, in eo quidem, cum adesset linea siue accentus signum huic rei inseruiens, Memphitae minime erant impediti[29]. Denique vero Gothi literas EI et I ita adhibuerunt, vt quo loco *ι* et *ει* accentuum caussa producenda essent, scriberent EI, quoue corripienda, I[30]. Exstant quidem in codice Argent. haud pauca nomina ab hoc scribendi modo aliena; sed tenendum, facillime a librariis, quippe linguam Graecam ignorantibus, E literarum EI omitti, aut literae I scribendo addi[31], Vlfilam autem, quamuis in lingua Graeca exercitatum, nominum parum cognitorum atque

---

29) Exemplo sit: *Ἀντιόχεια* = ⲁⲛⲧⲓⲟ̀ⲭⲓⲁ̀. (Vers. Memph.).

30) Praeter nomina, quae attulimus supra (p. 112. n. 15) ex hoc genere, commemorari merentur haec: *Ἐσλὶ* = aisleim *Ἰδουμαία* = idumaia *Βαρτίμαιος* = barteimaios. *Βηθάνια* = bethania, *Πόντιος* = pontios, *Χριστὸς* = christos *Δαυὶδ* = daweid *Τιβέριας* = tibairias *Καισάρεια* = caisaria *Μαριὰμ* = mariam *Νικόδημος* = nicodemos *Σίμων* = scimon *Σιὼν* = sion *διάβολος* = diabolus *πραιτώριον* = praitorion e. g. p.

31) Cf. Zahn. Gram. Goth. ad ei. Vlf. Bib. p. 2.

accentuum signis adhuc carentium modum, aut ignorare aut, quod probabilius est, perperam edoceri potuisse. Hoc saltem negari nequit, illud inter EI et I discrimen diligenter obseruari in scriptura verborum Gothicorum[32]. Quam ob rem habemus sane, quod Vlfilam, cum poetarum Graecorum vocalibus *ει* et *ι* suum cuique temporis modum impendendi consuetudinem ingeniose profecto suam in rem conuerterit atque popularibus tradiderit, admiremur dignumque laude praedicemus.

Ex his itaque clarum est, interpretes S. S. *ει* vocalium earumque productarum modo pronunciasse. Attamen negari nequit, *ει* siue *εϊ* passim duas etiam syllabas apud eos habuisse, ita vt vtraque vocalis, quo facto facillime oritur diphthongus *ei*, veluti dissoluta pronunciando audiretur.

§. 4. *OI.*

Aggrediamur iam literas *οι*, quibus, quamquam a Graecis hodie pronunciantur *i*, Eras-

---

32) Vti blĭnd (blind) aigĭns (ab aigan) airĭstar (ab air) akeit (acetum) thotaei (a thata et ei) allĭs (alles) theihan (gedīhen platt.) sik (sich) reisan (Ang. *to rise*) rĭnnan (rinnen) skip (Schiff) wein (vinum) sĭnd (sind) weis (wir) inn (ĭn) afleithan (a leithen leg. līthen) mik (mich) mein (leg. mīn) peika (ficus) brĭnnan (brennen) qweins (Angl. *queen*) andi (Ende) dreiben (drīben) asĭlus (asinus) eisarn (leg. īsarn) auralĭ (orale) figgers (leg. fingers, Finger) aurtĭgards

mus ac reliqui, eius auctoritate nisi, sonum diphthongi *oi* vt genuinum iudicarunt restituendum. Paucissima insunt in Sc. S. verba, literas istas continentia, ex quibus, quo modo interpretes eas pronunciauerint, cognosci possit. Quam ob rem, ne nos falli patiamur atque incertorum atque fallacium exemplorum auctoritati fidem faciamus, maxima sane opus est subtilitate atque cautione. Ac primum nullum inuenimus, quod perquam aegre ferimus, verbum apud Graecos V. T. interpretes ex hoc genere praeter *οἰφι*, quod Hebraico אֵפָה vel אֵיפָה respondet. Itaque de hoc vocabulo primum videndum est, num genuinum sit et sincerum scriptura. Qua quidem de re, cum *οἰφι* plurimis in locis[33], plurimis optimisque codicibus consentientibus, constanter eodem modo scriptum legatur, vix est, quod dubitemus. Redditum quidem est אֵיפָה passim verbis *μετρον* et *χοινικος*[34], quod autem de consilio factum videtur; nec offendit, loco *οἰφὶ* (Ruth. c. II, v. 17.) codices nonnullos habere *οἰφεὶ*. Iam vero quaeritur, vtrum verbum *οἰφι* a Graecis ita ad-

(ab aurt et gards) hweila (leg. hwīla) beitan (bīten) idreiga (a reiga) bĭda (Bitte) bĭndan (binden) sexcentaque alia, in quibus EI et I pro huius linguae natura eodem, quo diximus, modo pronuncianda sunt.

33) Vid. Num. 28, 5. Iud. 6, 19. 1. Sam. 1, 24, 25, 18. Ruth. 2, 17. al. coll. Hieron. Comm. in Ezech. XLV. et Zach. c. V.

34) Exod. 16, 36. Zach. 5, 6. Prouerb. 20, 10.

hibitum sit, vt vocabuli אֵיפָה et sonus et significatus eo indicarentur, an ita, vt Graeca voce sensui mentique scriptorum Hebraicorum satisfieret. Hoc loco memorandum, Coptis vocabulum ⲰⲒⲠⲒ esse, quod quidem non solum primo quasi adspectu et Graeco *οἰφι* et Hebraico אֵיפָה vel אֵפָה simillimum videtur, sed etiam eundem significatum, quippe mensuram certam quandam designans, cum iis habet communem. Quam ób rem, cum Hebraei diu inter Aegyptios versati sint, Alexandrini autem mensuris tunc temporis vterentur Aegyptiacis; admodum probabile est, verbum *οἰφι* non respondere verbo אֵפָא, imo vtrumque vocabulum parem atque communem nimirum linguam Copticam habere fontem. Quamquam in his assentientem habemus Iablonskium[35], mirari tamen aliquis possit, Ⲓ mutatum esse in hoc vocabulo in הָ, *Π* autem in פ atque *φ*. Sed cum quaeuis lingua verba extera suo modo mutare soleat in fine atque illud vocabulum Copticum feminini, quod dicunt, generis sit, cumque ⲰⲒⲠⲒ etiam ⲞⲒⲪⲒ scribatur[36]; Hebraei optime non solum poterant, verum etiam veluti debebant eo, quo fa-

35) Cf. ei. Opuscula Lugdun. Bat. 104. T. I. p. 182. ss.

36) Vid. lib. Numeror. c. 28. v. 5. Praeterea saepissime Ⲡ et Ⲫ, vti in verbis ⲠⲈ et ⲪⲈ (coelum) in lingua Coptica commutantur inter se. Cf. La Croze Lexic. Aegypt. ed. Woide. p. 186. 189.

ctum est modo, scribere illud vocabulum. Neque offendit, Hieronymum, cum veram verbi *οἰφι* originem ignoraret, Graecos, quod verbum Hebraicum torserint, criminari atque damnare[37]. In primis autem tenendum est, Hebraeos in Aegypto, quamquam suam sibi linguam seruarent, quasi coactas fuisse, vti aliarum rerum, ita maxime modorum et mensurarum vulgarium nomina in vsum recipere. Quemadmodum vero vox Hebraica, ita etiam Graeca, quam diximus, sine vlla fere dubitatione Aegyptum habet patriam. Vrgeri quidem possit, Coptos habere ⲱ loco Graeci *ο*; sed sciendum, saepissime eos ⲱ et ⲟ promiscue adhibere[38], ita vt et ⲱⲓ et ⲟⲓ Graecorum *οι* siue diphthon-

---

37) Cf. Hieron. Comm. in Ezech. c. 45. Comm. in Zach. c. 5., quibus locis haec habet: *Epha, quae in Graeco sermone corrupte dicitur ἐφι, ad mensuram pertinet variarum frugum;* atque: *mensura, quae apud Hebraeos dicitur* אֵיפָה *crebroque* a LXX. *in οἰφι vertitur.* Monendum hoc loco, perperam scribi in Bielii Nou. Thesaur. Hagae Com. 1779. T. II. p. 414. *ὑφι* pro *ἐφι*. Illa vero lectio, si recte se haberet, hoc certe confirmaret, quod postea videbimus, *οι* seriori tempore a Graecis *υ* pronunciata fuisse.

38) Apponere liceat eius generis exempla nonnulla: ⲟⲃϣ = ⲱⲃϣ, ⲕⲟⲣϫ = ⲕⲱⲣϫ, ⲟⲩⲟⲧⲍ = ⲟⲩⲱⲍ, ⲟⲣϥ = ⲱⲣϥ, *οκεμ = ωκεμ, ολ = ωλ, οπ = ωπ, κοβ = κωβ, ὀρεβ = ὠρεβ, οσκ = ωσκ ουομτ = ουωμ, βο = βω, παοπι = παωπι, οιλι ωιλι, Χαλκεδον = Χαλκεδων* (Gr.), *\`νοιλι = \`νὼϊλι*. Cf. Scholtz Gram. p. 59. §. 69.

gum siue vocalem aequare possit. Praeterea Hesychius adest grauissimus eius rei testis[39]. Iam vero si verba אֵפָה et *οἰφι* ex ΟΙΠΙ vel ΟΙΦΙ orta sunt, admodum probabile est, ea parem etiam sonum et habuisse et, cum in vitae vsu fere quotidie versata esse necesse sit, apud triplicem gentem retinuisse per longum temporis spatium. Cum autem ֵ Hebraeorum vocalem *e*, vti vidimus, designet, sequitur primo, literas Coptorum ϢΙ vel ΟΙ sonuisse *e*, deinde vero, cum Graeca vox Copticam valeat, *οι* pari modo pronuncianda esse. Huc facit, quod Hieronymus adeo literis *οι* sonum *ε* tribuit. His itaque effici videtur, nisi antiquissimis iamiam temporibus, certe interpretum Alexandrinorum aetate, qui Coptici vocabuli sonum suis literis reddiderunt, literas *οι* a Graecis vti *e* fuisse pronunciatas. Sed quamuis ex Hebraeorum scriptura vsuque Hieronymi colligi possit, signum *οι*, licet duabus literis constans, pro simplici etiam vocali *e* valuisse; tamen non dubium est, istas literas primum paullo aliter sonuisse. Cum enim vocali *o* propinqua sit *ö* atque inter *o* et *ι* rursus *ö* media, cumque Hebraei eiusmodi litera carentes vocali ֵ sonum *ö* quippe propinquum significare commode possent, Hieronymi autem testimonium iusto

39) Asserens, esse *οἰφιν μετρον τι τετραχοινικον Ἀιγυπτιον.*

seriora in tempora, quibus ö ad *e* vti aliis in linguis vitaque vulgari abire poterat, incidat; illud probabilius videtur, ex horum verborum, si qua est, auctoritate, initio quidem literas Graecorum *οι* non diphthongi *oi*, sed vocalis *ö* ad instar fuisse pronunciatas. Recte quidem obiici possit, vnius verbi grauitate nihil effici hac in re grauissima, neque ex vsu Alexandrinorum totius Graeciae pronunciationem illa aetate cognosci; sed tenendum est, plures eius rei adesse testes, literasque Graecas, quod infra cognoscetur, apud varias gentes simillimos sonos habuisse, atque, quod summum est, illam literarum *οι* pronunciationem seriorum saeculorum vsu satis confirmari. Audiamus itaque nunc reliquos Sc. S. interpretes.

Syri literas *οι* pronunciasse cernuntur vti vocalem ܘ݁[40], si a paucissimis verbis discesse-

---

40) Nomina, quae ex hoc genere in versionibus Syriacis inuenimus, haec sunt: (ex Peschit.) *ποιητης* = ܦܘܐܝܛܐ *Στωικοι* = ܐܣܛܘܝܩܘ *κιθαροιδης* = ܩܝܬܪܘܕܐ *Φοινικη* = ܦܘܢܝܩܐ (al. ܦܘܢܝܩ) = ܦܘܢܝܩܐ (lib. apocryph. V. T.) *χοινιξ* = ܟܘܢܝܩܘܣ (*χοινικος*) plural. = ܟܘܢܝܩܘ *Φοιβη* = ܦܘܒܐ *Βεροια* = ܒܪܘܐ *στοιχεια* = ܐܣܛܘܟܣܐ *Στωικοι* = ܐܣܛܘܐܝܩܘ coll. ܩܘܦܪܘܣ = *Κυπρος* ܦܘܪܓܐ = *πυργος*.

ris[41]. Ex his parum offensionis habent ea, quae loco *οι* exhibent ⲓ̈ apud Polycarpum, quippe paullo seriora attingentem tempora. Copti *οι* scripserunt ⲞⲒ cum in versione Sahitica tum Memphitica[42], Armenii literis ի et իւ[43], Vlfilas literis 𐌹 siue Y atque EI[44], Arabes

---

41) Vti ܩܝܛܘܢܘܢܐ Cubicularius Pesch. a *κοιτων* coll. ܣܝܩܘܢܘܣ = *Σικυονη* (lib. ap. V. T.), ex vers. Philox. *οἰκονομειν* = ܐܝܩܘܢܘܡܝܐ *Φαρισαιοι* = ܦܐܪܝܣܐܝܢ eiusque generis plura. *Φοινιξ* = ܦܘܢܝܩܣ (Pesch.) *Φοιβη* = ܦܘܒܐ alias ܦܘܒܐ (editio Anglica) collat. ܐܬܝܢܣ (*Ἀθηναι*) et ܐܡܬܘܣܛܘܣ (*ἀμεθυστος*).

42) *Φοινικη* = *φοινικη* *Φοινιξ* = *φοινιξ* *Φοιβη* = *φοιβη* *Φιλιπποι* = *φιλιπποι* *Μηδοι* = *μηδοι* et sic in reliquis. Aliter se habet ⲂⲈⲢⲞⲀⲒ = *Βεροια*, neque praetermittendum, Coptos syllabam ⲞⲒ, numerum pluralem significatam, istis verbis alio modo flectendis, plerumque ⲞⲤ scribere numeri singularis nota.

43) *Φοινικη* = փիւնիկէ collat. *Συντυχη* = սիւն-տիք *Βεροια* = բէրիա *Φοιβη* = փիբէ *Κοιλοσυρια* = կիւլոասորւո *Φοινιξ* = փիւնիկ *Βεροιαιος* = բէրիացի.

44) *Συροφοινισσα* = saurinifyniska (al. sauraifyniska et sauraifyniniska) collato spyrcida = *σπυρίδα*, *Ἰουδαιοι*

ـيْ[45], Aethiopes literis tertii et sexti ordinis[46], Latini denique vti maioribus mos fuit oe et i[47]. Cognitis itaque literis loco Graecorum *οι* adhibitis, iam quaeritur quid de pronunciatione earum existimandum sit. Iam vero sponte intelligitur, *οι* nisi ab interpretibus omnibus, certe a Syris, Armeniis, Gothis, Arabibus, Aethiopibus, qui eorum loco adhibuerunt ܘ̇ et ܝ, ի, 𐍅, ـيْ, vocales tertiae et sextae classis, nequaquam *oi* aut alius cuiusdam diphthongi ad instar fuisse pronunciata. Nam si *οι* eum sonum habuissent illo tempore, quem Erasmus aliique restituendum iis iudicarunt, non dubium est, quin Syri oi reddidissent ܘܝ, Armenii ոյ, Arabes ـوْيِ, Aethiopes ኦየ, quae quidem literae diphthongi *oi* sonitu vtuntur, Latini autem et Gothi oi et OI, quae quamquam dissyllaba, si celerius enunciantur, diphthongorum indolem subeunt. Contra ne-

---

iudaeis = *Σαδδουκαιοι* = saddukaieis *Φαρισαιοι* = farisaieis.

45) *Φοινικη* = فِينِيقِيس *Φοιβην* = فِيبِن (Actor.)

46) *Βέροια* = ቤሮያ *Φοινίκη* = ፎኒቄ alias ፊኒቄ *Φοίβη* = ፎቤ.

47) Quod cum satis inter omnes constet, vix opus est exemplis comprobare. Habet vtraque Itala Beroea = *Βεροια* Phoebe = *Φοιβη* Potioli = *Ποτιολοι* Philippi = *Φιλιπποι* Stoici = *στωικοι* et sic in reliquis.

gari nequit, ex literis etiam ܘ݂, Ւ, իւ, ΟΙ, oi clarum esse, Syros, Gothos, Armenios Coptos atque Latinos literas *οι* non *ι*, vti nunc fit in Graecia, sed alio quodam modo, nisi si Latini et Copti consuetudinem hac in re maiorum conseruarunt, pronunciasse. Quod si enim *οι* vocalis *ι* potestatem omni tempore habuissent, reddenda fuissent constanter Syris ܝ, Gothis EI vel I, Latinis i, Coptis Ι Armeniis ի; potuissetque a Graecis, cuius rei ne vnum quidem exemplum exstat, pro ܝ vel ܝ occasione data optime adhiberi. At quorsum conuertamus nos ad tantam literarum pro *οι* adhibitarum multitudinem explicandam tantamque ambiguitatem et repugnantiam tollendam? Optime, speramus, omnis hac de re disputatio procedet, dum modo, qua opus, cantio adhibeatur atque temporum, vti par est, discrimina distinguantur. Videamus ergo de singulis.

Constat, Syrorum ܘ݂ non solum *u* sed etiam *ü* significare. Quod quidem antiquissimis iamiam temporibus obtinuisse, probabile est partim ob vtriusque soni propinquitatem, vnde facta est illa vocalis *u* apud Germanos, Gallos, Arabes, aliasque gentes conuersio in *ü*, partim propterea, quoniam ܘ݂ pro Graecorum *υ*, quod adhuc *ü*, passim *i* valebat[48], ab iisdem inter-

48) Vid. sup. §. 5. p. 55. ss.

pretibus adhibitum est. Quas quidem ob caussas satis mature *οι* vti *υ* vel *ü* pronunciata fuisse videntur. Huc autem facit, quos Armenii etiam vocali իւ atque Gothi 𐍅, quibus alias sonum *ὐ ψιλον* significarunt[49], literas *οι* reddiderunt, ita vt vix habeamus, quod dubitemus, istas literas certo quodam tempore sonuisse ü. Attamen cum *u* aeque atque *ü* vocalem *ö*, vti monuimus (p.25.), habeat propinquam, *οι* vero sonum ö adhuc desideratum tenuisse primum videantur; oritur suspicio, Syros litera ܘ݂, Armenios իւ, Vlfilum 𐍅, cum deesset iis singulare signum sonum ö innuens, istam vocalem significare studuisse. Sed tenendum, vocalem *ö*, in plurimis linguis oriri e vocali *o*, quo factum est, vt Germanorum ö passim profectum sit ex O Gothorum, Armeniorum ex ռ, Arabum ex ـُ, aliorumque ex eiusdem generis vocalibus. Quam quidem ob rem *οι*, si sonuissent illa aetate ö non ܘ݂, իւ, 𐍅, sed ܘ̊, ռ, O scribenda fuissent. Huc accedit, quod iidem interpretes literas *οι* alias ـِي, ի, EI, aliique, ab istis haud multum temporis spatio diuersi, similiter pronunciarunt. Cum enim vocales *ü* et *i* longe propinquiores sibi sint quam *ö* et *i*; inde probabilius est, literarum istarum rationem fuisse: ܘ݂, իւ et 𐍅: ـِي, ի, EI =

47) Vid. sup. p. 56. n. 14 et 15.

ü : *i*, quam ȍ, էւ, Υ : ـيـ, է, EI = *ö* : *i*. Saluum itaque stat, quod Syri, Gothi, atque Armenii literas *οι* passim pronunciarunt *ü*. Iam vero obserues quaeso, qualia quantaque harum gentium vsu atque auctoritate efficiantur. Primum enim labitur corruitque eorum sententia, qui ex eo, quod *οι* sonant nunc in Graecia i, probare studuerunt, *οι* primum diphthongi *oi* naturam habuisse ita quidem, vt *o* diphthongi *οι* cum *ι* primum aequale, deinde minutius temporis spatium requisiuerit, quo facto denique *o* vocali *ι* cessisse dicunt. Longe alia edocemur isto veterum Sc. S. interpretum vsu, ex quo illud intelligitur, literas *οι* ita mutasse genuinum, qualiscunque fuerit, sonum, vt abirent primum ad vocalem *ü*, hinc denique *i*. Negari enim nequit, Syros etiam inprimis recentiores, Armenios, Gothos, Aethiopes, Arabes literis *οι*, quas scripserunt ـيـ, EI, է, ـِيـ, ኢ, sonum *i* tribuisse. Moneri quidem possit, illas literas, quamuis *i* etiamnum sonent adhibitaeque sint pro *ἰωτα*, atque in verbis illarum linguarum exteris altera alterius vicem agant, affinium etiam literarum potestatem habuisse, quo illud sequi videtur, *οι* ita etiam inuita ista scriptura ab interpretibus pronunciari potuisse, vt vocalibus aut *e* aut *ü* sono propinquiora accederent. Sed cauendum est, ne nimium subtilitatis quasi inferamus neque illarum gentium neque Graecorum consuetudini. Cum enim vo-

calium copiam admodum modicam habeant isti populi; intelligitur, parum eos sonorum discrimina percepisse atque curasse: quam ob rem ita statim literarum illarum sonus mutatus videtur, vt integrum alius cuiusdam subiret. Praeterea tenendum, literarum *οι* et *ι* etiamnum in Graecia plane nullum percipi discrimen. Sed quamquam ex iis, quae disputauimus, optime intelligitur, quomodo *οι* sonum *i* recipere potuerint, grauius tamen quiddam ne dicam grauissimum est, quod eadem interpretum literarum *οι* pronunciatione probatur atque confirmatur. Inde enim *οι* non diphthongi *oi*, sed vocalis ö potestatem habuisse genuinam cognoscitur. Possimus quidem in eo subsistere, antiquissimis iamiam temporibus *οι* sonuisse *ü*, eamque pronunciationem genuinam germanamque existimare; sed grauissime offendit adhuc, duas adesse literas vnum tantummodo sonum Graecis significantes, ex quo probabilius redditur illud, *οι* ab initio quidam ab *υ* fuisse diuersa. Eo enim pergendum nobis est in quaestione de literarum Graecarum potestate, vsque dum vocalibus, quae aliarum fines inuadere adhuc videntur, aut singularis quidam sonus aut diuersa pronunciationis quantitas recte probeque tribui possit. Itaque cum *οι* ad sonum *υ* siue *ü* transiisse primum appareat, quaeritur, cum redundet alterutrum signum potueritque abesse, qua potestate *οι* ante ista tempora fuerit quemue in locum, vt germanum sonum recuperent, restitui

debeant. Ac primum se offert, quod ex tabula vocalium pagina 25. cognoscendum est, vocalis *u*, quae tertiae classi adscripta propinqua stat vocali *ü*. Sed cum Graeci ad eiusmodi sonum significandum vsi fuerint literis *ου*, denuo redundaret *οι*. Porro aeque propinquae sunt sono *ü* vocales *i* et *e*, primas in prima classe obtinentes locum. Quum autem Graeci pro vtroque sono bina adeo habuerint signa, denuo probabile est, *οι* aliam quandam habuisse potestatem. Iam vero restat ö in secunda vocalium classe secundo loco constitutum eamque ob caussam vocali *ü* prae reliquis proprimum. Ea autem potestate ab initio accuratioris Graecorum scripturae fuisse *οι*, admodum credibile est non solum, quoniam alioquin Graeci signo vocalem ö indicante, qui a nulla fere lingua vel rudiori Graeca nunc abest, caruissent, sed etiam quoniam ista vocalis ex *o* orta huius literae vsu ex parte significari soleat ab aliis gentibus atque a Graecis, literae *ο ι* addendo, optime, quod infra videbimus, signo *οι* innui poterat ac debebat. His itaque, quae fusius exposuimus, egregie confirmatur illud, quod supra vnius vocabuli auctoritate incertum et fragile restitit, Graecos adeo interpretes Alexandrinos *οι* pronunciasse ö. Attamen quod ex sono *ü* literis *οι* tributo restituendam iis potestatem ö iudicauimus, possit aliquis pro lubitu, aut audacter violenterque fecisse id nos existimare. Hoc loco optime ad nostram rem facit reli-

quarum literarum a Graecis subinde corruptarum exemplum. Cum enim η atque *αι*, quae, vti nunc cum maxime fit, ab interpretibus aeui serioris *i* et *e* pronunciata sint; inuestigauimus inuenimusque eo quasi viam semitamque, qua Graecorum vocales nonnullae ingressae naturam mutarunt atque propinquarum sonum subierunt. Obseruandum enim est, sonos η atque *αι* ita mutatos esse, vt vtraque vocalem proximam eamque pronunciatu faciliorum in eadem classe constitutam adierint. Iam vero idem accidisse vocali *οι* nunc clarum est. Itaque si istarum literarum pronunciatio ita restituenda et emendanda est, vt η = *i* a primo primi ordinis siue arcus gradu ad secundum = *e*, *αι* cotra a secundo = *e* ad tertium = *ä* delegentur; inde sequitur, simillimo modo *οι* = *ü* hoc tempore perperam sonantia a primo secundae classis gradu = *ü* ad secundum = *ö*, vt genuinam recuperent potestatem, deiicienda esse[50]).

Iam videamus quid de Coptorum pronunciatione literarum *οι* atque Latinorum *oe* pro *οι* scriptis inueniri et statui possit. Primo monendum est, negare Didymum Tauriniensem,

---

50) Commemorare liceat, simile quiddam aliarum etiam linguarum verbis accidisse. Exempla sunto *Mönch*, (monachus) quod in vita vulgari pronunciatur *Münch*, hinc *Minch*. *Schön*, *schün*, *schin*; *Schöna*, *Schüna*, *Schina*; *böse*, *büse*, *bise*.

OI diphthongi sonum nunc habere, quod obtinere ait in dialecto Sahitica, apud Coptos, atque scribi OI a Kirchero vocali *ae*, a Petraeo Anglo *oi* et *oï* hodiernam pronunciationem significantibus[51]. Quum vero literae *oï* et *oi* et Anglicam diphthongum et diuersas syllabas notare possint, reliqui autem eius pronunciationis testes inter se dissentiant; vix ausim inde literarum *οι* sonum Coptis nunc vsitatum pro certo constituere. Quamuis vero luce clarius sit, *οι* aeque atque *ωι* duas plerumque syllabas, quo facto facile oritur *oi* diphthongus, effecisse[52]; admodum tamen probabile est, istas literas vocalis etiam ö potestatem habuisse. Primo enim loco obseruandum est, istas literas, si non e verbis diuersis petitae altera alteri adscripta est, in verborum flexione aut abire ad supplices vocales easque alienas, aut oriri ex iis[53], quod quidem, si sonum diphthongi cuiusdam habuissent, vix parum euenire potuisset. Cum enim diphthongi ita mutari soleant, vt altera vocalis constet altera cedat, vti accidit Copticae

---

51) Cf. Did. Taurin. rudim. p. 46. Athanas. Kircheri Prodrom. Copt. Rom. 1635. p. 140. al. Oedip. Aeg. 632. al. Petraei Psalm. pr. Dav.

52) Vnum laudare sufficiat verbum Memphiticum *μετανοιν* quod ortum est ex *μετανοειν* atque Sahiticum *ουοϊν* pro *ουοειν*.

53) Exempla ponamus *μωιτ* pl. *νιμιτωουι*, (collatt. *φη* = *πει* (Sah.) *παι* = *πη* (Sah.) *νη* = *νει* (Sah.) *ουαι* = *ουα* al.)

diphthongo ⲁⲩ, quae mutata in ⲉⲩ cernitur; potuissent ac debuissent istae literae, si diphthongorum *oi* sonum tenuissent, eo, quem diximus, modo constanter commutari neque vero ita, vt vtraque, quod non nisi vocalibus plerumque conuenit, simplicem sonum eumque ab earum natura alienum adipiscerentur. Deinde haud pauca apud Coptos exstant verba nunc ⲱⲓ vel ⲟⲓ, nunc ⲱ vel ⲟ scripta[54]), ex quo intelligitur, cum eadem verba haud multum a genuino sono protinus recedant, literas ⲱⲓ, ⲟⲓ ab ⲱ et ⲟ parum fuisse diuersas. Denique vero istae literae cum iis vocalibus commutantur, quae vocali *ö* vndique sunt affines, scilicet *ä*, *e*, *i*, *o*, *ü*[55]). Accedit huc verbum Copt. *οἰφι*, quod Hebraei litera ֵ propinqua *οι* reddiderunt atque *ουωινι*, quod alias scribitur *βενι*. (Vid. inf. n. 56).

Latinorum vero oe significare *ö* ex eo cognoscitur, quod literae eorum ae sonuerunt *ä*. Quem admodum enim sonum *ä*, ad quem in-

54) Huc spectant verba *ο* (Sahit.) = *οι* (Copt.) (collat. *ἄδω* (Copt.) = *αιδω* (Sah.); *ἄδυς* (Doric.) = *ἥδυς*, monachus = Mönch, Rom, Römer); *το* = *τοι*, *τουβοι* = *τουβο* ⲉϥⲟ̀, ⲉⲧⲟ̀ = ⲉϥⲟⲓ, ⲉⲧⲟⲓ.

55) Ex hoc genere sunt *ουαι* (Mem.) = *ουοι*, (Sah.) *τουβο* = *τουβοι* = *τουβε* *θο* = *θοι* ϫⲟⲓ plur. ⲛⲓⲉ̀ϫⲏⲟⲩ, ϫⲱⲓⲗⲓ quod respondet verbis جُعَلْ et ܓܘܠܠܐ reliqua n. 53. et 54. commemorata.

nuendum deerat singulare quodam signum, ita scripserunt, vt vocali *a* adderent *e*, quo istam vocalem in sonum *e* inclinandam esse pronunciandamque vti ä significarunt; ita etiam literae *o e* adiunxerunt eo consilio, vt haberent vocalem ö, aut desideratam antea aut coniunctam cum *o*, singularem quandam. Neque vero probabile est *ae* et *oe* Latinis fuisse diphthongos, cum ea sit diphthongorum plurimarum natura, vt ex vocalibus parum affinibus conficiantur, vti, *ui*, *iu*, *au*, *eu* atque reliquae, neque in aliis linguis illa rudioribus adeo eiusmodi reperiantur soni. Obiici quidem possit, Latinos pro *ae* et *oe* initio scripsisse *ai* et *oi*; sed cum ea etiam scriptura, quam mutasse videntur, ne *ai* et *oi* vocales cum dissyllabis confunderentur, vocalium *a* et *o* a legitima ratione digressio accessioque ad *i* (p. 25.) innui potuerit atque *ae* vocali *αι* apud Graecos respondeat; salua stat atque incolumis ea sententia, Latinorum *oe* sonuisse *ö*.

Itaque cum *οι* antiquissimis temporibus respondeant vocalibus −̤, *ε*, Ⲉ[56], OI, ⲰⲒ, oe,

---

56) Aliud quoddam addere liceat exemplum istam sententiam egregie comprobans. Exstat nimirum verbum Copticum ⲂⲈⲚⲒ, palmam designans, ex quo, cum gentibus Graeciae finitimus aliena eius arboris nomina vsitata fuerint, atque Graeci sexcenta nomina ex Aegypto traxisse tradantur, Graecum vocabulum *φοινικος*

quae partim ö pronunciatae sunt, partim sonum eundem aut ei maxime propinquum habuerunt; cumque *οι* serius scripta sint vocalibus ܘ̇, ⲏⲓ, ϒ, quibus alias *υ* sine *ü*, cuius sonum optime potuit vocalis ö subire, respondeant; postremo autem *οι* literis ܝ, ⲏ, ـِيـ, يِ, quae sonant *i*, consignatum: inde sequitur, literas *οι* nisi primum, certe antiquissimis temporibus pronunciatas fuisse *ö*, serius *ü*, postremo, vti nunc solet a Graecis, *i*. Restant autem verba nonnulla, quae illarum literam, quam diximus pronunciationem incertam reddere videntur, de quibus nunc disserendum est. Ac primum offendit, *οι* respondere in verbis nonnullis vocali ⲟ Coptorum atque ܘ Syrorum. Sed cum ö propinquum habeat *o*, indeque ortum videatur,

---

haud dubie profectum est. Cum enim literae ⲃ et *φ* quippe labiales (Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 127. 1, a.) inter se commutari facillime possint ac soleant, non offendit vsus *φ* pro ⲃ. De ⲝ autem verbo Coptico in fine addito tenendum est, illud ortum esse e *κ‿ς*, vti Latinorum *x* e *c‿s* (Cf. Scaliger ad Euseb. p. 115. a.), quam quidem syllabam Graeci verbis exteris, vt facerent sua, plurimis adscripserunt. His autem praemissis iam intelligitur, *οι* et ⲉ sono similes fuisse atque Graecos *οι* = *e* vel *ö*, quod facillime in eius locum substitui potest, haud dubie pronunciasse. Iam vero verbum *βενι* (Ioh. XII. 13.) scribitur etiam *ουωινι* (Apoc. XVIII, 22.) quod, cum *b* et *u* ante vocales eandem fere sonum habeant, non offendit. Quo quidem demo illa de pronunciatione et Copticorum et Graecorum *οι* sententia egregie confirmatur.

potuit sane vocalis *οι* in verbis quibusdam eam vicem subire atque, vnde profectum est, redire. Neque a vero abhorret, Syros, litera ö sonante singulari carentes, de industria ܘܿ, quod vti Arabum ـُ sonum etiam ö significare potuit propinquum, ad genuinam literarum *οι* potestatem adhibuisse seruandam. Deinde nihil contra nostram sententiam valet, quod pro *οι* scriptum reperitur ـَىْ. Cum enim vocali etiam *υ* acciderit idem, eo id potius comprobatur, *οι* interpretum Syrorum aetate sonuisse *ü*. Latinos vero *οι* notam numeri pluralis scribere *i*, id quidem, cum pro more maiorum factum sit, parum momenti est. Denique monendum est de vsu ዖ atque vocalium classis quintae Aethiopicarum pro *οι*, idem occidisse Graecorum *ε* et *αι* vocali ö maxime propinquis, quod exemplis et appositis et infra commemoratis satis intelligitur, atque tenendum o literarum ዖ non mutare sonum ـ͜ genuinum[57]. Quod vero Aethiopes *οι* literis adeo sextae classi adscriptis comprehenderunt; ex eo clarum est, *οι* non modo non diphthongorum ad instar, quae ad eiusmodi tenuitatem celeritatemque trahi aut nequeunt aut aegre maximoque incommodo possunt, pronunciata, sed etiam accentus signo destituta inuito poetarum Graecorum vsu ab in-

---

57) Cf. Iahn Elem. Arab. ling. ed. Oberl. p. 9. Tychsen Elementar. Syr. p. 2 ss.

terpretibus Aethiopicis fuisse correpta. Praeterea literas *οι* siue *οϊ* duas etiam syllabas efficere potuisse, ex plurimis verbis cognoscitur[58])

§. 5. *ΑΥ* et *ΕΥ*.

Inter literas Graecas, de quarum pronunciatione grauissimae lites rixaeque a viris doctis commotae sunt, inprimis numerantur *αυ* et *ευ*, quae ab Erasmo *au* et *eu* ab iis autem, qui vsui Graecorum recentiorum dediti Reuchlinum sequutur auctorem, *aw* et *ew* pronunciari iubentur. Audiamus ita veteres Sc. S. interpretes suppressos antea neglectosque hac in re atque, a quorum partibus steterint, inquiramus. Cum vero omnia fere concertationis ansam praebuerit litera *υ*, nec nisi de eius potestate genuina bellum et exortum et continuatum videatur; non alienum est, primum de vocalis *u* natura et indole breuiter exponere, deinde vero, quod huic loco reseruauimus (v. sup. p. 60. n. 24), de sono literae *υ* tribuendo accuratius disserere. Quemadmodum scilicet vocalium inter se singularum aeque atque conconnantium, de quibus proxime agendum erit, affinitas est; ita etiam, cum consonantes quasdam oris partes communes habeant in ortu cum vo-

58) Huius generis sunt nomina חֲקוֹעָה = *Θεκοϊ* = Թեկոյէ *Κοϊντας* = ܩܘܝܢܛܘܣ *Σεβοϊμ* (al. *Σεβωιμ*) = صبويم = ጸቦዪም.

calibus, vocales inter atque consonas par est similem quandam intercedere propinquitatem. Quae vero ista sit vocalis *u* cum consonis affinitas ex natura huius soni facile cognoscitur. Cum enim vocalis *u* oriatur, si, lingua ad tertium polatum retracta, labia contrahantur atque, vti vsus fert loquendique commoditas, haud multum distantia contineantur (v. sup. p. 22. col. p. 26.); inde sequitur, literas labiales, quippe iisdem oris partibus tamquam instrumentis vtentes, vocali *u* esse propinquas. Iam vero cum ex literis labialibus *w*, *b*, *f* — mittamus enim reliquas parum ab his diuersas — *w* eadem fere labiorum oriatur compressione atque *u*; inde sequitur, *u* et *w* maxime sibi esse propinqua facillimeque inter se posse commutari. Habere autem istas literas eandem plane labiorum habitum, id quidem ex eo etiam intelligitur, quod *u* suppressa voce proferens atque *w* spiritu constante, possis vtroque modo, vt hoc vtar exemplo, tibiis suos elicere sonos. Ex his itaque clarum est, facillime oriri *w* ex *u* facillimeque *u* ad eiusmodi sonum posse abire. Iam vero, cum *u* literis aut sonantibus aut consonantibus iunctum sit in vocabulis atque duplici modo aut breuius, aut productius enunciari possit; quaeritur, quo in loco constitutum quaque temporis quantitate praeditum *u* facillime ad sonum *w* abire soleat ac debeat. Ad hanc etiam rem explicandam optime facit et humanae naturae cognitio et vitae vsus atque re-

spectus. Cum enim vti omnis corporis humani actio, ita oris maxime in loquendo perfecta et absoluta existat, suppetente largo temporis spatio; cumque ea sit consonarum natura, vt breuissimo modo vocalium sonos aut abscindant, aut modulentur, aut torqueant; clarum est, *u* productum facillime sua ratione conseruari neque consonantium tenuitati pernicitatique adsuescere posse, quod contra est in *u* correpto. Quod vero *u* literas consonantes praecedens genuinam potestatem abiicere detrectet, eius rei caussa linguae atque orationis ratione nititur. Cum enim in eo constet omne consonantium fere officium, vt sonos vocales, quae partim ob paucitatem partim ob simplicitatem vocabula neque ad notionum varietatem sufficientia neque ad orationis suauitatem apta formare possunt, diuersis modis nunc afficiant nunc modulentur et quasi incidant: inde intelligitur ineptum agere eos atque peruertere vocalium inter et consonarum rationem, qui vocales consona iamiam finitas n o u o stridore c o n s o n a n t e terminant; ex quo clarum est *u* neque facile neque lubens ante consonantes, paucissimis exceptis, vocalium virtutem exuere sonumque duriusculum et quasi raucum subire. Quam ob rem non nisi gentes subinde effeminatae, patria virtute et pulcri sensu iamiam deficiente, vocali *u* eiusmodi sonum intrudere posse videntur. Longe autem aliter sese habere *u* ante vocales, facillime intelligitur, quo

loco sponte sese pro *u* offert *w*, cuius rei haec est ratio. Eo scilicit insignis est vocalis *u* communi modo pronunciata, vt, cum vltimo vltimae vocalium classis loco, quae singulae deinceps angustius oris spatium requirunt (v. sup. p. 22.), constituta sit, minimum prae reliquis vocalibus omnibus requirat oris externi spatium siue labiorum distantiam. Quam ob rem, vbi vocali *u* iungitur vno tenore alia quaedam; necesse est, labia sono *u* formando compressa, vt subsequi possit alia vocalis, extendantur atque dilatentur, quod idem plane est, si sono *w*, pectoris spiritu constante, adduntur vocales. Iam vero si *u* breuissimo modo sive ad instar *w*, vti conuenit consonantibus, abrupte pronuncietur ante vocales; inde intelligitur oris in proferendo *u* et *w* vna cum vocali habitum atque affectum paene eundem esse, ex quo sequitur, sponte quasi et inuito *u* abire ad *w* ante vocalium sonos. Quam recte autem illud, quod disputauimus, sese habeat, paullulum exercitationis optime docet. Tantum est enim ŭ inter et w discrimen et quasi inimicitia, vt exempli caussa literas aŭf, quae facillime et abs omni labore auf sonant, non nisi contenta voce contortoque ore pronunciari possis awf; tantaque vocalis ŭ correptae ad w abeundi procliuitas, vt literae eŭa et ŭa sponte sonent ewa et wa[59].

59) Caueat, ne quis in medium adducat verba Feuer, Euter, quae aliter, ac sonant, scripta pronunciantur Faier, Aiter, a nouantibus autem Faeŭer et Aeŭter.

Qui vero in vanum nos disputasse atque mala, quae sensimus vsuque inuenimus, proposuisse iudicauerint, ii quaeso plurimarum linguarum exemplo atque auctoritati fidem faciant. Nam quod *u* sponte suo loco mutetur in *w*, ex eo etiam cognoscitur, quod Hebraei, Syri, Chaldaei, Arabes, Persae, Zabii, Armenii, Aethiopes, Latini, Germani, Francogalli aliaeque nationes initio pro *u* et w vna tantummodo vsi sunt litera. Obiici quidem possit istos populos alios ab aliis suas petiisse literas, quod vero tantum abest vt infringat, vt confirmet nostram sententiam. Cum enim istae gentes nonnisi literas aptas ab aliis receperint, ineptas autem obiecerint; inde sequitur, signa et *u* et *w* valentia, cum retinuerint, optime duplici sono proferendo, quem diximus, inseruire potuisse. Inde etiam factum est, quod Origenes ו Hebraeorum atque Graeci *v* Latinorum aptis in locis reddiderunt *ου*, quodque *u* in plurimis linguis abiit ad w, si vocalis quaedam noua ei addita sit, contra w ad u, sequente vocali subinde abiecta. Ex his itaque intelligitur, posse *u*, ac debere ŭ siue *u* correptum passim abire ad *w* atque reliquas literas labiales. Iam vero cum *υ* nunc a Graecis in diphthongis *αυ* et *ευ* pronuncietur w; quaeritur iam, num fortasse sonum *u* habuerit *ὐ ψιλον* Sc. S. interpretum aetate. Quod vt cognoscatur, satis habebimus, ne longi simus, adiisse Graecos V. T. interpretes, quippe reliquis aetate superio-

res. Attamen prouocare aliquis possit ad Syros, Hebraeos, Arabes, apud quos, vti vidimus §. 5. p. 55., ܘ̇, וּ, ـُو passim respondent *ὐ ψιλῳ* Graecorum. Sed cum istae literae partim etiamnum sonent *ü*, partim praeter consuetudinem eiusmodi etiam sonum habuisse possint ac debeant (p. 55.), cumque *ὐ ψιλὸν* alias respondeat literis ܒܼ, ִי, ـِي aliisque apud reliquos interpretes *i* sonantibus; a vero plane abhorret, *ὐ ψιλῷ*, quod quidem, si sonaret *ü*, passim *i* etiam inprimis seriori aeuo pronunciari poterat, triplicem tunc temporis apud Graecos, quod nonnisi in lingua peruersissima locum habere potest, sonum scilicet *u*, *ü* et *i* fuisse inditum. Praeterea tenendum, interpretes Graecos Hebraeorum ו siue producendum siue corripiendum scripsisse *ου*, quod aliter et potuissent et debuissent facere, si *υ* breue *u* valuisset adhuc [60]. Exstat vero etiam aliud quoddam huius rei testimonium, quod quamquam tacuisse velimus non ineptum est attulisse, Latinorum dicimus vsum. Cum enim u vel v — in quo obiter monitum velimus, perperam his literis, nisi si fit scripturae elegantiae cuiusdam caussa, discrimen statui — apud Latinos

60) Addere liceat verba quaedam hanc rem satis probantia. Scripta enim sunt: apud Orig. *λαμινεου* = לְמִינֵהוּ *Σ. Φανουηλ* = פְּנוּאֵל *Ἀλλ. Χερουβειμ* = כְּרֻבִים Iab. *Βουσιτης* = בּוּזִי *Οὐρει* = אוּרִי *Οὐριας* = אוּרִיָּה *Οὐριηλ* = אוּרִיאֵל, עוּתַי = *Ουθαϊ* זְבֻלוּן = *Ζαβουλων* זְבוּלֹנִי = *Ζαβουλωνιτης* al. vid. sup. p. 60. n. 25.

nunc *u* nunc *v* significet, neque vero literae y, quae inde a Ciceronis aetate nimirum ad i deprauata expulsa traditur, eiusmodi officium, quamuis Graecorum ὐ ψιλῷ respondenti, delatum sit; hinc sequitur, *v*, inde a quo tempore Graecae literae in Italiam inuectae sunt, caruisse iamiam sono *u* vel ŭ, aut perdidisse eum. Attamen certissimis argumentis probari potest, ὐ ψιλὸν, in quo qui aliter statuunt grauissime errare videntur[61]), ab initio scripturae Graecae valuisse *u*, quod infra singulari in loco demonstrandum erit. His itaque praemissis ad literas αυ et ευ redeamus atque, quomodo ab interpretibus Sc. S. variis scriptae sint, primum cognoscamus.

Graeci V. T. interpretes literis αυ significarunt Hebraeorum ַו, אַו, ָו, ַוּ, אוּ atque ευ literas ֶו et ֵו [62]). Syri αυ scripserunt ܰܘ,

---

61) Cf. S. V. Hug. D. Erfindung der Buchstabenschrift. Vlm. 1801. p. 13. 16. 19. al.

62) Exempla sunto: Gen. שָׁוֵה = Σαυη רְעוּ = Ῥαγαυ שָׁאוּלִי = Σαυλος (al. Σαουλι) עַוִּים = Ἀυιμ Ios. Esd. דֶּהָוֵה = Δαυαιοι Reg. אֱוִילמְרוֹדַךְ = Ἐυιαλμαρωδεκ (Cod. Vat.) Num. אֱוִי = Ἐυιν הַוְרָן = Ἀυρανιτης (Vulg. Auran) כִּסְלֵו = Χασλευ דָּוִיד = Δαυιδ עֵשָׂו = Ἐσαυ לֵוִי = Λευι נִינְוֵה = Νινευη, Νινευιτης Orig. Hex. יְקָוּוּ = ἱκαυου וּלְמִקְוֵה = οὐλαμακυε עָוֶה = Γαυε (Ἀκ.) Δαυιδ, al. Venet. Λευις, Δαυιδος, דָּרְיָוֶשׁ = Δαριαυεσος rel. Paullo aliter se habent עַוִּים = Ἀυιμ הוֹשֵׁעַ = Ἀυση (al. Ὀσηε) Num. Reg. עֲבַדְיָה = Ἀυδιας (Par. = Ἀβδιας) Reg. אֱוִילמְרוֹדַךְ = Ἐβιλμεροδαχ (Cod. Alex.) Gen. שׁוּעַ et סוֹא = Σαυα חֲזוֹ = Ἀζαυ גּוֹלָן = Γαυλων (Pent.) Gen. חִוִּי

ευ vero ο ܘ 65) Arabes ـَوْ pro *αυ* et *ευ*,

= חֲוִילָה = *Ἐυειλα* נְבוֹ = *Ναβαυ* שׁוּנִי = *Σαυνις*
אוֹנָן = *Ἀυναν* שׁוּחִי = *Σαυχιτις* הַוָּה = *Ἐυα* חַוִּים
= *Ἐυαιοι* עוֹבָל = *Ἐυαλ* (al. *Γεβαλ* et *Ἀιβαλος*)
Ios. אָוֶן = *Ἐυνη* אֶפְרָת = *Ἐυφρατης*.

63) Verba Graeca ex hoc genere apud Syros vsitata sunt: ܐܘܟܪܝܣܛܝܐ = *εὐχαριστια* ܐܘܢܓܠܝܘܢ = *εὐαγγελιον* ܐܘܢܓܠܣܛܐ *εὐαγγελιστα* = ܒܘܠܘܛܐ = *βουλευτης*. Ex Pesch. N. T. ܦܘܠܘܣ = *Παυλος* (Heb. שָׁאוּל = ܫܐܘܠ et ܫܐܘܠ = *Σαυλος*) ܐܘܪܩܠܝܕܘܢ = *εὐροκλυδων* ܐܘܕܝܐ = *Ἐυοδια* ܩܠܘܕܝܐ = *Κλαυδια* ܐܘܒܘܠܘܣ = *Ἐυβουλος* ܩܠܘܕܝܘܣ = *Κλαυδιος* ܠܘܝ = *Λευι* ܣܩܘܐ = *Σκευα* ܣܠܘܩܝܐ = *Σελευκια* ܐܘܢܝܩܐ = *Ἐυνικη*. Apocr. V. T. *Σελευκια* = ܣܠܘܩܝܐ *Ἐυπατωρ* = ܐܘܦܛܪ Vers. Philox. ܐܘܪܝ * ܢܝܢܘܐ * ܐܘܛܘܟܣܘܣ * ܐܘܢܓܗܠܝܘܢ et sic reliqua. Aliter se habent: ܢܘܢܓܝܐ = *ναυαγια* ܚܘܐ = *Ἐυα* ܢܝܢܘܝܐ = *Νινευιτης* ܢܝܢܘܐ = *Νινευη* ܬܘܕܐ = *Θευδας* ܐܒܘܠܘܣ = *Ευβουλος* Apoc. V. T. *Ἐυμενης* = ܐܘܡܢܝܣ *Ἐυπολεμος* = ܐܘܦܘܠܡܘܣ (alias ܐܘܦܘܠܡܝܣ) Vers. Philoxen. *πνευματα* = ܦܢܘܡܛܐ (in marg. MS.)

ante vocales وُ, وَ, اَو, et أُو[64], Copti ⲁⲩ pro *αυ*, ⲉⲩ pro *ευ*[65], Armenii աւ pro *αυ*, եւ passim եւ pro *ευ*[64] Gothi AV et AY pro *αυ*

---

64) Exempla ponamus (Psalm) *Χασαλευ* = كَسْلَاوْ *Λευι* = لَاوِي Vers. N. T. *Κλαυδιος* = كْلَوْدِيُوس *Ἐυοδια* = أُودِيَا *Κλαυδια* = كْلَوْدِيَّا *Ἐυβουλος* = أُوفُولُس *Ἐυνικη* = أُونِيكِي *Ἐυτυχος* = أُوتِيخُس *Παυλος* = بُولُص *Σελευκια* = سَلُوكِيَة *Σκευα* = سْكَاوَا *Ἐυα* = حَوَّا *Νινευιτης* = نِينْوِيّ *Ἀυγουστος* أُوغُسْطُس eiusque generis plura. Aliter scripta sunt *Ἀυρανιτις* (al. *Ὡρανιτης*) حُورَان *Δαυιδ* = دَاوُد *Θευδας* = ثُودَاس

65) Vti ⲔⲖⲀⲨⲆⲒⲞⲤ = *Κλαυδιας* et sic reliqua, quae Graecam scripturam referunt: *κλαυδια*, *ευβουλος*, *κλαυδα* (*Κλαυδη*) *ἠσαυ*, *σαυλος*, *παυλος*, *ευφρατης*, *ἐυα* (al. *ευὰ*) *λευι λευιτης*, *νινευὴ*, *σελευκια*, *θευδης*, *ευαγγελιον*, *ευνικη*. Excipiatur *δαυιδ* = *Δαβιδ* atque *ευτρακηλων* = *εὐροκλυδων*.

66) E variis S. S. libris exempla sunt: Նաբաւ = *Ναβαυ* դաւիթ = *Δαυιδ* Sawē = *Σαυη* Selĕukia = *Σελευκια* Ragau = *Ῥαγαυ* Thĕudas = *Θευδας* Skĕwa = *Σκευα* Eurakiklon = *Ἐυροκλυδων* Lewi = *Λευι* Ewodia = *Ἐυοδια* Esau = *Ἠσαυ* Nawe = *Ναυη*

AIY et AIYY pro *ευ*[67]), Aethiopes denique *αι* vocalibus I*mae* et IV*tae* classis literae ወ praefixis, *ευ* vocalibus V*tae* classis cum ው, speciatim autem *ὐ ψιλον* ex istis literis constitutum ante vocales signis ወ, ዉ, ቈ, ቀ, ቍ, ዉ[68]). Latinos hac etiam in re maiorum seruasse consuetudinem satis inter omnes constat[69]). Iam vero

---

Ewilat = *Ἐυιλατ* Sawara = *Σαυαρα* Thawoth = *Θαυωθ* eiusque generis al. Literam ւ habent: Նինուէ = *Νινευη* ˘Ewa = *Ἐυα* Եւբուղոս = *Ἐυβουλος* ˘Ewthikos = *Ἐυτυχος* ˘Ewnike = *Ἐυνικη* ˘Ewatsi = *Ἐυαιοι* Ewpator = *Ἐυπατορ* Ewialmarodek = *Ἐυιαλμαρωδεκ.* Aliter scripta sunt: Ephrat (Apoc. 9, 14. 16, 12.) al. in V. T. Եւփրատ, Պօղոս (Polos) = *Παυλος*, in quo verbo monendum, scripsisse Armenios initio աւ pro *o*. Սաւուղ = *Σαυλος* alias Սօղոս et Սաւուղ (*Σαουλ*) coll. Լաւօդեայ (*Λωΐδι* 2. Tim. 1, 5.) *Κλαυδιος* = Klodios *Κλαυδια* = Klodia *Κλαυδη* = Kloda Ogostos = *Ἀυγουστος* ĕiēs = *ἱερευς* Nĕrēs = *Νερευς*.

67) Vti augustus = *Ἀυγουστος* (collatt. Naum = *Ναουμ*, Kaparnaum = *Καπερναουμ*), daweid = *Δαυὶδ* laiwwi = *Λευι*, ragau = *Ῥαγου*, aiwaggeljon = *ἐγαγγέλιον*, paraskaiwe = *παρασκευη*.

68) Ex V. T. libris *Δαυιδ* = ዳዊት *Χασαλευ* = ከሠሌው N.T. *Κλαυδιος* = ቀለውዴዎስ alias ቀላውዴዎስ *Ἐυοδιαν* = ኤዎድያን *Κλαυδια* = ቀላውድያ *Ἐυβουλος* = ኤውቡሉስ *Κλαυδα* = ቆውዳ *Ἠσαυ* = ዔሳው (*Σαουλ* = ሳውል) *Σαυλος* = ሳውል *Παυλος* = ጳውሎስ *Ἐυα* = ሔቀ *Λευι* = ሌቍ *Νινευη* = ነነቈ *Σελευκια* = ሴሌውቍያ

quaeritur, quid ex harum literarum vsu de pronunciatione literarum *αυ* et *ευ* Sc. S. interpretum aetate possit existimari.

Hoc loco primum monendum est, literas istas pro *αυ* et *ευ* scilicet a Syris, Coptis, Aethiopibus, Armeniis, Italis, Arabibus adhibitas ita nunc pronuntiari apud suas gentes, vt sonent *au* et *eu* ante consonantes, *aw* autem atque ew ante vocales[70]) quae quidem res grauissimi momenti esse videtur. Cum enim nouis et plurimis exemplis iisque antiquissimis nunc confirmetur, quod sponte inuenimus, eam esse soni *w* naturam, vt, nisi in *b* aut *f* vertatur, abeat necessario quasi in *u* ante consonas, atque eam vocalis *u*, vt ante sonantes sponte mutetur in *w*; certo certius videtur, *ὖ ψιλον* literarum *αυ* et *ευ*, cum idem plane habeat officium atque literae ܘ, ⲩ, ው, ւ, V, و, parem etiam habuisse vsum, nec multum abest, quin tot gentium tot interpretum antiquissimorum auctoritate omnem de sono *αυ* et *ευ* absoluamus disputationem. Sed obsunt grauissima non-

---

Ἐυνικη = ኤውኒቄ *Ἐυτυσις* = ኤውጢኪስ
Ῥαγαυ = ራገው፡፡ Paullo aliter scripta exstant
Ἐυφρατης = ኤፍራጥስ *Θευδας* = ቴዉዴስ
ἐυαγγελιον = ወንጌል፡፡

69) *Ἐυαγγελιον* = euangelium *Θευδας* = Theudas Augustus, Dauid, Eubulus, rel.

70) Cf. Michael Syr. Gramm. l. c. Jahn Element l. Syr. l. c. Ludolf. Gramm. Aeth. l. c. Schröder Thesaur. l.

nulla, quae istam sententiam non solum labefactare, sed etiam frangere atque deiicere videantur. Ac primum negant Grammatici nonnulli, Hebraeorum ו vllo in loco cum praecedenti vocali diphthongos efficere, quo, si recte se habet, eo adigi videmur, vt victas manus demus iis, qui literas *αυ* et *ευ* constanter vti *aw* et *ew* pronunciandas iudicarunt. Nostrum itaque est, singula, quibus istam sententiam confirmarunt, argumenta pertractare. Priusquam autem aggrediamur eam rem, videamus nunc de reliquis. Obiicere enim primo aliquis possit, Syros, siue pronunciauerint *au* et *eu*, siue *aw* et *ew*, alio quodam modo, quam factum est, reddere istas Graecorum literas minime potuisse. Sed tenendum est, partim, quod Syri omnium accuratissime sonum verborum exterorum suis literis exprimere studuerunt, adeo vt nunc adderent literas nouas, nunc negligerent superfluas, nunc verba quamuis casu, quod dicunt, mutata integra sinerent; partim, quod literae *b*, *f*, *ph* sono *w* simillimae facili negotio atque salua paene vocabulorum pronunciatione pro w adhiberi possunt ac solent. Quas quidem ob caussas *αυ* et *ευ*, si tunc temporis constanter sonuissent *aw* et *ew*, optime a Syris ܒܰ et ܒܶ,

---

Armen. p. 17. 25. Agop. Gramm. Armen. p. 161. Rosenmüll. Istit. l. c. Kircheri Prodrom. Rom. 1636. p. 226. aliorumque hoc de re testimonia.

vel ܦ݁ et ܦ݂, vel ܘܗܿ et ܘܗ̄ scribi potuissent ac debuissent. Quodsi vero *αυ* et *ευ* vbicunque posita sonuissent *au* et *eu* haud dubie reddita fuissent ܘܗ et ܘܗ vel ܘܐ et ܘܐ, vel aliis quibusdam literis aptis. Possit quidem contra moneri, quod eiusmodi scriptura nimium torta atque corrupta fuissent verba Graeca. Sed cum Syri alias mirum in modum, quo accuratius vocabulorum soni quasi pingerentur, verba scripserint atque, quod tenendum est, isto vtique modo syllabas *au*, *eu*, *aw*, *ew* passim reddiderint 71); non dubium est, quin Syri ad seruandum literarum *αυ* et *ευ* sonum, si opus fuisset, istis etiam literis vsi fuissent. Iam vero cum pro *αυ* et *ευ* vbique paene ܘ݁ et ܘ݂ scripta sint, recte inde concludi posse videtur, interpretes Syros eodem modo ܘ݁ et ܘ݂ atque literas *αυ* et *ευ* pronunciasse. Istas vero Syrorum literas, quae sonant nunc *aw* et *ew* ante voca-

---

71) Exempla nominemus: *Ναυαταιοι* (1. Macc. IX, 35.) = ܢܒܛܝܐ *πνευματα* = ܦܢܘܡܛܐ *Ευπολεμος* (Apc.) ܐܘܦܘܠܡܘܣ *Ναιν* = ܢܐܝܢ *ναυτα* = ܢܘܛܐ coll. *ναυαγια* = ܢܘܐܓܝܐ *ευ* = ܐܘ *ευαγγελιον* = ܐܘܢܓܠܝܘܢ. *Θαδδαιος* = ܬܕܘܣ plura, in quibus partim literarum adspiratio partim accentus ingeniose notantur. Cf. Iahn. Element. p. 17. Plura e. g. attulimus supra.

les, *au* et *eu* ante consonas, antiquissimis iamiam temporibus eandem habuisse potestatem, inde intelligitur, quod ܘ̇ et ܘ̄ diphthongorum potestatem assequuntur e coniunctis et quasi contractis dissyllabis *au*, quodque ܘ vocales proxime antecedens constanter partes consonantium Syriacarum agit 72).

Quae autem diximus de Syrorum hac in re vsu, ea etiam, quod sponte intelligitur, in Arabes cadunt. Cum enim ii quoque literas *αυ* et *ευ*, si aliter sonuissent, quam ـَوْ et ـِوْ, siue vocali siue consona sequente, facillime alio quodam modo, vt germana earum pronunciatio seruaretur, consignare potuissent; 73) inde admodum probabile est, Arabes etiam Syrorum ad instar literis *αυ* et *ευ* ante vocales positis sonum *aw* et *ew*, ante consonas autem *au* et *eu* diphthongorum potestatem tribuisse.

Iam videamus, quomodo Copti literas Graecorum *αυ* et *ευ* pronunciauerint. Ac primo qui-

---

72) Vti *Σαουια* = ܫܘܝܐ *Δεσσαου* (Vulg. Dessau lib. Ap.) = ܕܫܘ? *ναους* = ܢܘܣܐ coll. שָׁאוּל = ܫܐܘܠ et *Παυλος* = ܦܘܠܘܣ. Huc pertinent syllabae ܐܘ ܳ quae contracte proferuntur: ܘ ܫܘܐ = שְׁוֵה (Chald.) = שָׁוֶה (Heb.) rel.

73) Exemplo sit شَاوُوز, quod alias scripserunt شَاوُل et شَوْل.

dem illud tenendum est, Memphitas nullam fere literarum Graecarum rationem habuisse, imo id potius, vti ex superioribus constat, curasse, vt vocabulorum et sonus et accentus seruarentur. Quam ob rem, cum *αυ* et *ευ* scripserint ⲁⲩ et ⲉⲩ, certissimum videtur, istas literas Graecis *αυ* et *ευ*, quae si aliter sonuissent facillime alio quodam modo reddi potuissent, omni ex numero respondisse. Cum vero interpretes Sahitici, qui Graecam scripturam retinuere, literas easdem atque Memphitae pro *αυ* et *ευ* adhibuerint; inde intelligitur, vtramque gentem parem literis ⲁⲩ et ⲉⲩ = *αυ* et *ευ* tribuisse sonum. Iam vero Coptos ⲁⲩ et ⲉⲩ pronunciasse *au* et *eu* ex eo clarum est, quod eas literas pro sono *au* et *eu* dissyllabo in vnam syllabam contracto adhibuerunt, quodque alterutra vocalis, vti accidit diphthongis, aliarum quarundam sonum passim adepta est. 74) Neque dubium est, quin ⲩ ante vocales sonuerit *w*, partim quoniam haec litera pro vocali *u* correpta scribitur, quae quidem experientia teste plurimisque lin-

74) Exempla ponamus Copt. *σαυλ* = Graec. *Σαουλ* Act. 27, 7. 3. 13, 21. 9, 4. 17. (alias *σαουλ* pro *Σαυλ*, *Σαυλος*) Pro *παυλος* seriori tempore scriptum exstat *πευλος* (Cf. Mingarelli codd. Aegypt. rel. Bonon. 1785. in. fin.) *μαου* = *μαυ*, *νευερηυ* = *νεουερεου*, *αυὁραμα* = *αουὁραμα* eiusque generis alia. (Cf. Scoltz. Gram. Aeg. p. 17. p. 58. p. 59.) *βελλευ* pro *βελλεου*, *ευτακο* pro *εουτακο* eiusq. gen. al pl. (Cf. Scoltz. l. c. p. 29.)

quis testibus sponte sonat *w* ante vocales alias, partim vero, quoniam ⲩ aeque atque ⲟⲩ sonum *w* et *b* possim subierunt literis sonantibus praefixa. 75)

Latinos quod attinet, satis inter omnes constat', literas eorum *au* et *eu*, quae Graecorum *αυ* et *ευ* respondent, pronunciandas esse diphthongorum ratione ante vocales, atque *aw* et *ew* sequente vocali. Nemini enim, si ab iis discesseris, qui latinas literas vti vernaculas proferunt, in mentem nunc venit, istas literas alieno quodam modo proferre, atque, quod vix parum per humanae naturae leges orisque rationem fieri potest, constanter aut *au* et *eu* aut *aw* et *ew* enunciare. Praeterea observandum, quod Itala habet *u* ante vocales pro *β* et ו (דָּוִד = *Δαβιδ* = Dauid) atque *au* et *eu* pro *αου* *εου*, ו ָ et ו ֵ, ex quibus alias diphthongi oriuntur. Quam quidem ob rem admodum probabile est, Latinos etiam eodem quo diximus modo *αυ* et *ευ* pronunciasse.

75) Cf. Didym. Taur. Rudim. p. 46. inprimis P. Er. Iablonskii opuscula Lud. Bat. 1804. p. 345. Exempla sunto ϩⲑⲏⲟⲩ = ϩⲧⲏⲩ, ϩⲃⲏⲩⲉ = ϩⲃⲏⲟⲩⲓ, *ῥαβηουτ* = *ῥαουηουτ*, *νηυ* = *νηου* *σνηυ* = *σνηου*, *Τεβουνι* (Joseph. in Hypomn.) = ϯⲟⲩⲱⲓⲛⲓ, *Συηνη* (Graec.) = *σουηνη* (Copt.) = סְוֵנֵה = أَسْوَان (V. Gesen. Woerterb. s. h. v.) ⲟⲩⲁϣ = ⲟⲩⲃⲁϣ *ῥαβηουτ* = *ῥαουηουτ* ϧⲉⲛ ⲡⲓⲫⲏⲟⲩⲓ = ኀንፈቀ Ludolf. Gr. Aeth. p. 282.

Inter omnes linguas, quibus Graecarum literarum vis ac potestas cognosci potest, nulla fere tam apta tamque vtilis esse videtur, quam Armeniaca. Cum enim signum ւ, quod, cum Armeniorum literae eundem fere ordinem habeant atque Graecorum, eodem loco, quo *ὖ ψιλὸν* continetur, constitutum est, antiquissimorum Grammaticorum auctoritate, constanter *u*, si per se subsistat, nec vnacum accentu (ւ̂) scribatur, ante consonas pronunciandum sit, vocales autem praecedens aeque atque ւ̂ vernaculum *w* valeat[76]: omnis inde, quae de sono literis *αυ* et *ευ* tribuendo ortae sunt lites, optime componi atque dirimi posse videntur. Cum enim *αυ* et *ευ* sequente vocali vbique fere աւ et եւ scripta sint, *ευ* vero sequente consona alias եւ alias եւ̂; omni dubitatione carere videtur, Armenios *αυ* et *ευ* ante vocales constanter *aw* et *ew*, *αυ* ante consonantes constanter *au*, *ευ* vero cosonante aliqua sequente nunc *eu* nunc *ew* pronunciasse. Sed traditur a Grammaticis, coepisse subinde, obsolescente magis magisque interpretum Armeniacorum scribendi more, ւ pro ւ̂ scribi ex quo oritur suspicio, աւ et եւ = *αυ* et *ευ* omnino *aw* et *ew* initio sonuisse. Deinde occurrunt nomina pro *ευ* ante

76) Cf. Schroeder Thesaur. ling. Arm. p. 15. s. 27. s. Agop. Gramm. Armen. p. 226.

vocales եւ́ habentia, quo quidem illud probari posse videtur, literas եւ = *ευ*, quo loco accentus signo carent, ab Armeniis, siue vocali siue consona sequente, *eu* fuisse pronunciatas. Sed ad eam rem explicandam vel paullulum diligentiae et attentionis sufficit. Quamquam enim negari nequit, plurimis in verbis perdidisse ւ subinde accentum, neque a vero plane abhorret, ւ, vbicunque sonaret *w*, initio scriptum fuisse ւ́; obseruandum tamem, id quidem accidisse, quo loco ւ siue *ŭ* sua sponte scilicet ante vocales sonaret *w*, minime autem, quo loco ւ pro linguae Armenicae natura aut taceri aut *ŭ* pronunciari perperam legendo potuerit. 77) Praeterea non mirum est — in qua quidem scriptura editio Anglica atque Bataua passim adeo inter se differunt — nonnulla verba Armeniaca antiquam lectionem retinuisse. Quod vero literae *ευ* passim եւ́ sequente consona ab Armeniis, quod secus est apud reliquos eiusdem aetatis interpretes, pronunciatae videndur, de eo infra agendum erit. Ex his itaque intelligitur, Armenios etiam literas *αυ* et *ευ* quas, si constan-

77) Apponere liceat exempla nonulla աղւոյ et աղւ́ոյ, զինւոյ et զինւ́ոյ in quibus legendis intelligendisque, si missum esset signum (́), plurimum versaretur ambiguitatis.

ter sonuissent *au* et *eu*, optime աու et եու, sin *aw* et *ew* valuissent vbique, literis ավ et եվ conscribere potuissent, communi modo pronunciasse. Sonuisse autem աւ et եւ ante consonas vere *au* et *eu*, id quidem ex eo etiam intelligitur, quod passim sonos o et է eo in loco subierunt. Praeterea sciendum est, literam ւ, quo illa eius ante vocales pronuntiatio confirmatur, loco و (*w*) Arabum atque spiritus quem dicunt, asperi aut digammatis Aeolici scriptam esse, necnon pro *w* alias in illa lingua constanter adhiberi. 78)

Quamuis autem subtiliter disputaueris cauteque processeris, semper restabunt, inquis, ambiguitas quaedam atque suspicio, *αυ* et *ευ*, licet maxima sit interpretum S. S. hac in re auctoritas, constanter aut *au* et *eu* aut *aw* et *ew* fuisse pronunciata. Cum enim *αυ* et *ευ* ab interpretibus istis et vocali et consona subsequente constanter iisdem literis scribantur, cumque literam in singulis linguis pro *ὐ ψιλῷ* adhibitam ante vocales sonuisse *w*, argumentis non satis claris et manifestis demonstratum sit; retinenda videtur ea sententia, qua literae *αυ* et *ευ*, siue Erasmi auctoritatem siue Graecorum vsum se-

---

78) Vti in verbis սկաւառակ = سكورة *ὕλη* = հիւլէ, հիւծել al. էիւս, էիւն, բարիւոյ, al.

quamini, vno tantum eodemque modo vbique locorum pronunciantur: neque fidem faciendam esse dicis istis interpretibus, nisi si apud gentem quandam *αυ* et *ευ* ita reddita sint, vt, quo loco sonarent *au* et *eu*, quoue *aw* et *ew*, diversam scripturam diversasque literas habeant. Iam vero eiusmodi literarum *αυ* et *ευ* scriptio, quam dudum desiderauimus, exstat apud Vlfilam. Alia est enim Gothorum litera Y = *w*, quae ordine vigesima secunda aeque atque *ύ* Graecorum numerum CCCC significat, alia *n* = *u*, quae locum decimum sextum obtinens vti *ό* Graecorum numerum LXX denotat. Iam vero duabus his literis ita vsus est Vlfilas in reddendis Graecorum *αυ* et *ευ*, vt, quo loco *υ*, nimirum ante consonas, sonaret *u*, adhiberet *n*, quo autem *υ* valeret *w*, nimirum ante voceles, scriberet Y. Istas autem literas Gothorum ita vere vti Grammatici praecipiunt sonuisse, grauissimis argumentis probari potest. Cum enim Vlfilas literas et vocales et consonas primarias omnes ac singulas receperit, sponte intelligitur, sonos etiam *u* et *w* inter literas Gothicas esse reperiendos. Iam vero vtraque litera genuinum sonum sexcentis in verbis retinuit atque pro aliorum populorum literis eodem modo sonantibus scripta reperitur. 79)

---

79) Paucissima sufficiant ad eam rem intelligendam verba: kumei = *κουμι* susanna = *Σουσαννα* wair (leg. wĕr) = vir winds (Wind) wintrus (Winter) witan (wissen)

Venimus nunc ad Aethiopes, qui illam literarum *αυ* et *ευ* pronunciationem duplici modo egregie confirmant. Primo enim eodem modo ac reliquos *αυ* et *ευ* sese protulisse, omninum fere luculentissime produnt. Cum enim litera ው = *u* per se muta, vbi subsequatur vocales, cum praecedenti coalescat atque diphthongos efficiat, signa autem ወ = *wă* ዋ *wā*, ዌ = *we* ዊ = *wi* ዎ = *wo*, ው = *wu* aeque atque reliqua iisdem ordinibus adscipta non literas quidem simplices sed syllabas integras significent; inde intelligitur, Aethiopus optime sonum *αυ* et *ευ* innuere potuisse atque conseruare. Iam vero ita reddiderunt *αυ* et *ευ*, vt pro iis — vti enim liceat ad declarandum litera አ — scriberent አው et ኤው (*au*, *eu*) ante consonantes, contra አዋ, ኤዋ, አዌ, ኤዌ (*a-w*, *e-w*) et sic porro ante sonantes. Ex quo intelligetur, sonuisse tunc temporis *ὐ ψιλον* in *αυ* et *ευ* vti *ŭ* sequente consona, atque vt *w* sequente vocali, quacum coniuncta vnam efficeret syllabam. Quodsi enim *αυ* et *ευ* vbique ita, vti nunc fit a Graecis, pronunciata fuissent, scribi potuissent ac debuissent ab Aethiopibus አቢ et ኤቢ vel አፈ et ኤፈ; sin constanter valuissent *au* et *eu*, facillime literis አውኢ et ኤውኢ reddita in ger-

windan (winden) untar (unter) uns (uns) wairths (werth) brunna (Brunnen) brusts (Brust). Plura vid. p. 61. n. 30. p. 63. n. 36.

mana potestate conseruari potuissent.[80] Cum vero huius scriptionis ne vnum quidem exemplum exstet atque Aethiopes constanter, vt his vtamur, Eu-ro-pa atque E-wo-dĭ-ia scripserint; inde recte concludendum videdur, eos etiam *αυ* et *ευ* Graecorum eodem, quo diximus, modo duplici pronunciasse. Sed grauius adeo est, quod Aethiopum literis siue syllabis probatur. Cum enim ܘ Syrorum, و Arabum atque ו Hebraeorum, vbi praecedunt vocales, ita apud Aethiopes scribantur, vt ܘ, و, ו cum vocali sequente coalescant atque singulares syllabas (*wa*, *we*, *wi* et sic porro) efficiant;[81] inde intelligitur denuoque confirmatur, *αυ* et *ευ*, quae sequente vocali isto prorsus modo a Syris et Arabibus scribuntur, a Graecis autem pro ו vnacum sonante efferendo adhibita sunt, ante vocales vere *aw* et *ew* siue *a-wa*, *e-wa* et sic porro tunc temporis sonuisse. Ex his itaque

80) Aethiopes enim quo iure alias ad sonos verborum Graecorum reddendos aut nouas et alienas literas adhibuere suas, aut ineptas neglexere Graecas; eodem etiam hoc loco singulari isto modo literas *αυ* et *ευ* significare potuerunt. Attamen offendit, quod ወ nonnunquam cum litera praecedenti diphthongum efficit. Sed tenendum, hoc, nisi si litera primae classis praecedat linguaeque Aethiopicae natura exigat, non habere locum. (Cf. Ludolph. Gramm. Aeth. ed. II p. 13. c. VI. n. 3.)

81) Exempla ponamus: ወይን = وَيْنٌ ወልወል = وَلْوَلٌ ወሰቅ = ושק (1 Par. 12, 2 col. Gesen. Woerterb. Leip. 1810. p. 241.) וָו = ውው = ܘܘ.

clarum est, Syros, Coptos, Latinos, Gothos, Aethiopes, Armenios, Arabes literas *αυ* et *ευ* duplici, quo dictum est, modo pronunciasse. His autem praemissis, iam, vti propositum est, ad Graecos literarum Hebraicarum interpretes redeamus.

Ac primo negari nequit, Hebraeorum ו, quamuis leni demum spiritu pronunciatum sit, literis vocalibus praefixum sonuisse *w*.[82] Hoc enim ex eo etiam patet, quod ו passim a LXX litera *β* expressum est atque in codicibus antiquissimis cum ב et פ sono *w* affinibus commutatum (שְׁבָא=שָׁוְא), quodque ו subinde ad י consonans abiit atque pro linguae Hebraicae natura in verbis legitimo syllabarum numero constante passim duplicari solet pronunciando. Nolumus enim illud memorare, quod Hebraei, si ו non *w* valuisset, eiusmodi sono, qui a nulla fere lingua abest, caruissent, quodque ו, cum alias vocali *u* inseruierit, sua sponte ante vocales ad *w* abire debuit. Iam vero si recte se habet, quod certo certius est, ו vocales praecedens sonuisse *w*, inde sequitur Graecorum etiam *υ* literarum *αυ* et *ευ* a sonis vocalibus exceptum parem habuisse potestatem. Obiicere quidem aliquis possit, seruasse Graecos et Hebraicarum et suarum literarum numerum reddendis Hebraeorum nominibus aut nequiuisse

---

82) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 16.

eos ו ָ et ו ֶ insequente vocali quadam aptioribus atque factum est literis exprimere: sed cum ו longe alium locum atque *ὐ ψιλον*, si series vtriusque literarum generis respiciatur, teneat, atque in genere defuerint Graecis literae, quae reperirentur apud Hebraeos tunc temporis et contra; ea iam cadit sententia, ac seruauerint Graeci Sc. S. interpretes literarum Hebraicarum ordinem. Deinde cum *υ* illa aetate, vti vidimus, sonaret *ü* et *i*, *αυ* vero et *ευ*, si ad Erasmi praecepta accurate tunc proferrentur, ne paullullum quidem soni *w* proderent; contra cum *β* atque *φ*, quod infra videbimus, eadem fere vocis modulatione vterentur, atque ו siue *w:* inde clarum est, quod lierae *αυ* et *ευ*, si sonuissent tunc *au* et *eu* tiphthongorum ad instar ante vocales, vt ineptissimae pro ו ָ ו ֶ adhibitae essent quodque loco *υ*, vt sonus verborum Hebraicorum seruaretur longe rectius *β* aut *φ* scribi et potuisset et debuisset. Praeterea ne hoc quidem concedi potest, interpretes Graecos alios aliorum hac in re scribendi rationem secutos esse, cum singuli quique singulari passim modo literas Hebraicas reddiderint, atque pro ו ָ et ו ֶ vbique non solum *αυ* et *ευ* sed etiam *αβ* et *εβ* non nusquam scripserint, cumque Origines, quod tenendum est, verba Hebraica Graecis literis consignans sonum eorum conseruare studuerit. [83]) Itaque cum literae Hebraeorum ו ָ

83) Exempla sunto *Δαυιδ*, quod saepissime etiam *Δαβιδ* scribitur, וַיְזָתָא = *Βαϊσαθα*. Ad variam interpretum

et וֵ atque reliquae supra commemoratae, quae, vbi vocales praecedunt, iisdem verbis contentae *aw* et *ew* sonant, a variis S. S. interpretibus Graecis, *αυ* et *ευ* consignatae fuerint; recte inde, cum aliae etiam adessent literae ad eiusmodi sonum innuendum haud ineptae, concludendum videtur, Graecorum *αυ* et *αυ*, quo loco a vocalibus statim excipiebantur, prorsus vti *aw* et *ew* illa aetate fuisse pronunciata. Sed iam videamus, vtrum literae *αυ* et *ευ* diphthogorum etiam vim ac potestatem apud interpretes Graecos habuerint, ad quam rem cognoscendam inquiratur necesse est, an Hebraeis diphthongi *au* et *eu* in vsu fuerint, nec ne. Cum vero literae י, praecedente vocali aliena, eadem sit ratio atque ו, non ineptum videtur, duplicem hac de re disputationem coniungere.

In qua quidem disputatione, quae grauissimi sane momenti est, primum nescio vtrum dolendum an laetandum nobis sit, quod, cuius sententiae Vossius auctor traditur, Hebraeorum א, י, ו initio vocales notasse persuasum nobis habemus. Cuius rei haec sunt argumenta. Vix ac ne vix quidem probabile est, literarum auctores siue Hebraeos, siue Phoenices, siue Aegyptios neglexisse vocalium sonos, consonantes cum notauerint, certis quibusdam signis innuere.

---

scripturam cognoscendam vnum laudare sufficiat ע, quod nunc γ nunc ε scribitur nunc plane ab iis omittitur. Plura vid. Hiller. Onomast. p. 691. H. Iahn Gramm. Heb. ed. III. p. 446. ff.

Tenendum enim est, literas omnes ac singulas quasi describere oris atque vocis affectionem, qua certus quidam oris sonus siue simplex siue compositus nascatur. Iam vero cum vocales in omni oratione primarias partes agant, mirandum profecto esset, si consonas tantum notasset Phoenix. Huc accidit, quod sonus *h*, qui simillimum habet in pronunciando oris habitum, atque iure quodem a multis inter vocales aut semiuocales numeratur, singulari signo ה praeditus exstat. Neque illud vrgere volumus, quod a fine omnis scripturae aberrassent literarum auctores, si sonos vocales consonantibus pro arbitrio addendas lectoribus reliquissent. Cum enim in eo constet omne literarum officium, vt verborum sonos scriptos et quasi pictos referant, nec nisi summa difficultate libri, si deessent vocales, recitari possint, — ex quo fit, vt Arabes adeo vtut docti, si incidunt in libros incognitos ante, admodum haesitantes nec nisi perspecta orationis serie verba quamuis sua bene recitare possint — inde sponte intelligitur, quod auctores literarum, si vocales neglexissent, imperfectum opus reliquissent atque popularibus in quorum vsum scripserunt, parum ne dicam nihil profuissent. Praeterea ne vna quidem caussa certa atque firma proferri potest, ob quam vocales negligendae fuissent ab iis, qui consonas primum significarunt. Faciamus itaque, inquis, literis א, י, ו vocales *a*, *i*, *u* primo significatas fuisse, quoniam solo consonantium vsu

vocabula neque scribi neque legi bene potuissent; at vero quid est, quod literarum auctores consonantes *j* et *w* neglexerunt; porro: quod, cum quinque sint vocales, tres tantum perceperunt; quod denique, vti videtur, pro lubitu ex omni vocalium genere *a*, *i*, *u* singularibus signis dignas iudicarunt? Audimus. Primum quod attinet, memorandum est, sonos *u* et *i*, vti vidimus denuoque videbimus infra, eosdem fere esse atque *w* et *j*. Inter vtrasque enim non nisi hoc discriminis est, quod *u* et *i* vocales, non autem tanquam consonantes produci possunt. Quemadmodum enim *ŭ* ante vocales alias in eodem vocabulo pronunciandas sponte sonat *w*, ita etiam *i* a vocalibus exceptum abit ad *j*. Neque vllum credimus offendet, vtriusque generis sonos vna tantummodo litera fuisse significatos, cum idem obseruauerint Graeci, Latini, Gothi, Copti, aliaeque nationes. Ex his itaque clarum est, potuisse י et ו non solum vtrisque sonis *u*, *i* et *w*, *j* inseruire, sed debuisse adeo vtramque literam, cum ante vocales sonuerint *w* et *j*, vti *i* pronunciari, vbi syllabas aut solae aut cum consonantibus coniunctae constituerent. Sed grauius offendit, quod, si א, י, ו pro vocalibus valuissent, tres tantum literae sonantes adfuissent, quae ne suffecissent quidem ad verborum sonum significandum. Hoc loco tenendum est, permultis in verbis periisse haud dubie literas א, י, ו, quod inde a quo tempore vocalium notae adhiberi coeperunt facillime acci-

dit.[84] Hoc saltem eo probabile redditur, quod Samaritani ࠀ ࠄ ࠉ vocales sexcentis in verbis retinuisse videntur. Vtut sit, ne nunc quidem suffecissent istae literae modice adhibitae atque consonantibus raro quasi immixtae ad consonarum farraginem et frequentiam clare efferendam. Quam quidem ob rem admodum probabile est, quod acute coniecit Hezelius,[85] consonantes Hebraeorum siue Phoenicum omnes ac singulas, nisi si ex istis vocalibus quaedam addita esset, vnacum sono *a* initio fuisse pronunciatas. Iam vero istas consonantes syllabas singulas — nam hoc idem sibi vult, atque Hezelius censet — significasse, non solum Samaritanorum atque Arabum vsu, sed etiam Aethiopum literis siue syllabis egregie confirmatur. Itaque secundam hanc sententiam קטל (ࠒࠈࠋ, قَتَلَ, ቀተለ) sua sponte sonuisset *katala* atque גיר (גִירָא) *gida*. Moneri quidem possit, hac tali scriptura parum potuisse modos et tempora verborum innui; sed cum eiusmodi notionum discrimina non nisi subinde haud dubie ortae sint, atque literarum auctores parum primo sonorum rationem perceperint, vtique potuissent eadem vocabula constante orthographia, aut sensu aut pronunciatione paullulum mutata diuersis modis adhiberi. Quemadmodum enim Gothi, vt hoc

---

84) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 49. ss.

85) Cf. Ej. Palaeograph. Fragmente p. 10.

vtamur exemplo, vsu nouerant, quo loco vernacula *o* et *u* a genuino sono ad *ö* et *ü* deflecterent; ita etiam Semitae, quo loco syllabae *ka*, *ta* sonarent k*ä*, *te*, *ke*, *tä* et sic porro facile legendo notare potuerunt. Iam vero si primo consonantes Hebraeorum per se sonarent; inde intelligitur, vocales א, י, ו siue *a*, *i*, *u*, si accederent, suffecisse ad percipiendum verborum sonum atque scriptorum mentem facile intelligendam. Hinc etiam cognoscitur, vocales in libris Hebraicis nunc adhibitas illud tantum prodere, quales quantasque mutationes subinde suberit literarum Hebraicarum pronunciatio duorum fortasse milliorum annorum spatio. Attamen quid est, quod tres tantum vocales significatae primum exstiterunt, cum quinque primariae apud Hebraios aliasque nationes reperiantur? Sed viden, eodem iure posse quaeri: quid est, quod isti literarum auctores non novem — totidem enim sunt — vocales distinxerunt, quodque ne punctorum apicumque Hebraicorum auctores quidem atque Graeci, Gothi, Aethiopes, Syri totidem sonos signis singularibus innuerunt? Huius autem rei haec est ratio. In eo scilicet versatur omnis literarum historia, vt earum numerus subinde auctus sit, siue, quod idem sibi vult, vt soni ex ore humano nati similes, hoc est eandem fere oris affectionem habentes, primo vno tantum, sequius autem diversis signis notati sint. Hinc factum est, vt Hebraei pro quindecim literis subinde viginti,

viginti duo, viginti tres in vsum receperint. Non enim video, qui possit apertissimorum atque certissimorum testimoniorum auctoritati nihil plane tribui [86], praesertim cum literae inde ab ע vsque ad ת nouae, tamquam additamenta et complementa reliquarum prioribus, vti postea patebit, facillime contineri potuerint cumque ש initio vnius soni signum Hieronymi demum tempore duplicem שׁ שׂ assecutum sit. Hinc factum, vt Graeci nouas vsque literas et inusitatas ante in scribendo adhibuerint, hinc vt Copti, Latini, Gothi, Armenii praeter Graeca sonorum signa alia etiam inuenerint atque Persae literarum Arabicarum earundem discrimina nouis significauerint. Iam vero cum apud omnes gentes literarum signa initio pauca numero fuerint atque diuersi soni iisdem characteribus obnoxii; inde non mirum est, idem accidisse etiam vocalium Phoenissarum notis. Quemadmodum enim consonarum ita etiam vocalium discrimina primo parum percepta fuerint necesse est, neque dubito, quin cabalistae, si huius rei cognitionem habuissent, numerorum rationibus demonstrassent, ne potuisse quidem initio plura quam tria ista vocalium signa existere. Cum enim pro rerum humanarum perfectione gentiumque cultura antiquissimis temporibus quinque vocales, sequius autem nouem in vsum venerint; inde aliquis probare potuerit, initio scripturae non

86) Cf. Hug. Erfindung d. Buchstabensch. p. 16. 19. al.

nisi tres vocales internosci potuisse, nec non eo aliquando peruenturam esse gentem humanam, vt septendecim vocales sono inter se diversae scribendo distinguantur.[87] Illud certe negari nequit consonarum aeque atque vocalium discrimina apud plurimas gentes magis magisque esse percepta atque notata. Ex his itaque probabile est, א, י, ו significasse *a*, *i*, *u*; sed ne quis opinetur, istis literis affinium vocalium potestatem tribui non potuisse. Quemadmodum enim Graeci, Gothi aliaeque nationes cum literis *a*, *o* non modo sonum *a* et *o* sed etiam,

---

87) Vid. sup. p. 23. et 25. Datis scilicet vocalium numeris 5 et 9 sponte intelligitur, existere seriem arithmeticam, qua quidem illa sententia confirmari possit:

Vocales	3			*Differentia*
		2		
			2	
	5			
		4		
			4	
	9			
		8		
			8	
	17			
		16		
			16	
	23			

Nolumus hoc loco silentio praeterire, inter vocales atque consonas subinde vsitatas obseruari quandam proportionem, cuius ratio haec est:

$$3 : 15 = 5 : 25.$$

Hoc saltem ex eo clarum est, vti consonarum ita etiam vocalium sonos subinde magis magisque fuisse distinctos.

priusquam *ä*, *ö* singularibus literis scripserunt, *ä* et *ö* coniunxerunt; ita etiam Phoenices, praesertim cum consonantibus (exemplo sit שׁ et שׂ) diversam vim partim tribuerint, cum literis א ו י diversos eosque affines sonos innuere potuerunt ac debuerunt. Quinam autem soni vt affines scilicet *e* et *o* cum vocalibus *a i u*, coniungi potuerint, ex superibus satis clarum est.[88] Itaque tunc temporis vsu constabat, quo loco א י ו sonarent *a i u* quoue *e o* siue, quod idem est, vtrum אַ, ־ִי, וּ an אֶ, ־ֵי, וֹ variis in verbis valerent. Iam vero si recte se habet illud, de quibus hactenus expositum est, intelligitur, primam Hebraeorum scripturam admodum perfectam fuisse istisque literis vocabulorum sonum satis bene licet simplicissime significari, velut pingi potuisse. Attamen denuo quaeri possit, qua de causa literarum auctor ex omni vocalium numero *a* tantum atque *i* et *u* literis significauerit, cum aliae ternae quaeque eodem isto honore dignae viderentur. Non haesitantes respondemus. Cum nimirum soni consonantes non nisi subinde accuratius inter se discerni, nec nisi eae literae primum scribi coeperint, quae vel maxime diuersam oris affectionem requirerent; inde clarum est, vocalium etiam sonos initio inter se confundi nec nisi eos primum significari potuisse, qui singulari maxime-

---

88) Vid. sup. p. 25. coll. p. 28. 5 p. 31. 5.

que diuerso oris habitu proficerentur. Iam vero cum *a i u* plurimis interuallis inter se distent longeque alio modo quaeuis earum oriatur; [89]) sequitur, non nisi istas vocales a literarum Phoenissarum auctoribus primum discerni atque significari et potuisse et debuisse. Sed proprius iam ad rem accedamus. Duplex est, vti constat, quod literarum auctor Phoenix curauit, alterum, vt literae quaeque rerum ex vita petitarum formam quandam atque figuram haberent, vnde etiam singulae nomen traxerunt, alterum, vt cuiusque literae signum ita prorsus sonaret, vti initium nominis eius, quo res quaedam, cuius formam prae se ferret litera, appellaretur. [90]) Ex quo sequi primum videtur, cum א verbi אלף sonet *a*, istam literam initio pro *a* valuisse. Scripserunt quidem Hebraei etiam אֶלֶף, quo innui videtur, א initio sonuisse *e*. Sed cum *a* sonum *e* affinem habeat facileque vti apud Anglos aliosque populos ita etiam apud Hebraeos proximam sibi eamque pronunciatu faciliorem vocalem subire potuerit; ista Tiberiensium pronunciatione confirmari potius videtur, א primum *a* sonuisse. Grauius offendit, quod secundum istam sententiam י et ו, quippe vocabulorum siue rerum יד et וו cum figuram tum nomen habentia, consonantibus adnumeranda essent.

---

89) Vid. supr. p. 25. coll. p. 30. s.

90) Cf. Hug. l. c. p. 24. Gesen. Lehrgeb. p. 8. ss. ei. Gesch. der Heb. Sp. p. 167.

Sed obseruandum, prima literarum et signa et nomina, quod ideo fortasse factum est, vt memoriae succurretur, petita esse a rebus in vita vulgari versatis omnibusque tritis, nec non simplici eaque singulari figura conspicuis. Quam quidem ob rem fortasse accidit, vt pro *i* et *u*, praesertim cum pauca Hebraeorum verba a vocalibus incipiant, neque aptior quaedam res neque aptiora nomina adessent. Iam vero, quod summum est, cum *j* et *w* aequent *ĭ* et *ŭ* correpta vnacum vocalibus proferenda, clarum est, י et ו vtique inuita nominum sibi inditorum scriptura *i* et *u* sonare potuisse, cuius quidem rei tanta est vis, vt י et ו, etiamsi vocales praecedentia constanter pronunciarentur *j* et *w*, ante consonas atque in fine verborum vocalium potestatem prorsus obtinere debuerint. Huc facit, quod Graeci etiam istis literis vocalium sonum sua in lingua tribuerunt. Cum enim Cadmus literas Phoenissas in Graeciam intulerit ita, vt et figuras et ordinem et nomina earum haud multum immutata retineret, atque literae א י ו respondeant Graecorum *α ι υ*, vix dubium est, quin istae literae pari initio fuerint potestate.[91]) Negatur quidem a multis, ו Graecorum *ὐ ψιλῷ* respondere; sed ex superioribus iamiam constat, eam literam alias *w* alias *u* sonuisse, denuoque videbi-

---

91) Cf. Potters Archaial. T. III. p. 235 — 347. in primis. p. 248. atque tabb. I, II, III, IV, V, eidem Tom. additae.

mus infra, *v* initio quidem non *ü* sed *u* significasse. Neque deerunt qui opponant, Cadmum passim Phoenissarum literarum retinuisse quidem figuram atque nomen, sed nouam iis in Graecia tribuisse potestatem, quo illud sequi videtur, Cadmo deberi literarum vocalium inuentionem omnemque vsum. Quodsi vero Cadmus vocalium *α ι υ* figuram nomenque a vernaculis ו י א petiit, quid est, quod literis *ε* atque *ο* genuina nomina הא et עין non resernauit? Hoc loco obseruare licet, Cadmum etiam egisse id, vt nominum singulis Graecis literis inditorum primae quaeque literae sonum referrent signorum in scribendo adhibendorum. Quemadmodum vero *ἰωτα* consonas praesedens constanter sonuit *i*, ita etiam י Hebraeorum quamuis יוד appellatum eandem vim ante consonas tenuisse necesse est. Itaque cum *α* = א Graecis appellatum sit *Ἄλεφα*, *ι* = י *Ἰωτα*, *υ* = ו *οὐαυ* eaeque literae sonos vocales significauerint; sequitur Hebraeorum etiam ו י א pari fuisse potestate nec nisi casu oblato י et ו euasisse consonas. Huc pertinent Grammaticorum veterum atque Hieronymi testimonia. Literae enim ו י א diserte a nonnullis vocales appellantur, traditque Salomo ben Melech (Michlal Iophi ad Mich. 5, 6.) יְ et יִ initio verborum sonare *i*. Negari quidem nequit, ab iisdem literas etiam ח ה ע vocalibus adnumerari; sed cum *h* iure quodam sonus vocalis dici possit, ע vero et ח mature iamiam de genuina potestate deiecta atque cum

ה confusa videandur, [92] parum isti de sono א י ו testimonio detrahitur auctoritatis, nec maioris momenti est illud, quod ait Aben Esra (ad Exod. 3, 6.), א gutturalibus accedere pronunciatione, quam illud, quod Grammaticus ille Graecus *ει* et *ου*, vt hoc vtamur exemplo, quamuis dudum ante vocalium *i* et *u* sonum referrent, inter diphthongos numeranda censet. Qui vero ob singularem passim literarum وىا apud Arabes vsum negant א י ו vocales initio significasse, ii caueant, ne Arabicae linguae vsum nouantem cum Hebraico confundant neque Grammaticis Arabicis, qui vernaculam verbrorum orthographiam genuinam passim mirum in modum mutasse ne dicam peruertisse videntur, nimium auctoritatis tribuant. Neque vero praetermittendum, Syrorum et Arabum etiam pronuntione, qui وَيِ ܘ initio verborum instar vocalium etiamnum proferunt, istam sententiam confirmari. His accedunt Aethiopes, quorum ይ et ው, Hebraeorum יְ et וְ referantia, vbi singulares syllabas constituunt, *i* et *u* pronunciantur. [93] Graecos etiam interpretes literas istas iisdem in locis saepissime vocalibus *ι* et *ου* reddidisse satis inter omnes constat. Neque offen-

92) Vid. Iahn Grammat. Heb. p. 546 ss. Hilleri Onomast. p. 695. 699. Gesen. Lehrgeb. p. 18.

93) Vid. Ludolf. Gramm. Aethiop. pag. 11. Exemplo sit ውእቱ (ullud) ይገብር (igabĕr).

dit, quod ְ passim *ιε* scriptum est cum ְ aeque atque ꝑ, de qua quidem re difficillimum est certum hodie constituere, nunc vocalem nunc consonantem *i* vocali praefixum siue *j* significare potuerit. Iam vero ו י א meras apud Hebraeos significasse vocales, eius quidem rei, quod summum est, testimonia in ipsis libris Hebraicis insunt grauissima atque luculentissima. Admodum enim mirandum videtur, in libris Hebraicis, si a paucissimis verbis certas quasdam ob caussas aliter consignatis discesseris, constanter א cum ָ, ַ, ֵ, ֶ, ֳ, ֹ coniungi, י cum ֵ, ֶ, ִ, ו denique cum Cholem et Schurek (וֹ וּ). 94) Quid est enim, quod quaeuis istarum literarum sua retinet puncta, neque reliquarum vocales suscipere in se solet; quid est, quod Phoenix, si opus esset signo quodam otioso siue muto, vno א vel alia litera omnes ac singulas vocales innuere non studuit, quod literas ו י א, si essent plane otiosae, neque Hebraei neque Samaritani, neque reliquae Semitae expulerunt; quid est, quod in codicibus Hebraicis constans istarum literarum confusio atque inter se, cum additis punctis redundarent, commutatio non reperitur? Inde autem clarum est, non puncta quidem sola atque apices, sed puncta vnacum signis ו י א coniuncta efficere vocales, neque altera sine alteris salua constare, imo eo consilio addita

94) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 47. coll. Vateri. Hebr. Sprachlehre p. 64.

esse a Tiberiensibus puncta, vt literarum ו י א sonus accuratius describeretur atque pro verborum varietate facilius intelligeretur. In eo enim constitit omnis punctorum Hebraicorum vsus, vt partim, quinam soni cum literis paullulum ambiguis initio coniuncti essent, accuratius describeretur, partim, quo loco genuina et vocalium et consonarum siue syllabarum pronunciatio subinde cesserit quemque in modum, indicaretur. Iam vero cum, quinque vocalibus distinctis, *a* affines habeat *e* nec non *o* (p. 30.), *i* vero *e*, *u* denique *o*, necesse erat, א = *a* sonaret aut primo aut sequius etiam *e* et *o*, י = *i* alias *e* ו = *u* alias *o*, quod quidem scriptura אֵ, אֶ siue א ֵ א ֶ, י ֵ, י ֶ, וֹ, וּ et sic porro significatum cernitur. Sponte itaque intelligitur, Hebraeorum puncta vocalibus addita nihil aliud agere, quam Germanorum puncta vocalibus imposita (*ä ö ü*), illud scilicet, vt istarum literarum sonum accuratius describant atque definiant. Obseruandum tamen, istas literas sonos etiam inter istas vocales medios tenere potuisse ita, vt א inuita ista scriptura proxime vocales *a ä å*, י vero *i e ü*, ו denique *u ü o ö*, quod aliarum atque Semiticarum etiam linguarum vsu probatur, complecti deberent. Porro ו י א vocales significasse e verborum contractione et mutatione etiam clarum est. Exempla sunto verba בַּיִת, עַיִן, מַיִן, quae, vti maxime in nominibus propriis factum est, contracte sonant בֵּית, עֵין, מֵין, מֵים, מֵם atque a Graecis *βαιϑ, βηϑ, βεϑ, μαι, μη* et sic

porro pronunciantur. Cum enim sonus *e*, in qua quidem re plurimae linguae consentiunt, oriatur e diphthongo *ai*, diphthongus autem *ai* e dissyllabo *aï*; inde intelligitur, בַּיִת, vt hoc vtamur, non *bajth* sed *baïth* sonuisse, hinc assumto diphthongo, quod facillime accidit — vnde Arabes etiam scribunt بَيْتٌ, Syri ܒܰܝܬܳܐ, Chaldai בֵּיתָא et בַּיְתָא, Aethiopes ቤት â ቢየት — *baith* hinc vero *beth* vel *bäth*. Ex quo illud clarum est, ִי, quamuis punctum habeat subscriptum, vocalis *i* habuisse vim ac potestatem. Aliud quoddam exemplum in promtu est e Psalmo CXIX. vers: 7. petitum. Cum enim in hoc carmine, quod singulari ratione nimiaque fere cura atque diligentia summa insigne est, [95]) primi sex versus a sonante א incipiant; haud parum offendit, versum septimum vocalem *o* habere in fronte. Accedit, quod octauus etiam, cum אֶ sexcentis in verbis initio *a* sonuisse videatur (Ἄφες = אֶפֶס 1 Sam. 17, 1. Ἀωδ = אֵהוּד Orig. al.), a pari sono ac reliqui haud dubie incepit. Possit quidem negligentia id factum esse iudicari atque eo excusari, quod א certe, quamquam mutum, inchoet versum; sed cum carmina ista ad recitandum publice proposita fuerint, neque negligentiae suspicio huic religiosissimo auctori inhaereat: admodum probabile videtur, א verbi אוֹדְךָ inuito וֹ genuinum sonum scilicet *a* reti-

---

95) Cf. Rosenmüll. Comment. in Psalmos. Vol. p. 1718.

nuisse. Attamen facilius alio quodam modo ea res explicanda videtur. Cum nimirum verba פ״י subinde ita mutata tradantur, vt ו in י conversum sit 96) atque ירה initio ורה sonuisse videatur; admodum probabile est, א isto in loco ante punctatorum aetatem valuisse *a*, ita vt cum ו syllabam singularem constitueret, quae subinde ad diphthongum *au*, hinc vero vti aliis in verbis ad vocalem *o* abiisse videtur. Quamuis enim facile quisque concedet, summa religione literis Hebraicis addita esse a Tiberiensibus puncta; negari tamen nequit, istam linguae Hebraicae pronunciationem non ab omni parte esse genuinam atque germanam. Quemadmodum enim omnes, quotquot audiuntur per terrarum orbem linguae corruptelae obnoxiae sunt et ad communes easque aeternas leges commutantur; ita etiam Hebraica subinde mutata, siue corrupta siue emendata sit necesse est. Eius autem rei testes grauissimos habemus Graecos, quos passim verba Hebraica longe alio modo atque nunc fit enunciasse clarum est. Quam ob rem recte se habere videtur, quod ait Iahn 97), Hebraios veteres pro temporum aut locorum varietate diversis modis pronunciasse literas suas. Sed alia quaedam ad ista tempora vel maxime attinentia addamus. Constat syllabas ַ ין et ַ ים nu-

96) Cf. Gesen. Hebr. Woerterb. Leip. 1810. p. 358. col. p. 241.

97) Cf. Ej. Grammat. Hebraic. ed. III. p. 445. 475.

merum dualem indicantes passim a Tiberiensibus scriptas esse ן ַ ם ַ et ם ֵ atque in statu constructo sonare י ֵ. Cum vero *j* consonans difficillime verbis contractis excidat, contra vocales *ai*, siue diphthongi siue dissyllabae, facillime vti aliis in linguis ita etiam in Hebraica aut *i*, *a* nimis producto, expellere, aut vocalem inter vtramque mediam subire soleant; 98) clarum est, יִ syllabarum יִם non *ji* sed *i* sonuisse, quo denuo confirmatur, י, siue subscriptum siue praepositum habeat punctum, vocalem *i* significare ante consonas. 99) Opponere quidem aliquis possit, quod punctum ַ literae proxime praecedenti י subiiciendum fuerit, ne sonus *ji* (יִ) cum *i* (יִ) confunderetur. Sed cum id curasse Tiberienses clarum sit, vt quaeuis litera suam teneret vocalem, istoque in loco literas ab יִ exceptas signum ִ iamiam occupet; necesse fuit, — simile quiddam locum habet in עַ חַ (Patach furtiuo) — cum ipso י punctum ָ, scilicet huius vocalis sonum accuratius describens, copularetur. Praeterea ne vna quidem causa adest,

---

98) Exemplo sit *Kaiser*, quod in Vita vulgari inprimis in Austria sonat *Keser; Mai, Cain*, in quibus *ai* apud Gollos pronunciantur *e* et *ä*.

99) Huc apprime facit, quod Graeci eodem modo istas literas pronunciarunt, scribentes *μεμεςραιμ* (minime autem *μεμεςραιιμ*) = מִמִּצְרַיִם Vid. Montf. T. II p. 349. Gesen. Woert. p. 1291. סִבְכִי. Praeterea Arabes et Samaritani huic sententiae fauent. Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 537.

ים = *im* numeri pluralis notam, si accesserit ַ in duali efformando, praeter rei naturam aliarumque linguarum in primis Semiticarum exempla protinus in *jim* conuertendi. Iam vero י in fine verborum etiam, quamuis ab omnibus punctis alienum, sonuisse *ï*, grauissimis argumentis probari potest. Exemplum nominemus גוֹי, quod in plurali scribitur גּוֹיִם, atque a Graecis *Γωειμ* pronunciatur.[100] Cum enim ים ַ aeque atque ִים, vti vidimus, alias sonet *im*, quumque duo *ii*, minime autem *ji* in vnum *i* coalescere soleant; inde sequi videtur, י verbi גוֹי pronunciatum fuisse *i*. Neque video, qui potuerit illa vox aliter scribi, cum puncta in literis verborum vltimis a Tiberiensibus plerumque negligi solerent atque גּוֹיִ (populus meus) sensum mutasset, גּוֹי vero longe aliter sonuisset. Praeterea si י huius verbi sonuisset *j*, scribendum fuisset in plurali גּוֹיִים aut גּוֹיְם vti in verbis מִיְּשֵׁנֵי (Dan. 12, 2.) צְבָיִים, לְוִיִּם, חַיִּים, ne ִ plane eodem modo atque numeri pluralis et dualis nota pronunciaretur; neque dubium est, quin, si recte se haberet vulgaris sententia, Graeci גּוֹיִם reddidissent *Γωιιμ* vel *Γωιειμ* atque simili modo alia eiusdem generis verba. Sonat quidem idem verbum in statu constructo גּוֹיֵי; sed cum *i* sponte abeat ad *j* ante nouas vocales[1]) vti in חֳלִי

100) Ita habet Ios. c. XII. 23. ed. Compl. Male legunt Oxon. *Γουιμ* atque Rom. *Γει* (leg. *Γωει* omisso ם), quae tamen huic sententiae minime obsunt.

1) Addere liceat, *i*, quamuis facillime ante alienas vocales correpta sonet *j*, difficilius, quod exercitatione cog-

חֲלָיִי atque in verbis modo dictis, denuo illa sententia confirmatur. Huc referendum est, quod codices nonnulli literae י in fine verborum punctis carenti subscriptum habent Mappic. Cum enim admodum rara sint verba, in quibus י finale eiusmodi punctum habeat, inde probabile est, י quo loco Mappic caret, communem scilicet vocalis *i* sonum tenuisse. Attamen longe facilius ea res explicari posse videtur. Cum enim literae יַ et יִ alias plerumque sonarent *i*, contra יּ יַ יְ *ij* et *ji*; clarum est, יִ isto in loco non *ji* sonuisse. Eum enim in finem addita subinde sunt literis Hebraicis puncta atque apices, vt sonus et consonnatium et vocalium incertus et anceps accuratius describeretur; quam ob rem ineptum egissent siue Grammatici siue librarii, si vulgarem scripturam abiecissent novamque ad contraria innuenda adhibuissent; nec vix quidem dubium est, quin י, si illo in loco valuisset *j*, scriptum fuerit יּ vti in verbis נְקִיִּים, הֱיִיתֶם atque, quod habet Cod. 157. K., קִיִּם (Gen. VIII, 22.) Qua de causa admodum credibile est, illud punctum literae י aut negligentia additum esse aut, quod probabilius est, tamquam Chirec paruum eo consilio subscriptum,

---

noscitur, ante *i* in *j* mutari, imo saepenumero cum ea vocali in i coalescere. Quo factum est haud dubie, vt Haebrai verba nonnulla duplici modo scripserint, vti צְבָיִים = צְבָאִים פְּתָיִים = פְּהָאִים, עַרְבִּיאִם = עַרְבִּים = עַרְבִּיִּים, צְבָאִים = צְבִים = צְבִיִּים (Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 154. a, 522. 2.)

ne י, cum praecedenti vocali copulatum, diphthongum efficeret. Si quis vero perstiterit in ea sententia, illud punctum significare Mappic, inde quidem non cogitur, י in fine verborum significasse consonantem *j*. Quemadmodum enim Mappic alias eo consilio adhibitum est, vt literam quandam proferendam esse indicaretur; ita hoc quoque loco istius puncti vsu optime significari potuit, vocalem י non tacendam aut cum vocali praecedente coniungendam, sed proferendam aut seorsim pronunciandam esse. Porro nemini in mentem venit, י, pronominis possessiui notam, vbi verbis numerum singularem siguificantibus additum est, aliter atque *i* pronunciari (סוּסִי); iam vero quaenam caussa est, eiusdem orationis particulae sonum torquendi in *j*, vbi verbis pluralem aut dualem numerum significantibus adiungitur (סוּסַי pro סוּסֵי ־ָ י)? Profecto nulla. Cum enim locus, quo ־ָ ponendum fuisset, ab aliis vocalibus praeoccupatus sit atque vltimae verborum literae punctis plerumque careant, neminem offendet, merum י per suam naturam atque genuinam potestatem significare *i*. Deinde vero י vocalem *i* significasse, luce clarius est in verbis apocopatis. [2]) Quemadmodum enim syllaba ־ָ י pro ־ָ ים vti *i* pronuncianda est, ita etiam י in ־ָ י pro ־ָ ים

2) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 522. ss. 525. 2. 537. d. Woerterb. p. 12. al. Huius generis sunt: גּוֹבַי, חָנַי, אֲרֹנָי, יָדַי et alia plura.

et ִים ָ, sonum *i* retinere necesse est. Quodsi enim י istis in locis sonuisset *j*, retinendum fuisset punctum, quod quidem, cum י primo atque in genere significaret *i*, iure a Tiberiensibus negligi poterat. — Quae autem speciatim de י dicta sunt, eadem, quod sponte intelligitur, in ו etiam cadunt. Huc denique accedit, quod eaedem fere literae apud Samaritanos et Zabios vocales significant atque apud Syros, Aethiopes, Chaldaeos atque Arabes ab omnibus vocalium signis alienissimae per se suamque naturam diphthongos *au*, *eu*, *ai*, *oi* et sic porro efficiunt, quod vix ac ne vix quidem locum haberet, si non literae istae י et ו Hebraeorum omni ex parte aequantes, vocalium potestate vera atque germana vterentur. Plura restant et ad probandam istam sententiam et ad refellenda ea, quae contra facere videantur, necessaria; sed grauissima certe commemorasse satis habemus. Sufficiat, inquam, quod literarum auctores plurimis iisque grauissimis de causis, sonos vocales etiam, quorum nonnisi *a*, *i* et *u* initio satis vtique distingui potuerunt, suis signis innuere debuerunt, quod literarum א י ו potestas e nominibus iis inditis cognoscitur, quod Graeci iisdem literis tamquam *α ι υ* vsi sunt, quod Grammatici signis א י ו vocalium potestatem tribuunt, quod in reliquis Semitarum dialectis eaedem literae tamquam vocales tractantur, quod denique harum literarum vt sonantium vsu omnis fere, quod, ne nimis a fine aberrasse videamur, pluribus

demonstrare nunc mittimus, et vocalium et consonarum commutatio optime explicari potest.

Iam vero cum ו י א per suam naturam vocales significent, primo necesse est, י et ו, vbi significant *i* et *u* atque vocales praecedunt, consonarum *j* et *w* indolem subeant. Cum enim *j* et *w* non nisi eo oriantur, vt *i* et *u* correpta vnacum vocali productiori vno tenore proferantur; ita capiendus est literarum istarum significatus, vt dicatur, ו י sonare *i* et *u*, hinc *e* et *o*, quo loco aut singulares syllabas efficiant, aut consonae siue praecedenti siue subsequenti adhaereant, aut denique duabus vel pluribus consonis vnam syllabam constituentibus vt mediae intersint; contra easdem literas quippe valentes *i* et *u* pronunciandas esse *j* et *w*, vbicunque locorum correptae a vocalibus in iisdem syllabis comprehensis excipiantur. Vix opus est, memorare, literas י et ו secundum ea, quae supra diximus, in fine etiam verborum vocalium naturam retinere. Cum enim in sermocinando ita verba verbis addi soleant ac debeant, vt inter singula quaeque intersit quasi vacuum quoddam tempus vocisque otium; nulla adest caussa, literis י et ו illis in locis, etiamsi verbum a vocali incipiens subsequatur, genuinae potestatis aliquid detrahendi. Atque huius rei tanta vis est, vt י et ו in fine verborum ne possint quidem *j* et *w* pronunciari, nisi si *j* in *g* aut *ij*, w autem in f aut *w'* siue *wε* mutetur, quo facto nouam atque alienam istis literis י et ו intrudi potesta-

tem clarum est. Iam vero si י ו initio vocales significarunt, hoc etiam, quod summum est, inde sequitur, posse ex iis diphthongos oriri, si vocalis quaedam origine diuersa praecedat. Cum enim diphthongi audiantur, simulac duae vocales sono ortuque dissimiles ita conjungantur, vt, quod temporis spatium alterutri conuenit, inter vtramque, quo nihil frequentius est in vita, voce constanter sonante dispertiatur (p. 34); clarum est, pari modo vsu י et ו, apud Hebraeos etiam varii generis diphthongos existere potuisse ac debuisse, neque difficile est iudicatu, quo in loco eiusmodi soni profici potuerint. Diphthongos nimirum in vita vulgari efficere potuerunt literae י et ו, quo loco *i* et *u* sonantes, litera aut nulla aut consonati in eadem syllaba sequente, vocales alienas proxime exciperent. Cum vero istae literae in fine verborum, vti vidimus, aut omnino aut maximam partem vocalium sonum referant; primo id quidem maxime probabile est, י et ו cum vocali praecedente diphthongos progenuisse in exitu verborum. Porro cum י et ו primitus vocales significent, Schwa autem quiescens aeque atque Dschesm Arabum indicet, literam, cui supscriptum est, carere vocali atque trahendam esse pronunciando ad praecedentem; illud etiam non a vero abhorret, יְ atque וְ in mediis verbis, si vocales exciperent, cum iis coaluisse atque diphthongos effecisse. Sed a posse, inquis, ad esse, quod dicunt, non valet consequentia, neque praetermittendum,

grauissima huic sententiae obesse argumenta. Videamus ergo. Primum, quod maximi momenti est, in literis syllabas ַי, ָו, reliquas, excipientibus saepenumero Dagesch lene reperitur [3]), quod quidem abesset, si literae praecedentes vocalium sonum habuissent. Sed obseruandum est, illud punctum a Grammaticis inscriptum esse literis adspiratis, etiamsi praecedant aliae vocales atque ה quiescens nec non ְ mobile. [4]) Negari quidem nequit, accidisse hoc, vbi eiusmodi verba accentibus disiunctiuis notata exstant; sed tenendum, quod nouis, si opus esset, sexcentis exemplis demonstrari possit, literas adspiratas praecedente vocali Dagesch lene continere, etiamsi eiusmodi verba accentus coniunctiuos ferant. Ex eo autem, quod illud punctum post Schwa mobile etiam locum habet, satis clarum est, sonantes etiam a literis Dagesch leni notatis excipi posse. Praeterea cum Dagesch lene siue vocalis siue consonans praecedat alias adsit, alias desit atque in fronte versuum adeo, quo nulla praecedit litera, reperiatur; admodum probabile est literarum adspiratarum pronunciationem plurimis in locis literae praecedentis ratione aut non aut parum certe fuisse mutatam. Neque a vero abhorret, Grammaticos post literas י et ו finales, ne simplices

3) Vti accidit Iud. 5, 15. שָׂרַי בְּ.

4) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 93. 6. n. ss. d. coll. p. 67. f. 84, 2. a. Ezech. 3, 4. 5, 13. 14. Ps. 118, 1. 119, 7. Dan. 4, 16. 17. 18. וַיִּשְׁתְּ al.

vocales haberentur, imo diphthongi pronunciarentur, e consilio Dagesch lene adhibuisse. Adest autem grauior quaedam caussa, ob quam Tiberienses post literas י et ו isto puncto vti et potuerunt et debuerunt. Cum nimirum literae vocalium signis destitutae ְ quiescente signari debeant, Schwa autem in fine verborum negligi soleat; non mirum est, Grammaticos, cum istae literae finales יְ et וְ scribendae essent, literis adspiratis subsequentibus Dagesch lene indidisse. Porro obiici potest literas י et ו finales in MSS. passim Mappik subscriptum sibi habere. Sed monitum iamiam est, difficillime probari posse, Tiberienses hoc in loco vulgarem scripturam deseruisse atque ineptam aptiori praetulisse. Illud tantum offendit, ו finali etiam Mappik (בָּנָיו), quod sumitur non nisi consonis subiici posse, in codicibus nonnullis MSS. adhaerere. Sed cum Mappik illud tantum significet, literam, cui subscriptum est, non tacendam sed proferendam esse, atque ו non solum consonantem sed etiam vocalem significet, optime potuit illud punctum adhiberi eo consilio, vt literam istam proferendam neque ob praecedens י omittendam esse innueretur. Quod vero illud attinet, quod in Cod. Cassel., qui Brunsio auctore saeculo XII conscriptus est, ו initiali siue praefixo (וְ) punctum inscriptum est, id quidem fortassis propterea factum est, quod ו illud vti alias ita his etiam in locis sonabat *u*. Cum enim ו praefixum, in quo interpretes passim

dissentiunt cum Tiberiensibus, Graeci aeque atque Hieronymus et Talmudistae constanter fere *u* pronunciauerint; [5]) admodum probabile est, istum vsum aut vniuerse aut in istis certe vocabulis tunc temporis adhuc perstitisse atque valuisse. Porro infitias iri nequit, e Grammaticorum sententia י verborum in יו ָ exeuntium tacendum esse [6]), quod quidem eo etiam confirmatur, quod pro יו ָ alias ו ָ scriptum reperitur. Cum vero י isto in loco more Arabum fortasse adscriptum sit, velut signum diacriticum, [7]) contra י finale alias nusquam omitti soleat neque Grammatici literas י et ו finales pari modo alias tacendas praecipiant; inde intelligitur, י illo loco singulari modo adhibitum esse, quo communis literarum י et ו pronuntiatio confirmari adeo videtur. Sed aliud denique obstare dicunt, quominus י et ו vocalibus carentia diphthongos efficere possint, illud scilicet, quod vtraque litera saepenumero Schwa quiescente scripta est. Huic autem argumento tanta vis inesse videtur, vt inde omnis de hac re disputatio ad finem perduci possit. Cum enim vltimae quaeque verborum literae Schwa quiescens, quamuis vbique paene neglectum sit,

---

5) Montfaucon Hexap. Orig. T. II p. 599. Iahn. Gramm. Heb. ed. III. p. 465 coll. p. 469.

6) Ita praecepit Aben Esra. Cf. Buxdorf. Lex. Chal. et Talmud. p. 2165.

7) Cf. Gesen. Lehrgeb. § 59. p. 211. col. p. 214. n. 1.

teneant [8]) eamque ob caussam י et ו rectius יְ et וְ scribenda sint in fine verborum; sponte intelligitur, יְ et וְ, siue desit siue adsit Schwa quiescens, in exitu cum verborum tum syllabarum vna tantum aut vocalium aut consonarum ratione esse pronuncianda. Cum vero יְ et וְ in exitu certissimas ob caussas sonent *i* et *u*, sequi videtur, easdem literas in mediis verbis eundem requirere sonum. Porro cum Dschesm Arabum (ْ) omni numero respondeat Schwa quiescenti Hebraeorum (ְ), Arabes autem literas يْ et وْ pronuncient *i* et *u*; denuo probabile est, Hebraeos etiam וְ et יְ cum in mediis verbis tum eorum in fine pari modo pronunciasse. Adest autem alia quaedam lingua ad dirimendam hanc litem promta, Aethiopicam dicimus, quae ad Hebraicam cognoscendam vtilissima vix nimis commendari potest. Literae scilicet Aethiopum sextae classi adscriptae, quae triplicem vsum habent, primum, vti vidimus, adhibentur ad omnis fere generis vocales, vti *α*, *αι*, *ε*, *η*, *ι*, *ει*, *ο*, *οι*, *υ*, accentu tonoque carentes exprimendas. [9]) Idem vero, vti constat, accidit

8) Documento sunto, quae tradit Aben Esra in libro Tzachuth, ם verbi שְׁמַר habere Patach בעבור שאחריו נח נראה שהוא השוא. Huc facit, quod ו finale nonnullis in codicibus Schwa vtique ad modum ךְ inscriptum sibi habet.

9) Vid. supra pp. 37, n. 43. 44, n. 70. 47, n. 82. 56, n. 11. 72, n. 50. pp. 110. 141. al.

Schwa Hebraeorum mobili.[10] Porro eaedem literae Aethiopum alias scribuntur, quo loco consonantes a vocalibus alienae requiruntur atque syllabae quasi abscinduntur. Eidem autem rei inseruit Schwa Hebraeorum quiescens. Tertium itaque restat. Aethiopum nimirum ወ et የ, vbi singulares syllabas efficiunt atque aut nulla aut consonante litera sequente excipiunt vocales, sonant *u* et *i*;[11] ex quo sequitur, Hebraeorum etiam יְ et וְ siue ו et י vnacum Schwa quiescente, vbicunque locorum parem habent vsum, parem etiam retulisse sonum.[12] Firma itaque atque salua stat ea sententia, ex qua י et ו, siue adsit Schwa quiescens siue desit, *i* et *u* pronuncianda sunt post vocales. Praeterea etiamsi omnia Grammaticorum veterum praecepta omnisque punctorum apicumque vsus illud suadeant, י et ו, nisi si additis punctis vocales euaserint, consonantes significare; maioris tamen momenti est, quod Syri, Chaldaei, Arabes atque Aethiopes velut antiquissimi huius rei testes literas istas suis in linguis, quo loco dictum est, tamquam vocales *i* et *u* adhibuerunt. Quem-

---

10) Cf. Iahn Gramm. Hebr. ed. III p. 459. ss. Gesen. Lehrgeb. p. 65. ss. 68. n. 4. ss. Vaters Heb. Sprachl. p. 50. ss.

11) Cf. Ludolf. Grammat. Aethiop. ed. II. p. 10 ss. coll. p. 19. ss.

12) Sponte intelligitur, verba nonnulla nonnullasque verborum flexiones et mutationes excipienda esse istis legibus. Attamen haud difficile erit vel duce lingua Aethiopica certum hac de re constituere.

admodum enim eaedem Graecorum vocales iisdem verborum in locis parem sonum apud Iones, Dores, Atticos habuerint necesse est; ita etiam easdem Semitarum literas י ו licet scriptura diuersas, cum parem atque communem habuerint originem vsumque, eadem potestate fuisse apud singulas gentes, maxime consentaneum est. Iam vero quaeritur, vtrum literae י et ו = *i* et *u* cum vocalibus praecedentibus effecerint diphthongos. Plura enim, quod negari nequit, huic sententiae obesse videntur. Quod enim י attinet, redditum est a Graecis, quo loco diphthongus exspectatur, non *ι* (*αι*) sed *ει* (*αει*).[13] Porro Tiberienses haud paucis in verbis duas distinxisse videntur syllabas, quae in dialectis reliquis vna siue diphthongo comprehenduntur.[14] Huc accedit, quod vocalibus י et ו passim vocales producendas (ָ ֵ) praescripserunt, quo diphthongorum natura tolli videtur. Praeterea Silluc (ֽ) adeo additum legitur (עָלָֽי). Sed cum *αι* tunc temporis *ä* sonaret, י = aptius quidem, quam factum est, vix reddi poterant. Deinde cum dissyllaba *ai au eu* reliqua in vita vulgari facillime monosyllaba siue diphthongi

13) Exemplo sit *ἀκουβαει* = עֲקֻבַי Montfonc. l. c. p. 541 s. מְאתַיִם = *μαϑαειμ*. al. excip. הַמַּיִם = *ἀμμαιμ*, quo loco *αι* = ä pronunciandum videtur, vti *μαι* = מֵי in compositis.

14) Vti בַּיִת (ba-it) pro بَيْتٌ, ܒܰܝܬܳܐ, quod, si adfuisset diphthongus, בַּיְת scribendum fuisset.

euadant, cumque salua maneat diphthongorum natura, etiamsi alterutri vocali paullo plus temporis impendatur (p. 34.); inde fit, vt inuita ista scriptura diphthongi audiri apud Hebraeos optime potuerint. Vnum verbum שָׁאוּל memorare sufficit, quod, quamquam dissyllabum alias *Σαουλ* scriptum est, sexcentis in locis *Σαυλ*, *Σαυλος* a Iudaeis atque Graecis antiquissimis iamiam temporibus pronunciatum fuit. Huc facit, quod eadem verba, quae duas syllabas continere videntur, statim, si paullulum mutentur, monosyllaba scribuntur, [15] qua de re vtroque in loco haud diuersam credibile est obtinuisse pronunciationem. Neque praetermittendum est, idem sibi voluisse Grammaticos fortasse, dicentes, י et ו audiri praecedente vocali. [16] Praeterea tenendum, easdem literas apud Syros, Chaldaeos, Arabes, Aethiopes aliosque non solum paribus in locis sed etiam, quod summum est, paribus in verbis efficere diphthongos. [17] Quemadmodum vero syllabas *αυ* et *ευ* apud Iones, Aeoles, Atticos, reliquos vnum eundemque sonum tenuisse necesse est, ita etiam quin eaedem

15) Verbi caussa בַּיִת st. emph. בַּיְתָא, [illegible] = יִךְ, [illegible] = יְכִי.

16) Liceat afferre locum illum Aben Esrae, quo de י traditur ואמ היה פתוח הנר לשון רבים וְיֵרָאֶה היו״ד יָדַי רַגְלַי ואם אחריו וא״ו יעלם היו״ד collat. alio, quo de ו haec habet: גם יבוא בקמץ קטון וא״ו נראה שָׁלֵו.

17) Exempla nominemus וַו = ואו = ܘܐܘ = *βαυ* = *οὐαυ* (ap. Euseb.) חַוְרָן = ܚܘܪܢ = *Αὐρανιτις* (Ar. حوران).

literae cum in reliquis Semitarum dialectis tum in Hebraica etiam diphthongos effecerint vix dubitari potest.

Peruenimus itaque, quo tetendimus. Cum enim Hebraeorum ו= ו ָ— ו ֵ— et ו ֱ— in fine verborum atque ante consonas diphthongos *au* et *eu* profecerint, Graeci autem easdem literas *αυ* et *ευ* reddiderint; [18]) inde sequitur, tunc temporis Graecos *αυ* et *ευ* diphthongorum *au* et *eu* modo pronunciasse. Quodsi enim *αυ* et *ευ* sonuissent *af* et *ef*, facillime Graeci cum alias contra orthographiam Hebraeorum nouas et alienas literas adhibuerint, Hebraeorum diphthongos istas literis *αου* et *εου*, quae non solum in vita vulgari sed etiam, vti vidimus, aliis in linguis diphthongorum *au* et *eu* naturam induunt, reddere et potuissent et debuissent. Graecorum vero *αυ* et *ευ* tunc sonuisse *au* et *eu* ante consonas atque in fine syllabarum, id quidem ex eo omnium maxime clarum est, quod interpretes literas istas scripserunt etiam quo loco Hebraei, vti exempla *Ῥευμα* = רְאוּמָה Gen. 22, 23 שָׁאוּל = *Σαυλος* coll. *Ἐμμαους* = עַם־מָאוּס atque supra n. 62. allata testantur, duas syllabas, licet sono similes, diuersas atque seiunctas habent. In eo itaque omnes ac singuli S. S. interpretes consentiunt, vt literas *αυ* et *ευ* pronunciauerint *aw* et *ew* ante vocales subsequen-

18) *Φαλαγαυ* = פְּלָגָיו *βεγβουρωθαυ* = בִּגְבוּרֹתָיו Montfauc. T. I Ps. 46. 5 Ps. 150, 2. rel. supra n. 62. laudata

tes, contra *au* et *eu* diphthongorum modo reliquis in locis. Habemus ergo, quod gloriemur, inuenisse nos Graecae linguae sonos, scilicet *au* et *eu*, quibus, qui Reuchlini auctoritatem sequntur, carent, atque *w* = *v*, quem Erasmus expulit. At ne quis putet, *v* non nisi post *α* et *ε* sequente alia quadam vocali *w* pronunciatum fuisse. In genere enim *υ* vocales praecedens sonuisse *w*, id quidem vel ob eam causam maxime probabile est, quod Armenii, Copti atque Gothi, qui a Graecis suas literas petierunt earumque potestatem retinuerunt, signis ւ, ⲩ, 𐍅, quae respondent Graecorum *υ*, ante vocales nunc initio verborum nunc post omnis generis et vocales et consonas pro *w* vsi sunt, quodque *υ* partes literarum ܘ ו و ወ 𐡅 apud Semitas agit. Praeterea plurima apud interpretes exstant verba, quibus iste literae *υ* pro *w* vsus apud Graecos satis confirmatur. 19) In eo autem cernitur singula-

19) Exempla apponamus: *Ἰωυαν* = יָוָן (Gen. 10, 2. al.) *Μαο-υιμ* = מַהֲוִים 1. Par. 11, 46. *Συηνη* = סְוֵנֵה Ezech. 29, 12. Nolumus hoc loco praetermittere, inuerti etiam posse concludendi rationem. Cum nimirum aliis argumentis comprobatum sit, *αυ* et *ευ* interpretum Alexandrinorum aetate sonuisse *au* et *eu*; illud denuo comprobatur, וָ et וֵ Hebraeorum, cum literis istis expressa sint, paribus in locis diphthongorum vim habuisse. Cum enim ו, vbi valeret *w*, saepenumero a Graecis *β* scriptum sit (עַוָּה = *Ἀβα* 2 Reg. 18, 34. plur. vid. sup. n. 62); optime et potuisset et debuisset ו, si vbique eodem modo sonuisset, ne in וָ et וֵ diphthongos efficeret, litera *β* reddi. Praeterea ו finale sonuisse *u*, ex eo etiam patet, quod a Graecis *ου* scriptum est. (זִו = *Ζιου* = זִו 1 Reg. 6, 1.)

ris ille literae *υ* sonus, cuius supra p. 60. n. 24 iniecimus mentionem.

Restat, vt rationem reddamus de verbis ex hoc genere alieno atque dictum est modo scriptis, quae quidem hoc loco grauissimi momenti sunt. Syros quod attinet, non mirum est, neglectum esse nonnullis in verbis *ε* literarum *ευ*. Cum enim *ἐ ψιλον* signorum *ευ* vnacum vocali coniunctorum sponte tenue pronunciando audiatur, Syri autem vocales correptas, quo loco Hebraei vtuntur ְ mobili, omittere soleant, neminem offendet, *ε* passim excidisse. Eo autem vsu egregie confirmatur, quod dictum est, *ευ* ante vocales diphthongi exuere naturam. Deinde cum in literis *᾽ανα* e. g. *ὐ ψιλον* consonet atque partes primarias teneat; vocales autem, quibus *υ* cingitur, facile cum aliis in vita vulgari commutari soleant; ne hoc quidem offensionis est, vtramque vocalem, perstante *ὐ ψιλῷ*, genuinum sonum deseruisse. Praeterea diphthongos passim simplicis vocalis vim subire ex superioribus constat. Eo autem, quod Angli *au* diphthongum subinde *ah* pronunciarunt, facile explicari potest, qui factum sit, vt Graecorum *αυ* sonum etiam ܐ apud Syros suscipere potuerit. Quod Arabes *αυ* pronuciasse videntur *u*, id quidem inde haud dubie factum est, quod verbum illud alias *ω* pro *αυ* habet, quod quidem haud raro, aeque atque *o* وُ scriptum reperitur. Maioris momenti est, quod Armenii diphthongum *ευ* ante conso-

nas passim եւ = *ew* reddiderunt. Inde enim concludendum aliquis ducere possit, Graecos constanter pronunciasse *ευ* eo modo, quo nunc fit. Sed tenendum, admodum rara huius generis nomina in libris Armeniacis exstare, quo confirmatur illud, in reliquis verbis *ευ* diphthongi vim habuisse. Hinc autem sequi videtur, inde a quo tempore S. S. libri in Armeniacam linguam translati sunt, *ευ* ante consonas sonum *ew*, quem nunc habent vniuerse, magis magisque suscepisse in reliquis verbis. Quamuis vero ea sententia permultas ob caussas admodum probabilis sit; alio tamen modo ea res explicanda videtur. Est nimirum Armeniis orationis particula եւ vulgata atque trita, quae, cum *ew* pronuncietur, omnem istam Graecorum *ευ* commutationis et corruptionis ansam praebuisse videtur. Cum enim in vnaquaque lingua ita literarum soni peruerti soleant, vt primo non nisi paucula verba in vita quotidiana versata a genuina ratione deflectant, hinc plura breui idem vitium, quasi emendentur, contrahant; ita etiam verbum եւ (et), siue primum siue serius sonum *ew* suberit, eiusque generis fortasse aliae effecisse videntur, vt diphthongus եւ = *ευ*, cum easdem literas haberet atque եւ, nonnullis in verbis subinde eodem modo pronunciaretur atque Graeca nomina ex hoc genere in Armeniacorum scilicet corruptorum societatem tamquam consortes assumta Deinde haud parum

offendit, quod diphthongus *αυ* ab Armeniis o siue *o* producto permultis in verbis reddita exstat, quo illud probari videtur, istas Graecorum literas *o* sonuisse. Sed obseruandum est, Armenios historia teste sexcenta nomina initio աւ (*au*) habentia subinde litera o conscripsisse.[20] Cum vero diphthongi ita etiam mutari atque corrumpi soleant, vt sonorum ortu velut inter vtramque vocalem mediorum indolem subeant (p. 35.); non mirum est, idem accidisse verbis nonnullis Graecis apud Armenios. Quemadmodum vero ex eo, quod Galli diphthongos *au* et *eu* subinde *o* et *ö*, vti accidit in vita vulgari,[21] pronunciare coeperunt, satis perspicuum est, istas literas inito *au* et *eu* sonuisse; ita etiam ex eo, quod Armenii *αυ* subinde *o* pronunciarunt, luce clarius est, istas literas primo diphthongi *au* vim apud Graecos habuisse. Praeterea, cum աւ pro *αυ* ante vocales et sonum et scripturam ne vno quidem in verbo mutaverint, id denuo confirmatur, et Graecos et Armenios *αυ* sequente vocali *aw* pronunciasse. Apud Gothos vnum verbum *laiwwi* offensionis aliquid habet, quippe *ὐ ψιλον* geminum continens. Sed cum consonae facillime duplicari possint ac soleant ante vocales, minime obest communi

---

20) Cf. Schroeder Thesaur ling. Armen. Grammat. p. 17, 38.

21) Verbi causa' *Paul, Auguste, roben* (pro *rauben*) *kofen* (pro *kaufen*) *Lob* (*Laub*).

literarum *ευ* pronunciationi singularis ista scriptio. Ex eo autem, quod Aethiopes verba *εὐαγγελιον* et *εὐαγγελιστου* praeter consuetudinem scripserunt *wangelion*, *wangelistes*, cognoscitur partim, ε diphthongi *ευ* ante vocales in vita vulgari ab Aethiopibus correptum fuisse, alioquin enim istis verbis nullo pacto excidisset, partim vero, *ὐ ψιλον* literarum *ευ* cum sequente vocali singularem syllabam effecisse. Graecos librorum Hebraicorum interpretes quod attinet, primum ob eam causam reprehendendi videntur, quod pro וָ ante vocales passim *ευ*, pro וֶ *αυ*, pro וִ denique nunc *αυ* nunc *ευ* scripserunt. Sed cum vocalium Hebraicarum sonus permultis in verbis maximas grauissimasque mutationes subierit, neque omnia verba omni aetate omnibusque in locis pari modo pronunciata fuisse constet; [22] non mirum est *e* et *a* literarum *ευ* et *αυ* ante vocales alterum alterius locum diuersis temporibus tenuisse. Cum vero simile quiddam diphthongis *αυ* et *ευ* fere nusquam acciderit atque *υ* illo in loco, mutatis inuicem ε et *α*, perstiterit; denuo confirmatur illud, *υ* ante vocales constitutum Hebraeorum ו (*w*) valuisse illaque aetate *w* sonuisse. Venimus denique ad singularem diphthongi *αυ* apud Graecos pro וֹ et וּ vsum,

---

22) Cf. Gesen. Geschicht. d. Heb. Sp. § 50. 51 p. 189. ss. Montfaucon. Orig. Hexap. T. II p. 397. ss. Iahn Gramm. Heb. ed. III p. 443. ss. Morin. de ling. prim. p. 385 — 396. Capelli crit. sac. ed. Scharfenb. p. 500. ss. Hilleri Onomast. Sac. p. 690 ss.

qua in re interpretes mirum in modum a Tiberiensibus dissentiunt punctorum vocaliumque auctoribus.[23] Est autem non nisi duplex ratio eam rem explicandi. Cum enim negligentiae atque ignorantiae neque interpretes S. S. Graeci neque punctorum Hebraicorum auctores iure accusari possint; illa scripturae diuersitas non potuit oriri, nisi ex diuersa linguae Hebraicae pronunciatione aut variis in locis aut variis temporibus vsitata. Quamuis autem minime a vero abhorret, Hebraeos in Graecia atque Aegypto degentes paullo aliter pronunciasse suam linguam quam Palestinenses; illa tamen sententia praeferenda videtur, ex qua verborum Hebraicorum nonnullorum sonus subinde paulatimque mutatus est. Cum enim patriae linguae a ciuibus, donec, quamuis inter alias gentes dispersi, vsum atque commercium habent popularium, eodem modo vbique locorum enunciari soleant; admodum probabile est, linguae Hebraicae pronunciationem interpretibus Alexandrinis vsitatam eandem fuisse, quae in Palestina tunc temporis valeret. Praeterea ex eo etiam, quod Palestinenses nomina in vita vulgari trita iisdem literis Graecis reddiderunt atque Aegyptii, satis clarum est, in vtraque terra haud diuersos fuisse literarum Hebraicarum sonos. Contra dudum

23) Reperiuntur enim חֲזוֹ = *Ἀσαυ* (Gen. 22, 22.) גּוּנִי = *Γαυνι* (Num. 26, 48) עוּץ = *Ἀυσιτις* (Tob. 1, 1.) בּוּז = *Βαυξ* (Gen. 22. 21.) rel. vid. sup. n. 62.

obseruatum est, singulos V. T. interpretes eo magis hodiernam verborum Hebraicorum scripturam referre, quo propius aetatem punctorum atque apicum Hebraicorum inuentricem attingant. Quodsi vero nomina, in quibus diphthongus *αυ* miro modo adhibita videatur, serius demum post mille fere annorum spatium eum sonum, quem nunc habent, nacta sunt; iam quaeritur, quomodo primum fortasse pronunciata fuerint. Cum nimirum vocales *o* et *u* quippe affines altera alterius sonum subire facillime possint saepissimeque soleant, inprimis autem, quod ex plurimis nominibus cognoscitur, וֹ in וּ mutatum subinde appareat; [24]) hoc primum credibile est, וּ verborum, quae diximus, initio וֹ sonuisse. Quo facto restat וֹ a Graecis *αυ* passim redditum. Quemadmodum vero o Armeniorum, *au* (*o*) Gallorum, atque passim Germanorum etiam aliarumque nationum *o* ex diphthongo *au* ortum est, ita etiam Hebraeorum וֹ nonnullis in verbis ex ַוְ vel ָוְ subinde profici et potuit et debuit. Hoc autem ex eo etiam cognoscitur, quod Arabes, Chaldaei, Aethiopes atque Syri sexcentis in verbis diphthongum *au* habent, quo loco Hebraei serioris aeui scripserunt וֹ, quodque pro *o* apud Hebraeos אוֹ et הוֹ

24) Huius generis sunt עֻזִּיאֵל = *Ὀζιηλ* זְלוּת = *ζωλλωθ* Chrysostom. ad. Ps. 12, 9. יְפֻנֶּה = *Ἰεφουνη* זְרֻבָּבֶל = *Σοροβαβελ* alia plurima. Cf. Gesen. Gesch. d. Heb. Sp. p. 192. *η*. Hilleri Onomast. Sac. p. 711. אוֹר : אוּר.

saepenumero legitur. Cum enim istae dialecti vnam primo linguam constituerint, admodum probabile est, verba, in quibus apud reliquas gentes Semiticas *au* reperitur, apud Hebraeos etiam *au* siue וְ = pro וֹ initio habuisse. Porro cum א et ה vocalium אוֹ et הוֹ redundent, atque a vero plane abhorreat, Hebraeos initio literas otiosas atque superuacaneas scripsisse, (Gesen. Lehrgeb. § 1. p. 5. 6.) contra א primum *a*, ה autem *ha* sonuisse probabile sit; sponte intelligitur הוֹ et אוֹ diphthongi *au* vim genuinam habuisse. Huc apprime facit locus ille e Ps. 119, v. 7. petitus, cuius supra iniecimus mentionem. Ex his itaque denuo clarum est, *αυ* Graecorum ab interpretibus Alexandrinis *au* pronunciata fuisse. Qui vero negauerint, linguam Hebraicam tanta tamque mira casuum varietate iactari potuisse; ii teneant, omnes, quotquot sunt in omni mundo, linguas certas easque aeternas ad leges subinde mutari, atque mille et quod excurrit annorum spatium suffecisse ad Hebraicorum etiam vocabulorum sonos quamuis firmos atque stabiles subinde peruertendos.

§. 6.

Accedimus iam ad eas Graecae linguae literas vocales, quarum aut nulla, quod dolendum est, aut paucissima exstant in scripturis sacris exempla (p. 19. n. 32.). Ac primum vnum vocabulum *Μωυσῆς* est, in quo *ωυ* consonas praecedentia reperiantur. Cum vero hoc no-

men origine Aegyptiacum sit, cauendum, ne sonus literarum *ωυ* ex Hebraico מֹשֶׁה constituatur. Accurate enim demonstrauit Iablonskius,[25] vocem *Μωυσης* ortam esse e verbis Copticis ⲙⲱ (aqua) et ⲟⲩϫⲉ = use (*σωζειν*), quibus in vnum vocabulum contractis *ς* pro more Graecorum additum sit. Cum vero non repugnet, Alexandrinos bene nouisse istius verbi nisi originem certe pronunciationem, ⲟⲩ vero in compositis constanter mutetur, vti supra demonstratum est, a Coptis in ⲩ; inde sequitur, Graecos istos *ωυ* pro *ωου* pronunciasse *ου* siue diphthongi siue dissyllabi ratione. Verbum autem מֹשֶׁה quod attinet, a vero quidem non abhorret, referre illud sonum ⲙⲱⲩϫⲉ quamuis corruptum; probabilius tamen est, מֹשֶׁה, secundum Exod. II, 10. descendere a מָשָׁה, eiusque vsu *sensum* vocabuli Coptici fuisse redditum. Occurrit quidem *Μωσης*, *Μωσευς* et *Μουσης* etiam (1 Par. 6, 31. Act. 7, 48. Vers. Ven. Gen. 26.) sed rectius eam scripturam ab Hebraica petitam dixeris. (Cf. Oertel Griech. Woerterb. Gotting 1799. p. 478.) Copti constanter *μωυσης* suis in libris scribunt atque iis etiam in locis, quibus Graeci *Μωσης* habent. (Mat. 8, 4.) Syri vtuntur ܡܘܫܐ pro *Μωυσης*, *Μωσης* et מֹשֶׁה (Mat. 8, 4. 2 Tim. 3,

---

25) Cf. ej. opusc. 1804. 1. p. 157. coll. Kircheri Prodr. Copt. p. 138. Mingarelli rel. cod. Aegypt. p. 271 ss. Gesen. Woerterb. p. 1286.

8. Exod. 2, 10, al.), Arabes مُوسَى, Aethiopes ሙሴ, Armenii Մովսէս, ex quibus, praesertim cum codices ex familia Alexandrinorum 2. Tim. 3, 8. habeant *Μωσης*, pro *Μωυσης* (V. Griesbach N. T. T. II p. 447. col. Matthai N. T. T. III p. 474.), parum cognoscitur, quo modo *ωυ* ab istis interpretibus pronunciata fuerint. Hieronymus tantum atque versio Itala *Μωυσης* scribentes Moyses illud prodere videntur, *ὐ ψιλον* isto in verbo reliquorum ad instar subindo ad *ü* et *i* abiisse. Verba Graeca, quae *ἰωτα* subscriptum habent, ab interpretibus in vernaculas linguas conuersa haec inuenimus: *κιθαρῳδης* = ܩܝܬܪܘܕܐ (Apocal. 14, 2.) *ληστης* = ܠܣܛܝܐ (Ioh. 10, 1; 8. Pesch. et Philox.) *ῳδη* = ⲱⲇⲏ (Psalm. var. l.), quibus quamquam paucissimis admodum probabile redditur, *ἰωτα* subscriptum literae, cui subest, sonum tunc temporis nihil mutasse. 26) Possit quidem aliquis in eam sententiam adduci, vt credat *ῳ* verbi *κιθαρῳδης* a Syris ܘ redditum, cum *οι* iisdem literis constanter scripta cernantur, illa aetate sonuisse *ü*: sed cum *o* facillime, vti vidimus, cum *u* commutari possit et contra, cumque *ω* alias a Syris ܘ

26) Cauendum est, ne verbum *ηχαλαχ*, quo Origines teste Iahnio (Gramm. Heb. ed. III p. 447.) pro הֵיכָלָךְ vsus est, verbis his adnumeretur. Nititur enim haec lectio vitio typographico, quam ignorat Montfaucon. (Orig. Hexap. T. I p. 539) habens *ηχαλαχ*.

pronunciatum sit (*ἀγων* = ܐܓܘܢ); singularis huius verbi scriptura nihil valet in reliquorum auctoritatem. Iam vero, quid de reliquarum Graecae linguae vocalium aut diphthongorum sono statuendum sit, quaeritur. Cum enim nullum verbum literas *ηυ* et *υι* continens sese obtulerit; periculum faciamus necesse est, coniiendo assequendi, quomodo istae literae illa aetate pronunciatae fuerint. Ac primo sponte intelligitur, istas literas, cum *υ* vnacum vocali quadam conjunctum longe aliter quam consonas praecedens tunc sonaret, duplici vtrasque modo pronunciari potuisse. Cum enim illa aetate *η* sonaret *ē*, *υ* vero ante vocales *w*, non dubium est, quin *ηυ* eo in loco *ēw* pronunciata fuerint atque *υι* vti *wi* subsequente consona, aut *wī*. Deinde cum *υ* a consonis exceptum, vbi vocalibus *a* et *e* consociatum esset, sonaret *u*, contra vbi singularem locum occuparet, valeret *ü*; probabile est, *ηυ* ante consonas aut *ēŭ* pronunciata fuisse aut *ēü*. Quod attinet *υι*, in oculos incurrit, has literas, cum *ĭ* ante vocales abeat ad *j*, sequente sonante quadam etiam *üj* pro more huius aeui proferri potuisse. Attamen non repugnat, *υι* pro *ουι* aut *wi*, diphthongo *ui* innuendae inseruiisse. Obseruandum vero, *ηυ*, si sonarent tunc vocalibus proposita *ēŭ*, diphthongi *ēŭ* non autem dissyllabi e-*u* ratione pronunciari debuisse. Pro certo vtique constitui nequit. Neque tamen a vero abhorert, quin interpretes Graeci, satis parci literarum, si *ηυ*

pro diuersis syllabis valuissent, ηυ pro ηου scripsissent in verbis *οὐεαβηου* = וְאָהֵבוּהוּ, *ουθαςρηου* = וְהֶחְסֵרוּהוּ eiusque generis aliis. Praeterea Copti *ηυ* saepissime scribunt pro *εου* contractis, quibus in locis *η* non nisi ad producendum *ε* adhibitum videtur (V. sup. n. 74. 75.).

§. 7.

De literis consonantibus.

Quamquam eo iamiam peruenimus, vt, quae reseruauimus tertio huius libelli loco, videamus, quid ex iis, quae disputauimus hactenus, de pronunciatione vocalium Graecarum colligi possit; addere tamen liceat quaestiunculam de pronunciatione consonarum veteribus S. S. interpretibus vsitata. Cum autem partim de sono literis Graecorum consonis tribuendo satis inter viros huius linguae studiosos constet, partim vero difficillimum sit, ne dicam nullius in hominis potestate situm, consonarum proprietates subtiles atque discrimina vix attentissimis auribus percipienda aliarum linguarum ope reperire atque omni ex parte restituere; clarum est, nos, si certa firmare aut germanam omnique ex parte integram consonarum Graecarum potestatem hac nostra via inuenire studeremus, operam atque oleum perdituros esse. Mira enim est atque incredibilis fere varietas, qua eaedem literae consonantes non solum apud varias gentes sed etiam apud varios homines eadem patria linguaque vtentes, quamuis in vocalium pronunciatione, vti earum

natura fert, consentiant, proferri audiuntur. Facillime enim accidit, vt literae quaedam consonae aut mollius atque lenius aut durius atque fortius pronuncientur, quo, vti nihil mutatur vocalium natura, ita satis grauiter inuertuntur consonarum soni. Vnam ex hoc genere laudare sufficiat literam *s*, quae apud varias nationes varie sonat, apud Polonos autem octuplo fere modo enunciatur. Quam quidem ob rem nonnisi de iis Graecorum literis fusius disputabimus, quae nimis a genuina ratione deflexisse visae fuerint quaeque Grammaticorum antehac operam exercuerunt. Hoc etiam in loco necessarium videtur, praemittere quaedam de communi consonarum origine earumque inter se affinitate, quo omnis possit earum pronunciatio legitima diiudicari. — Inter artes, quas ingenium humanum inde a rerum primordiis exercet, nulla est tam admirabilis tamque fere diuina, quam ars loquendi siue cogitationes atque notiones ab animo perceptas sonis quibusdam ex ore profusis significandi. Constat autem omnis sermo duabus ex partibus, altera vocales altera consonas amplectente, quae coniunctae atque vario modo consertae — a *serendo* enim dicitur sermo — efficiunt vocabula, enunciationes, orationes. Ex superioribus iamiam constat, vocales, quae eo nascuntur, vt ligua voce sublata variis in oris partibus aut adscendat aut descendat atque labia pari ratione aut dilatentur magis aut contrahantur, nonnisi duplicem oris partem linguam

nimirum atque labia velut parentes requirere, quod paullo aliter se habet in consonarum origine. Cum enim omnis consonantium finis sit, vt sonis vocalibus strepitus quosdam addant atque vocem quasi terminent vel incidant, plurimae autem oris partes eiusmodi strepitus constante pectoris halitu edere valeant; necesse est, varii generis consonae ab auribus facile percipiendae atque distinguendae ex ore humano profici possint. In genere autem nonnisi duplici modo, quod sponte intelligitur, affici possunt vocales, ita scilicet vt aut breue temporis spatium supprimantur, et quasi suffocentur, aut stridore quodam, aperto oris aditu, interpellentur; quam ob causam omnes, quotquot sint, consonae, si vniuerse disputamus, non nisi ad duplex genus referendae sunt. Possunt tamen ac debent singulae consonantes pro singularibus, quibus nascuntur, oris affectionibus in tria genera primaria distingui. Cum vero duplex sit spiritum e pectore emittendi via, altera oris hiatus, altera narium, quam medici dicunt, cavitas; inde intelligitur, primum quidem consonarum genus supprimens halitum illud in duas partes esse diuidendum, alterum quod conclusa et oris et nasus cauitate, cui rei hoc in loco inseruit velum palatinum vel vuula, proficitur, alterum, quod concluso ore, narium autem cavitate angustiori longe et arctiori aperta oritur. Secundum consonantium genus, quod quidem peculiare habet id, vt aperto ore atque conclusa

narium cauitate [27]) strepitu quodam vocem interpellet, rursus in duas partes diuidatur necesse est. Cum enim duplici modo strepere possit spiritus ex oris cauitate procedens aut molliori aut duriori, quod quidem eo fit, vt oris hiatus aut arctius aut laxius comprimatur; clarum est, duplicis generis sonos ea, qua diximus, ratione profici posse. Tertium est consonarum, quas naturâ humana effingere valet, genus, quod ex superioribus mixtum quasi atque compositum oritur, cum oris sinus ex parte conclusus relinquat aliquam spiritui ex ore exeundi viam. Huius etiam modi consonae in duas rursus formas seiungi commodo possunt, cum illa oris partem concludendi ratio aut constare sibi aut, quo facto oriuntur soni tremuli, breuissimo modo interrumpi possit. Tria itaque habes — plura enim ne cogitari quidem possunt secundum oris humani habitum — genera, quibus consonae, quotquot sint quamque variis oriantur modis, necesse est contineantur. Non enim nisi triplici modo affici potest spiritus e pectore eiectus, ita scilicet, vt aut ore concludendo abscindatur aut ore aperiendo comprimatur aut denique ore par-

27) Quamquam negari nequit, huius generis consonas perfectiores atque clariores euadere, si occlusa narium cauitate proferantur; hoc tamen non necessario quidem requiritur, qua in re Cl. a Kempelen (Cf. ej. Mechanism. d. menschl. Stimme. Wien. 1791. p. 256. § 136. p. 353. § 147. al.) errasse videtur. Optime enim adhuc *w*, *l*, rel. audiuntur, etiamsi spiritus atque vocis particula, vti vsus docet, per nasum emittatur.

tim aperto partim concluso proferatur. Haec autem consonarum genera tria commode, vti vidimus, in sex partes siue classes diuidi possunt, quarum prima — iuuabit enim, hoc isto ordine procedere — eos sonos continet, qui concluso ore demissoque velo pendulo palati audiuntur atque *nasales* vocantur; secunda, quos concluso ore nasoque profectos *mutos* dicere liceat; tertia et quarta, qui ore magis minusue recluso aut *halitu* aut *sibilo* insignes sunt; quinta et sexta denique consonas amplectitur, quae oris ostio ex parte clauso aut *diuisos* et quasi dissectos aut *tremulos* sonos exhibent. 28) Singu-

---

28) Vulgares illae a Grammaticis propositae consonarum diuisiones partim alia quaedam ante oculos habent principia, partim vero et naturae humanae rationi et cogitandi legibus repugnant, quae quidem vt inutiles aut vt perquam ineptae reiiciendae videbantur. Nouas quasdam consonarum classes constituere studuit M. Court de Gebelin (Monde primitif analysé et comparé avec le monde moderne, ou origine du langage et de l'ecruture. Cap. IV. p. 131. a Paris 1775.) quas vero satis accurate refutauit a Kempelen (lib. cit. p. 125. § 128. ss.) Iam vero ne ordines quidem consonantium literarum a Kempelen (p. 228. ss.) constitutos quamquam longe rectiores se habent illis, vllo pacto probari posse videntur. Sponte enim quisque intelliget, etiamsi apta essent classium singularum nomina (*Ganz stumme*, *Windmitlauter*, *Stimmmitlauter*, *Wind- und Stimmmitlauter zugleich*), literis *k*, *p*, *t* vt mutis etiam *b*, *d* et *g* (verbi *gab*), quas vocat Stimmmitlauter, adnumerandas esse, neque vero *m* et *n*, quippe ore concluso proferendas, cum *l* et *r*, quippe aperta oris cauitate natas, in vna eadam classe comprehendi debere.

lis itaque vocalium classibus constitutis iam quaeritur, quot indiuidua in vna quaque earum contineri possint. Certissimum enim est, eo plures existere in lingua humana consonas, quo plures suppetet natura oris partes siue organa ad singulas consonas notandas apta. Quodsi igitur vno tantum aut duplici modo possit pro naturae humanae ratione pectoris spiritus, vt hoc vtamur exemplo, per breue temporis spatium supprimi aut comprimi; sequitur, non nisi vnum aut duo in istis classibus contineri posse indiuidua; quo facto, si idem acciderit reliquis, necessario, sex classibus constitutis, aut sex tantum aut duodecim consonae primariae siue singulari oris moderatione vtentes distingui possunt. Ad eam rem dilucidandam nosse opus est singulas oris partes ad eiusmodi vsum aptas. Ac primo in oculos incurrit, labia optime et supprimere et, contracto eorum circuitu, coarctare posse vocem ex ore exeuntem, quo facto necessario quatuor oriuntur strepitus singulares siue consonantes classi primae, secundae, tertiae et quartae adscribendae. Paullo aliter res se habet in classe quinta et sexta, quae cur eiusmodi sonis careant, infra videbimus. Iam vero, si a labiis discesseris modo dictis, nulla adest oris pars praeter linguam, quae valeat ex istis consonantium classibus indiuidua quaedam noua, quod tenendum est, efficere. Videamus itaque, cum tot oriri debeant classium partes, quot insunt in lingua motuum huic rei aptorum genera,

quibusnam modis linguae vsu spiritus pectoris aut abscindi, aut comprimi, aut denique vtroque modo simul affici possit. Hoc loco observandum est, linguam, vti apud medicos constat,[29] ob musculorum rationem non nisi duplici in parte anteriori scilicet et posteriori attolli posse, ita vt inter vtramque partem media genu veluti vel hypomochlium efficiat. Iam vero cum lingua duplici modo nouas cuiusque classis, vna aut duabus exceptis, partes proficere valeat; clarum est, primum, in plurimis consonantium ordinibus tria eaque diuersa indiuidua contineri debere, deinde vero, quod grauissimi momenti est, linguae naturâ undecim consonas oriri singulares. Ex his itaque intelligitur pro oris humanane ratione atque naturae legibus nonnisi quindecim praeter vocales orationis sonos existere inter se origine diuersos. Iam videamus de singulis. Ante omnia vero monendum est, vna eademque oris affectione, quamuis singulari atque a reliquis maxime diuersa, plures sonos paullulum inter se diuersos auribusque satis attentis facile distinguendos formari posse, ex quo fit, vt classium, quae constituimus, indiuidua denuo in formas singulares quasdam diuelli debeant. Cum vero eiusmodi sonorum mira possint atque innumera fere constitui discrimina; eas tantum consonas scribamus, quae

---

29) Cf. inter al I. Ch. Rosenmüller Handbuch der Anatom. Leip. 1815. p. 144. ss.

ortu inter se diuersae recte singulares singulorum ordinum partes enumerari merentur. Ac primum de iis primi generis consonantibus agatur, quae vna eaque simplici oris motione oriuntur indeque omnium facillime, quod ab infantibus discitur, et percipi et formari possunt. Oritur nimirum sonus *m*, qui inest vocibus *am*, Gallorum *même*, Anglorum *mac*, Italorum *matre*, simulac spiritus, reliquis oris partibus suo in loco seruatis, et oris et narium e cauitate procedens labiis comprimendis abscinditur, quo facto vna ei restat e naribus exeundi via. Pari modo nascuntur *n* verborum *nicht*, *noir*, *noce*, *nót* atque *n* verborum *enfent Anker anger* siue *m* verborum *ambition* siue *ng* in *Angst*, *Wange*, *bange*, *bégging*, cum aut anterior aut, quod in secundo loco obtinet, posterior linguae pars oris hiatum occludat. Primam itaque habes consonarum classem e tribus partibus constantem, in qua quidem, cum non nisi labia atque aut anterior aut posterior lingua supprimere valeat vocem in loquendo, ne possunt quidem plura indiuidua contineri. Quamuis enim consonae istae singulae aut lenius aut durius aut singulari etiam quodam modo passim proferantur, nascuntur tamen eadem omnes simillima certe oris affectione, ex quo fit, vt iure tres tantum istae primariae dici possint. Secundum consonantium, quod mutum dicere liceat. genus est, quod ita oritur, vt non solum oris sed etiam narium cauitate occlusa spiritus sup-

primatur. Hinc oritur *b* verborum *Bad*, *ball*, *bien*, *bene*, si, velo palati pendulo ad choanas narium adacto, labia occludantur. Pari ratione nascuntur *d* vocabulorum *durch*, *bad*, *dame*, *dado*, si anteriori linguae parte halitus supprimatur, atque *g* in *Gang*, *gàrden*, *garder*, *golfo*, si posterior oris aditus claudatur. Hac etiam in consonantium classe non nisi tres, quod sponte intelligitur, continentur soni singulares; obseruandum tamen, istas consonas duplici modo proferri posse aut leniori aut duriori, quo id efficitur, vt optime aliae tres consonae sono paullulum diuersae oriantur. Audiuntur enim *p*, *t*, *k* verborum *Preiss*, *Treue*, *Kunst*, *páin*, *to*, *Kind* et sic porro, simul ac *b*, *d*, *g* grauius, siue ita proferatur, vt spiritus e pectore emissus aut labiis aut lingua fortius supprimatur, quo facto aer siue halitus acrius compressus et quasi spissus, ore recluso, cum vehementia quadam exeat necesse est. Secundum consonantium genus, quod aperto ore proferendum peculiare habet id, vt stridore quodam afficiat vocem, rursus, cum oris cauitas duplici modo in angustius contrahi possit, in duas classes diuidendum est, quarum altera sonos halantes, altera sibilantes ob oris habitum contineat necesse est. Oritur itaque *w* verborum *Wanderer*, *world* atque Gallicorum *Wallon*, *Lonwy*, *Brunswig*, si labia ita contrahantur, vt spiritus procedens, ac si tibiis canere velis, in flatum abeat. Pari ratione audiuntur *j* verborum *Jahr*, *jung*, *iàculo*

siue sonus Gallorum post *l* in *soleil*, *fille* atque Italorum post *l* in *soglio, gìglio* (leg. *giljo*) vel post *f* vocabuli *fiume* perceptus, si pro labiis anterior linguae pars spiritui angustum praeparet exeundi viam. Quodsi vero eo, quo diximus, modo posterior lingua ad palatum propius attollatur, nascitur *h* verborum *haben*, *hanno* (*Florentin.*), *Haie*, *house.* Quamuis autem ne hac quidem in consonantium classe plures ac dictum est partes cortineantur; possunt tamen eaedem literae, ore paullo magis contracto, paullo fortius pronunciari, quo facto oriuntur sonus *v* pro *w*, qui auditur in vocabulis *vive*, *vagory*, *vivre*, *vècchio*, atque *ch* pro *j* in *ich*, *Licht*, *Pech* siue *g* in *legen*, *liegen*, *stagger*, *dagger*, pro *h* autem *ch* verborum *ach*, *Loch*, *Geruch*, siue *g* in *ragen*, *Woge*, *dógger.* Quamquam vero sex istae literae pariter ac reliquae rursum diuersis modis proferri possint ac soleant, obseruandum tamen, eandem eas retinere naturam atque similem requirere oris habitum adeo, vt primum quidem tres tantum partes singulares efficiant. Ne quis autem putet, *j* a consona *ch* apposita, atque *h* a *ch* verbi *suchen* sono plane discrepare, ad quam quidem sententiam vocabula *ah* et *ach* aliquis proferre possit. Acute enim de *j* et *ch* illo monitum est a Kempelenio, [30]) vtrumque sonum pari modo oriri. Quod

30) Vid. Mechanism. der menschl. Stimme p. 279. § 157. p. 454.

autem ad *h* attinet, cauendum, ne confundatur *h* illud, quod ad syllabas producendas — quo loco vocali plerumque adhaeret praecedenti, vti in vocibus *Stroh*, *Vieh* — adhibetur, cum eo, quod halitum efficiens, vti accidit verbis, *Habe, hoch, Herz*, consonae partes agit; imo eadem est ratio inter *g* et k, quae *h* et *ch* intercedit, quos quidem sonos non nisi asperitate quadam inter se differre et vsus et Kempelenii machina luculenter docent. [51] Venimus nunc ad eas literas, quae ob soni naturam sibilantes dicendae eo nascuntur, quod spiritus quam maxime compressus maxime angusta via ex ore emittitur. Quod cum non nisi triplici modo, vti vidimus, effici possit; clarum est, tres tantum sonos singulares huius etiam consonarum classis constitui debere. Hoc loco obseruandum, eiusmodi sonos nimirum sibilantes optime profici, cum spiritus ad res quasdam duras atque solidas offendit, quam ob caussam dentes hoc in loco adhibendos esse apparet aut, deficiente dentium vsu, linguae apicem. Oritur itaque *f* vocabulorum *Finger*, *Futter*, *fain*, *facile*, *fanciulla*, si halante spiritu labium infernum ad dentes supernos proxime dirigatur. Idem quidem sonus auditur, si inuerso ordine labium supernum ad dentes infernos accedat: sed cum non nisi eae oris affectiones, quibus pro naturae humanae habitu facile absque omni labore elementa orationis oriuntur, iuuent; recte ab eiusmodi sono

51) Kempelen l. c. p. 448 et 276.

in sermocinando abstinetur. Huc spectat etiam *th* Anglorum, quod, quamquam diuerse sonat, eo maxime oritur, quod linguae apex pro labio inferno dentibus supernis applicatur. Porro nascitur *s* verborum *Sage, Sieg*, *usage, secondo*, *sárge*, vel *x* in *sixième* vel *z* in *zeal*, si anterior linguae pars, ad palatum sublata, spiritus exitum parum absit quin claudat. Hoc etiam loco dentes nimirum superni vsui sunt, cauendum tamen, ne quis, dentes necessario adhibendos esse, putet, cum, quod acute monuit a Kempelen, linguae apex, perditis dentibus, ad eiusmodi consonantem sufficiat proferendam. Sonat quidem ista litera alias paullo durius velut *s* verborum *sun*, *savant*, *insolênte*, vel *ss* in *sāssen*, vel *c* et *ç* in *cela*, *conçu*, vel sc in *discìple* vel *x* in *six*, quod eo fit, vt halitus procedens acrius comprimatur aut cum vi quadam eiiciatur veluti duplicetur; sed, cum soni isti eundem omnes requirant oris habitum, recte non nisi vnius ex hac classe partis formae iudicandi videntur. Oritur denique sonus *sch* verborum *schön*, siue *sh* Anglorum in *shall* siue *sc* Italorum in *scêlta*, siue *g* Gallorum ante *e* et *i* vti in *gémir*, *ch* in *charité* atque *j* in *jeter*, si posterior linguae pars siue dorsum ad palatum sublata coerceat spiritum. Cum vero lingua paullulum retracta careat dentium adiumento, attollatur etiam necesse est, quo stridor efficiatur, linguae apex, quod idem obtinet in proferendo sono *s*, si vox ad dentes supernos allidi non possit. Quamuis

vero istae literae paullulum inter se diuersae aut durius aut mollius, quod optime docent Germanorum'*sch* et Gallorum *j*, pronunciari soleant; sponte tamen, cum omnes ac singulae simillima oris affectione oriantur, intelligitur, vno tantum loco in tabula, quam exhibebimus, comprehendendas esse. Secundum itaque habes consonantium genus, in duas classes dipartitum, quod peculiare habet id, vt spiritum tribus, quibus instructa est natura hamana, oris partibus in angustum compellat atque coerceat. Tertium genus est, quod e prioribus coniunctum et quasi mixtum sonos continet orationis humanae partim occluso partim recluso siue diuiso oris hiatu proferendos. Cum vero non nisi eo possit naturae humanae accommodate et ad loquendum apte oris cauitas ex parte claudi, vt linguae apex ad palatum applicetur et quasi affigatur spirituique relinquatur aliqua ab vtraque parte exeundi via; necesse est, oriatur vna tantum consona diuiso spiritu siue dipartito insignis. Cum vero ista oris motio aut perstare aliquod tempus, aut interumpi possit, ita vt quasi dissoluta continuo restituatur; commode hoc etiam consonarum genus in duas classes distribuendum videtur. Oritur itaqe *l* verborum *Leben*, *live*, *limàsima*, *moral*, si linguae apex ad palatum sublatus spiritum ita abscindat, vt ab vtraque parte veluti in duas partes dissectus euadat. [52]

52) Addit Henselius: Synopsis vniuersae philolog. in qua vnitas et harmonia linguarum totius orb. ter. eruitur.

Possit quidem eo etiam consona quaedam effingi, vt labia in medio ore compressa, versus sinus autem vtrosque reclusa — quo facto vtique sonus ab *l* diuersus quidam oritur — dipartitum emittant halitum; sed cum eae tantum consonae in sermonem recipi et soleant et debeant, quae ore parum distento profectae facile cum vocalibus aut consonis coniungi possint, non mirum est, nullam apud gentem eiusmodi sonum audiri. Neque offendit, posteriori linguae parte ea, qua dictum est, ratione singularem sonum non profici. Cum enim posterior lingua longe crassior anteriore et rigida, simul atque ad palatum attollatur, vocem supprimat; clarum est, eo oris in loco singularem consonam huius classis partem oriri non posse. Oriuntur denique sextae classis consonae, si quintae pars illa ita proferatur, vt spiritus tremulo quodam motu proferatur atque diuidatur. Hinc auditur *r* verborum *Rabe*, *repentìno*, *róck*, *rouge*, si linguae apex ad palatum sublatus breuissimis temporum interuallis nunc cedat spiritui ex oris cauitate proiecto, nunc ad habitum pristinum redeat, quo facto lingua ad modum laminarum

---

Norimbergae 1741. p. 149. XIII, linguam, proferentem istam literam, *circa radices dentium superiorum flecti*, quod vero, quamquam obtinet in pronunciandis *il*, *el*, *li* al., non necessario fit atque vniuerse. Optime autem docet machina Kempelenii, linguam hoc in loco illud tantum agere, vt spiritum in duas quasi partes dissoluat. (Cf. Mechan. d. menschl. Stimme. p. 449. 453.)

aut aenearum aut lignearum in tibiis aliisque instrumentis quibusdam musicis conspicuarum vibretur necesse est. Cum vero labia et lingua posterior singulares praeter *l* classis quintae consonas formare non possint; non mirum est, sextae etiam partem primam atque tertiam deesse. Obseruandum tamen, huc pertinere stridorem quendam e gutture siue velo palatino natum. Quodsi nimirum vuulae apex siue ea pars, quae velut conus a palato infimo pendet, versus linguae radices deprimatur atque spiritui procedenti opponatur; auditur sonus quidam tremulus idemque consonae *r* simillimus, qui commode *r* gutturale dici possit. Cum vero eiusmodi consona partim difficilior sit pronunciatu, partim nimis rauca atque iniucunda auditu; inde factum est, vt *r* gutturale, quamuis retineatur a multis,[33] in consonantium numerum et consuetudinem nunc non receptum sit. Suspicari aliquis possit, pari modo oriri debere *l* quoddam gutturale; sed cum vuula ista satis depressa atque tenuis a linguae hac in re habitu satis aliena sit, non mirum est, os humanum eiusmodi consonam effingere non valere. Ex his itaque, quae, ne nimis a fine aberasse videamur, brevissimo modo disputauimus, cognoscitur, consonas istas, cum singulae

33) Teste a Kempelen. *r* vulgare Parisiis maxime haud raro cum *r* gutturali commutatur. Cf. a Kempel. Mechanism. der menschl. Stimme. p. 331. Neque tacendum, illum *r* singularis vsum obseruari in pueris parum in loquendo exercitatis.

quaeque singulari oris habitu nascantur, inter se diuersas primarias easque simplices dicendas esse. Cum enim os non nisi triplici ratione nec nisi sex modis, tribus oris partibus velut instrumentis adhibitis, spiritum e pectore emissum afficere possit; inde sequitur, consonas in tabula expositas quatuordecim aut, admisso *r* gutturali, quindecim primarias easque inter se diuersas partes efficere, atque omne consonantium genus, quotquot audiantur per terrarum orbem, non nisi ad quindecim sonos scilicet singularem oris motum requirentes referendum esse. Quamuis enim singulae istae literae duplici, aut triplici vel quadruplici etiam modo proferri possint, non differunt tamen inter se eiusmodi soni labiorum aut linguae vsu. Quid vero sit, quod nonnullas classium formas duplici modo scripserimus, de eo videbimus infra. Tria itaque sunt consonantium genera, quorum primum (I) *abscindens* spiritum dici possit, secundum (II) *contrahens*, tertium (III) denique *mixtum*. E generibus vero istis sex oriuntur consonantium classes, quarum prima (1) *nasales*, secunda (2) *mutas*, tertia (3) *halantes*, quarta (4) *sibilantes*, quinta (5) *ancipites*, sexta denique (6) *tremulas* continet. Vniuscuiusque autem indiuidua oriuntur aut labiis (1) aut linguae parte *anteriori* (2) aut denique *posteriori* siue velo palatino proxima (3). Priusquam autem videamus de affinitate harum literarum, ad quam inueniendam hanc talem fecimus de-

gressionem, nonnulla offeruntur nunc remouenda atque componenda.

Ac primum obiicere aliquis possit, illam consonarum descriptionem atque dispositionem, quamuis recte se habeat, non ita esse certam atque absolutam, vt omnibus gentibus omnique generi humano communis praedicetur. Ad quam sententiam probandam prouocari possit ad illud, quod literarum quarundam pronunciatio haud raro ab exteris edisci nequeat, nonnullique soni, quod ob oris naturam apud singulos diuersam accidere dicunt, ab aliis aut non aut male proferantur. Sed cauendum, ne naturae vitio vertatur, quod ad inertiam et tarditatem atque consuetudinem etiam hominum referendum est. Quamuis enim quaedam aliarum gentium literae haud facile legitimo modo pronunciari possint nonnullique soni a multis aegre proferantur; id tamen nunquam fere non aut ignorantia iustae eiusmodi sonorum originis aut negligentia in exercitando accidit. Plurimum enim

	1	2	3	
1	m	n	*n*	I
2	b p	d t	g k	
3	*w* w	j ch	h *ch*	II
4	f	s	sch	
5	—	l	—	III
6	—	r	(*r*)	

hac in re tribuendum est et Kempelenii testimonio, qui literas alienas a multis, simulac germanam eorum originem ab eo perceperant, absque omni labore proferri audiuit, atque etiam plurimorum hominum exemplis, qui varias gentes obeundo sonos subinde quamuis singulares atque inusitatos optime didicerunt enunciare. Vtrumque vero, quod sponte intelligitur, non eo accidit, quod noua oriuntur oris organa, sed eo, quod exercitatio atque vsus accedit. Imo, quemadmodum vna est cerebri vel pectoris humani in sanis ratio, ita etiam labiorum et linguae, quorum vsu oriuntur consonae, habitus apud omnes adeo similis sibi sit necesse est, vt quiuis, si exercitatio iusta accesserit, quascunque literas pari modo pronunciare possit. Huc apprime facit, quod Kempelenii e machina, cuius vna tantum est ratio, nisi omnium certe diuersissimarum gentium soni proferri possunt, quod, si singulari ad eam rem opus esset oris habitu, locum non haberet.

Deinde moneri possit consonas istas alio etiam ac dictum est modo formari posse. Sed hoc etiam loco tenendum est, quod supra de vocalibus commemorauimus, illud tantum quaeri, quomodo facillime et ad loquendum apte nascantur ex ore orationis soni. Quamuis ergo, vt hoc vtar, compressis dentibus aut obtorto ore eaedem consonae proferri possint; salua tamen stat earum, quam diximus, legitima origo. Attamen reprehendendum videtur illud, quod

in tabula ista literae nonnullae partim neglectae, partim vero duplici modo scriptae sint. Cum vero non nisi eae literae, quae singularem oris humani partem requirunt, tamquam singulae singularum classium partes enumerandae sint; iure factum videtur, quod sonorum ab istis paullo deflectentium signa, quorum mentionem maxima ex parte iniecimus supra, velut individuorum formae neglecta sunt. Praeterea tenendum, nonnullas literas gentibus vsitatas aliarum sonum referre, nec nisi scripturae varietati cuidam inseruire. Huius generis sunt *q*, quod eundem sonum habet atque *k* (Qual = Kual = Kwal), c, quod partim *s* (celui = selui), partim *k* (Dicke = Dikke, colle = kolle) sonat, atque alia nonnulla aliis gentibus vsitata. Reliquae autem literae, quippe duplici oris motu profectae, non inter simplices quidem consonas, de quibus hactenus actum est, sed inter compositas, de quibus infra videbimus, numerandae sunt. Deinde non mirum est, quorumdam inprimis sonorum duas formas audiendo scribendoque distinctas esse. Cum enim ore occluso spiritus aut natura in sua seruari, aut, quod aliter se habet in reliquarum consonantium origine, mirum in modum comprimi ac densari possit; necesse est, tres istae secundae classis consonae duplici modo eoque satis diuerso facillime pronunciandae in duas singulae formas diuidantur, quas quidem in tabula notauimus. Simile autem quiddam in tertiae classis literis

obseruatur. Cum enim soni isti aut compressa magis aut laxa oris cauitate, quod in reliquos parum cadit, proferri possint, denuo tres istae consonae in duas singulae formas diuidendae ac resoluendae videbantur.

Ex his autem primum cognoscitur, *w* et *j*, de quo supra egimus, omni fere ex parte cum *ŭ* et *ĭ* correptis origine conuenire. Cum enim vocales singulae, quo magis sublata ad palatum lingua oriantur, eo magis, quippe stridorem quendam ob oris hiatum coeuntem subeundo, consonarum siue stridoris naturam referant; clarum est, *ŭ* et *w* atque *ĭ* et *j*, cum eadem oris affectione, labiis scilicet contractis atque linguae apice, quod in proferendo *i* et *j* obseruatur, ad palatum sublato oriantur, simillima esse natura atque stridore. Id quidem optime cognoscitur, si suppressa voce proferas *u*, *w* et *i*, *j*, ac si velis alicui in aurem insusurare, quo facto vix parum vtrique soni inter se distingui possunt. Illud tantum discriminis inter *u*, *i* atque *w*, *j* versatur, quod illae sonante glottide, hae autem mero spiritu pronunciantur. [34]) Iam vero, quod summum est, cum glottis, quod idem accidit tibiarum quibusdam generibus simili quo-

34) Eadem fere obseruauit a Kempelen l. c. p. 279, quo loco *i* atque *j* siue *ch* lene eodem oris motu oriri atque eo tantum inter se diuersa esse contendit, quod illud sublata, hoc autem suppressa voce proferatur (col. p. 207. s.). Eadem fere tradit de *w* et *u* p. 364. s. col. p. 451. s.

dam modo sonos edentibus, non statim quidem immisso spiritu, sed paullo serius demum sonet; inde fit, vt *u* et *i* ante vocales, simul atque corripiantur, protinus *w* et *j* (Qŭell = Qwell, ĭa = ja) euadant. Possunt quidem istis etiam in locis *ŭ* et *ĭ* vocalium in potestate seruari, si vel paullulum productius proferantur, vel spiritus per minutum quoddam tempus post *u* et *i* enunciatum supprimatur, quo facto oriuntur soni inter *w* et *u* atque *j* et *i* veluti medii. [35]) Sed cum eiusmodi soni non nisi virium quadam contentione oriantur, natura autem humana in loquendo ea tantum appetat atque sequatur, quae commoda sunt atque orationem faciliorem reddunt, recte se illud habere videtur, si a paucis verbis discesseris, quod diximus, *u* et *i* satis correpta ante vocales vno tenore subinde pronunciandas *w* et *j* leni spiritu prolata sonare. Restat, vt de proprietatibus consonantium singularum earumque coniunctione cum vocalibus atque reliquis consonis breuiter exponatur. Ac primo obseruandum est, oris habitum in pronunciandis consonis eundem manere, siue praecedant siue subsequantur vocales. Neque excipiendus est ista lege sonus *h* quidem, dummodo post vocales, quo loco plerumque aut ad distinguendas notiones aut ad producendas vo-

---

35) Eiusmodi soni audiuntur exempli caussa in verbis *mouillé, fiume, Dau-id, mau-en, cŭidam* (col. *quidam*), qui iure quodam et vocalibus *i, u,* et consonis *j, w* lenibus illis adnumerari possint.

cales additur, legitimo modo pronunciatur. Omnes autem soni, quos exhibuimus in tabula quosue velut formas eorum parum ab iis diuersas, neglleximus, vna cum vocalibus, quod exspectare licet, coniuncti proferri possunt; quo facto oriuntur, quas dicunt, syllabae. Hoc loco obseruandum est, linguam in pronunciandis syllabis eam constanter oris partem petere aut tenere, quae vocali cuidam cum consona coniungendae conuenit. Quodsi enim, vt hoc vtamur, pronunciatur *mi* vel *mu*, facile quisque sentiet, linguam, priusquam *i* et *u* sonent, eum oris locum, quo istae vocales nascuntur, praeoccupare eoque modo veluti praeparare istos sonos. Idem cadit in reliquas consonas solo labiorum vsu formandas. Quodsi autem vocales vna cum consonis proferuntur linguae adiumento oriundis; lingua ad eum palati locum aut applicari aut appelli solet, qui conuenit vocali iamiam pronunciandae. Retinent enim consonantes naturam suam, etiamsi paullo magis aut retracta aut porrecta lingua proferantur, dummodo iusta linguae pars adhibeatur. Auditur itaque *k* in *ki*, in quibus proferendis linguae posterior pars ad palatum dentibus propinquius adigitur, atque etiam in *ku*, qua in syllaba lingua infimum palatum attigit. Idem obseruatur in consonis n, *n*, d, l, r pronunciandis cum vocalibus singulis, ex quo denuo intelligitur, verum esse atque germanum vocalium ordinem illum, quem descripsimus supra. Attamen negari nequit, ab

his legibus exceptas esse II*di* generis consonas secundo et tertio loco constitutas. Facile enim quisque sentiet, linguam in proferendis syllabis *su* et ch*u* — dicimus enim ch secundam tertiae classis partem — relabi atque porrigi contra, si enuncientur exempli causa syllabae *achi*, *aschi*, cuius rei haec esse videtur ratio. Quamquam dentes atque guttur nihil valeant per suam naturam in consonarum originem, videtur tamen vtraque oris pars dentibus atque gutturi proxima vna cum lingua sonos istos perfectiores reddere adeo, vt lingua in proferendis ch et s non possit salua eorum indole a palato anteriori deflectere, neque a gutture longius recedere, cum *ch* et *sch* vocalibus adduntur aliena in oris parte oriundis. Inde etiam explicandum est illud, quod cum ch secundum locum atque *ch* tertium tenenti non possint commode vocales quaedam coniungi. Nequeunt enim *u*, *o*, *å* et *a* cum ch illo ad anterius palatum pertinenti pronunciari, nisi si vocalis quaedam e reliquis nimirum *ä ö e ü* et *i* in vtroque sono velut media inseratur, quo facto pro *uch* auditur *uĭch*, *ŭech* et sic porro. Contra est *ch* e gutture natum in verbo *ach* percipiendum illud, quae quidem consona cum *ä*, *ö*, *e*, *ü* et *i* non nisi ita pronunciari potest, vt vocales *u*, *a* et reliquae velut mediae consonent atque oriantur soni *iuch*, *iach* et reliqui pro *ich*.

Huius etiam rei, vti dictum est, caussa esse videtur, quod lingua in duplici isto *ch* a legi-

timo oris loco saluo hoc sono haud multum deflectere possit. Cum enim lingua in proferendo *a* infimum teneat locum, atque in reliquis effingendis (ä, e, i) magis magisque adscendat; non potest non, cum ad palatum anterius, vt oriatur ch, attollitur, elicere etiam vocales in media quasi via constitutas. Contra vero, cum *ch* proxime ad guttur oriatur, *i*, *e*, *ü* vero atque reliquae versus primum palatum; necesse est, lingua, cum a primo palato ad tertium, vt oriatur *ch*, deflectitur, obeat oris locum vni ex vocalibus *a å o u* conuenientem, quo facto quaedam ex istis sonis potissimum *a* nimirum inprimis commoda syllabae *ich* immiscetur inuito et quasi inseritur. Plura quidem his, quae subtilius disputauimus, addi possent; sed haec etiam, si non proxime ad nostram rem fecissent, lubentissimo animo neglecta fuissent. Possunt vero etiam consonae cum consonis coniungi, quo facto oriuntur diphthongi et triphthongi non e vocalibus quidem sed consonis compositae. Ac primum ita consonantes inter se copulari possunt, vt pares cum paribus coalescant atque, quod dicunt, duplices efficiant. Differunt autem eiusmodi soni, qui inprimis inter duas vocales percipiuntur, non nisi eo a consonis simplicibus, quod duplex temporis spatium requirunt, quam ob rem optime cum vocalibus productis, velut e vocalibus duabus eiusdem generis constantibus, comparari possunt. Oriuntur autem diphthongi e consonis, cum l inae origine diuersae, nulla

vocali interposita, pronunciando coniunguntur. Quamuis vero omnes istae quatuordecim vel quindecim numero, quas vt primarias ortuque distinctas in tabula posuimus, inter se coniungi possint; solent tamen eae in sermocinando respui, quae aut incommode copulantur aut copulatae parum a simplicibus differunt. In genere autem ii soni facillime coalescunt, qui alienis oris partibus, velut lingua atque labiis et contra, aut sono abscindendo atque comprimendo diuidendoue oriuntur. Ex his nobilissimas habemus consonas diphthongos *z* verborum *zu*, *zoppo*, quae constat e *ts* vel *ds*, *x* verborum *Axel*, *Flaxs*, *Phénix*, *taxer*, siue *ks* vel *cs* vel *chs* in *Dachs*, *tsch* vel *dsch* = *j* in *joy* = *ch* in *chair* = *c* et *g* Italorum ante *e* et *i*, *ps*, *fl*, *mn* eiusque generis alias, quae iis literis plerumque conscribuntur, e quibus componuntur pronunciando.

Iam vero clarum est, quas consonas singulas intercedat propinquitas. Quamquam enim recte dici possunt literae affines eae, quae similes quosdam sonos exhibent; difficillimum tamen foret, inde, cum alii aliter sentire atque pro suo quisque captu iudicare possint, certi quid de ea re constituere, quod nunc quidem facile ex ordine consonantium in tabula conspicuo cognoscitur. Affines enim sunt eae consonae, quae, vti obseruatum est in vocalibus, simili oris habitu oriuntur. Ac primo sponte intelligitur, eos sonos, quos formas singula-

rum] in classibus aut appositarum aut neglectarum partium singulares diximus, omnium maxime sibi propinquos esse, ex quo fit, vt *b* a p, *d* a *t*, g verbi *lag* a *k* et sic porro vix attentis auribus in vita vulari distingui possint. Inprimis autem ea consonantium affinitas hoc loco spectanda est, quae singula singularum classium indiuidua intercedit; quae, si vniverse disputamus, duplex est. Facillime enim inter se commutari possunt primum eae consonae, quae vna eademque oris parte pronunciantur, ex quo sequitur, primas quasque classium partes siue sonos labiis profectos, hinc secundas siue linguae apicem requirentes, hinc denique tertias siue posteriori lingua enatas, inter se affines esse. Cum vero primae classis literae oriantur narium cauitate aperta, reliquarum autem soni, si optime proferuntur, occlusa; inde intelligitur, eas quidem consonas reliquis, quas singulis iis affines diximus, cum illae simplicem, haec autem duplicem eamque diuersam oris affectionem requirant, parum affines esse.) Attamen facilius rursus *m* et *b* vel *p*, *n* et d vel *t*, *n*, quod Gallicum perspicuitatis caussa nominemus, atque *g* vel *k* inter se commutari possunt, cum vtriusque generis soni id habeant commune, vt ore concluso oriantur. 34) Longe propinquora itaque sibi inuicem consistunt singula quaeque classium indiuidua, vna eadem-

36) Cf. Adelungs Woerterbuch s. h. literis eiq. Lehrgebäude der Deut. Sp.

que oris parte enuncianda. Cum vero *f*, *s*, *sch* eo differant a tertii ordinis consonantibus, quae quidem ex *b*, *d*, *g*, si oris sinus istis in locis non penitus claudatur, oriuntur; inde fit, vt secundae classis soni facilius cum tertiae partibus pari in loco constitutis commutari possint, quam quartae; deinde vero, vt consonae quartae classi adscriptae propinquiores sint sonis tertiae quam literis *b*, *d*, *g*. Simili quadam ratione reliquae classes a praecedentibus deinceps differunt, ex quo illud fit, vt binae quaeque literarum in tabula dispositarum classes sibi proximae, cum eo in ordine alia ex alia oriatur pluribus deinceps oris partibus in pronunciando adhibitis, prae reliquis sibi affines sint. Cum vero partes secundae et tertiae ex ordine tertio atque quarto singulare quiddam habeant in coniunctione cum vocalibus; inuerti paululum hoc in loco videntur istae leges, quod vero accuratius nunc describere et longum foret et nimis alienum. Iam vero affines etiam sunt ii soni, qui in singulis ordinibus comprehenduntur. Cum vero in pronunciandis singularum classium consonis etiam facile ea oris humani organa perperam adhiberi possint ac soleant, quae situ et vsu sibi vicina adsunt; inde sequitur, consonas primos singularum classium locos tenentes facilius ad partes secundas quam tertias abire, atque contra literas singulas tertio loco constitutas facilius cum partibus earumdem classium secundis quam primis commutari posse. Inpri–

mis autem, quod sponte intelligitur, consonae secundo et tertio in loco constitutae, cum vna eademque oris parte scilicet lingua proficiantur, inter se propinquae sunt. Addi denique possit tertium quoddam consonantium inter se affinium genus, quod, quamquam nullum fere est, conspicitur tamen in literarum e genere secundo secundarum et tertiarum commutatione. Huius autem rei ea est ratio, vt partes diuersarum classium situ sibi proximae, velut *ch* et *sch*, facile inter se commutari possint. Iam exempla quaedam huius rei testimonia afferre liceat. Affines itaque inter se sunt primum literae signis 1, 2, 3 in tabula subscriptae siue eadem oris parte pronunciandae ita quidem, vt proximae quaeque reliquis facilius commutari inuicem possint pronunciando. Ob eam caussam *b* in verbis *gab*, *lieb* aliisque sexcentis abit non quidem ad *l*, *n*, *sch* vel alium quendam sonum alienum, sed ad *w* cognatum in *geben*, *lieben*, atque etiam, quamquam rara sunt eius generis exempla, ad *m* vti in vulgari illo *ham* pro *haben* atque in verbis Arabicis ب pro م habentibus et contra. Eadem affinitas est inter *w* et *f*, ex quo factum est, vt *v* latinorum apud Italos et Gallos nunc sonet *w*, apud Germanos autem vti in *vulgus*, *volo* plerumque verborum *f* pronuncietur. Pari etiam modo reliquae singularum classium partes pari in loco positae inter se commutari solent. Porro affines inter se sunt consonae iisdem classibus adscriptae. Inde factum est, vt *m* atque Italo-

rum *n* apud Gallos sonum *n* (velut *en*) subierit, hinc, vt verba Hebraica a י incipientia apud Arabes saepe numero ﻭ habeant, hinc, vt *st*, *sp* Saxonum inferiorum alias sonent *scht*, *schp*. Inprimis autem, quod ex superioribus constat, tanta est inter partes classis primae et tertiae secundas et tertias (n *n*, ch *ch*) affinitas, vt plurimae gentes ne habeant quidem diuersas pro iis sonis literas. Commutari denique inter se possunt literae e diuersis diuersarum classium locis petitae eaeque haud multum ortu inter se distantes. Ob eam caussam, vt hoc vtamur, *g* verborum *lag*, *mag*, aliorumque sonat *ch* lene vel *j* in *liegen*, *moegen*. Quamquam vero omnes linguae humanae consonantes eo prorsus modo primum quidem inter se commutentur; accidit tamen, vt, quod in singulis classium partibus maxime locum habet, literae secundo et tertio etiam loco sibi propinquae velut *b* aut *p* et *f*, *d* aut *t* et *s*, *n* et *l* passim altera alterius sonum subeant. Eius generis exempla sunt *Scheffel*, *essen*, *das*, quae in Saxonia inferiori a plebecula *Schepel*, *eten*, *dat* pronunciantur. Attamen in ea re diiudicanda magna opus est cautione, ne afferantur hoc loco nomina, quorum literae ad affines quidem, hinc vero ad affines rursus affinium abierunt ita, vt nunc consonae quaedam alienos situque satis diueros sonos adeptae videantur. Iam vero literae consonantes simplices, quod quidem hoc loco minime silentio praetereundum est, non modo

simplices, sed etiam compositas habent affines, quibuscum facile possint permutari. Huius quidem sonorum propinquitatis haec est ratio, vt consonae quaedam vna cum consonis sibi proximis situ atque affinibus pronunciando coniungantur, quod rursus duplici modo fit, ita scilicet, vt aut praemittantur aut subnectantur consonae propinquae. Contra est in consonantibus coniunctis siue diphthongis, quae eo ad simplices abeunt, vt alteruter sonus pronunciando negligatur atque supprimatur. Huius generis exempla sunt *t* Romanorum, quod ante *i* in Germania et passim in Italia etiam *z* siue *ts* (natio = nazion) sonat, apud Anglos autem in *ture* vti *tj* siue *tch* atque *tsch*, hinc vero *sch* pronunciatur. Huc spectant *x* alias *ks*, alias *ksch*, alias *chs*, alias *s*, (*sex* = *six* siue *sīs* atque siks Anglorum, *conexion* = *conneksion* atque *connekschĭon*, collato Anglorum *flax* atque exámple), *sc* alias *sk* alias *ss* (ascetik disciple) *pt* alias *f* alias *p* (*Pferd*, *Ferd*, *Per*) sonantia, atque sic in reliquis. Hoc vero etiam in loco simplices consonae cum duplicibus ita, quod vix opus est demonstrare, mutari possunt, vt litera alterutra primum quidem proximae, hinc vero etiam paullo remotioris cuiusdam sonum in se suscipiat. Praeterea illud tenendum est, ob vocalium atque etiam consonarum cum consonis singulis cuniungendarum originem atque situm alias consonantes facilius, alias, cum commodum aptumque vbique sequatur natura humana, diffi-

cilius sonos certos quosdam eosque aut magis aut minus sibi propinquos subire.

Ex his autem, quod addere liceat, cognoscitur etiam, literarum auctores primum quidem haud dubie admodum paucos orationis sonos distinxisse atque signis quibusdam notasse, neque multum abest, quin vel ob eam caussam iis assentiamur, qui Hebraeos initio quindecim tantummodo, aut sedecim literâs in vsu habuisse statuunt. Ad eam rem probandam, vti accurate demonstratum est, parum valet illud, quod scriptores quidam veteres Cadmum sedecim aut octodecim tantum literas in Graeciam intulisse tradunt, neque prouocandum est ad inscriptiones veteres, quippe seriora in tempora incidentes. Ex his illud potius confirmatur, Hebraeos aut Phoenicas, quo tempore Graeci eorum literas suas fecerunt, viginti duo signa illa iamiam adhibuisse. Attamen ea etiam res alicuius momenti esse videtur, dummodo, quod a vero minime abhorret, sumitur, literas Graecas nomina et figuras Hebraicarum habentes non omnes quidem Cadmeas illas, sed ex Asia atque Ionia postea petitas esse, quos populos paullo serius a Phoenicibus scribendi artem edoctos esse probabile est, praesertim cum literae priscae (ἀρχαια γραμματα) atque recentiores, Atticae atque Ionicae diserte a scriptoribus veteribus distinguantur. Praeterea ne hoc quidem offendit, quod disentiunt de numero literarum primarum veterum testimonia, cum literas nouas non omnes

vna aetas, sed singulas diuersae addere et potuerint ac debuerint. Neque repugnat, Atticos aut Iones, saluo literarum priorum ordine, novas in fine seriei a Phoenicibus acceptas addidisse, cum idem sequius apud Graecos aliasque gentes plurimas veluti Coptos, Arabes, alios obseruetur. Vtut sit, faciamus tamen cum Dionysio Halicarnassensi, nihil certi istis Graecorum testimoniis inesse. Quodsi ergo Hebraei quindecim tandummodo literas initio habuerunt; necesse est, accidisse id, antequam Phoenicum literae viginti duae istae aut Cadmo auctore in Europam aut alio in Asiam minorem inuectae sunt. Tria autem sunt argumenta primaria, quibus Hebraeos initio quindecim tantum literas easque priores ordine illas habuisse probari posse videtur. Primum enim minime probabile est, literarum auctores sonorum discrimina atque differentias minutas aut percepisse aut significare primum voluisse, quod in literas Hebraicas, si viginti duae ab initio fuissent, maxime caderet. Eo enim insignis est omnis antiquitas, quod sonos vna litera primum comprehensos subinde distinxit atque duobus vel tribus signis significauit, quam ob rem a vero non abhorret, literarum auctores id primum curasse, vt soni tantum singulari oris parte pronunciandi ante omnia scribendo innuerentur. Hinc factum est, vt Hebraei tres tantum literas vocales reciperent, hinc vt serius demum שׁ et שׂ, ב et בּ פ $=$ *f* et פּ $=$ *p* distinguerent. Quemadmodum vero sub-

inde viginti quatuor, vel quinque, vel plures scribendo notarunt; ita etiam, priusquam noua signa in vsum venirent, initio quindecim tantum adhibere potuerunt. Deinde obseruandum est, literas inde ab ע vsque ad ת priorum complementa ordine perturbato venire. Quodsi enim literarum auctores ea signa, quae nunc reperiuntur in libris Hebraicis, omnia simul exhibuissent, vix ac ne vix quidem accidisset, cum literae istae pro numeris adhiberentur, vt ע פ צ alias alio ordine sese exciperent. Obseruatur enim in libro Threnorum cap. II, III et IV, [57]) פ loco ע positum, in psalmo autem XXXVII צ loco פ. [38])
Obiici quidem possit literarum Hebraicarum ordinem alias etiam perturbatum exstare, ita vt ו omissum sit passim, atque nonnulli loci duo א pro א, ב, nec non duo ד pro ד, ה habeant; sed sponte intelligitur, hos quidem errores longe alius generis esse, neque huc trahi posse. Neque vllo pacto ea res e lingua Aramaica explicanda videtur, cum idem vsus sibi constet, vel certe iusto saepius recurrat. Ista autem literarum commutatio ne errori quidem aut negligentiae auctoris danda videtur, cum istae literae pro nu-

37) His quidem, nisi audacius esset, adnumerari posset cap. I. Ordine enim eo, qui nunc in isto capite conspicitur, interpellari videtur orationis series, quae, si Vers 17. praeponatur versiculo 16, optime restituitur.

58) Isto in loco literam ע non deesse, ingeniose demonstrauit S. V. Gesenius (Gesch. der Heb. Sp. p. 166), imo librariorum negligentia excidisse.

meris valentes, si ab initio adfuissent, omnibus cognitae et tritae fuerint necesse sit. Non videmus enim, qui potuerit, vt hoc vtamur, numerus LXX pro LXXX atque XC pro LXXX adhiberi. Quas quidem ob caussas admodum probabile est, istas literas aeque atque reliquas serius demum Hebraeis in vsum venisse, ita vt earum potestas atque, quem dicunt, valor numeralis subinde demum constitueretur aut vniuerse saltem reciperetur. Etiamsi vero his quidem nihil effici videatur, negari tamen nequit, literas Hebraeorum quindecim priores suffecisse ad sonos verborum innuendos atque nouas istas non singulares consonas sed formas priorum exhibere. Tenendum enim est, haec non ex auditu et sensu, sed ex oris singulos sonos effingentis habitu iudicari. Quodsi enim literae Hebraeorum inde ab א vsque ad ע cum iis comparantur, quas singulares atque primarias inuenimus; apparebit, quindecim istas literas, non mirum est, aequare istas in tabula supra dispositas adeo, vt totidem fere et classes et partes habeas. Literas enim vncinis inclusas, quas adscripsimus, se-

	מ	כ	(נ)
	(פ)ב	(ת)טד	(ק)כג
א	ו	י	(ע)חה
	(*פ)(*ב)	(צ)(שׂ)ז	(שׁ)ס
	—	ל	—
	—	(ר)	(ר*)

rioris aeui dicimus, atque asterisco notatas ne tunc quidem scribendo distinxisse videntur Hebraei. Habes itaque e classe prima duas partes, e secunda tres vna cum formis duabus, e tertia tres, quarum tertia formam singularem habet, e quarta duas, e quinta vnam, quae quidem, si comprehenduntur, quatuordecim literas singulorum sonorum signa exhibent. His addendae sunt tres vocales istae, quo facto, cum ו et י pro consonantibus etiam adhibitae fuerint, א accedit litera decima quinta. Attamen offendit, quod, si istae tantum literae primum adhibitae fuissent, Hebraei partim tribus literis sonos scilicet *n* Gallici, *f* et *r* significantibus caruissent, partim literas quasdam superuacaneas habuissent. Quamuis vero ea res ita explicari possit, vt statuatur, alium quendam literarum Hebraicarum ordinem primum obtinuisse, atque serius demum literas alienas prioribus interpositas esse, quo facto ר et ש initio iamiam adhiberi potuissent; certo tamen certius est, literas Hebraeorum inde ab א vsque ad ע, cum pro calculis ad computandum ab initio haud dubie adhibitae fuerint, primum eo ordine, quo nunc veniunt, sese excepisse. Attamen, quod monuisse sufficit, ne hoc quidem repugnat, serius demum literas nouas pro veteribus quibusdam expulsis, quod idem Graecis accidit, in reliquarum societatem saluo eorum ordine receptas esse. Quaeritur itaque, qui factum sit, vt literarum primarum auctores nonnullos sonos primarios ne-

glexerint. Ac primo non mirum est, *n* vtrumque vno tantum signo scriptum fuisse, cum neque Arabes atque Aethiopes, qui literarum Phoenissarum sonos subinde accuratius perceperunt atque significarunt, neque aliae gentes, vtut artium literarumque humanitate eruditi, ad hunc vsque diem istarum literarum in scribendo fecerint discrimen. Grauius est, quod Hebraei, si istas tantum literas primum habuissent, litera *r* caruissent. Sed tenendum, istum sonum difficillime enunciari adeo, vt non solum homines haud pauci sed gentes totae enunciare eum aut non aut parum valeant, quam ob rem a vero non abhorret, ignorasse Phoenicas eiusmodi consonam, vel, quod probabilius est, cum aliis coniunxisse signis. Cum enim Hebraei ne serius quidem sonum *f* singulari nota innuerint, imo ב et פ nunc *b* et *p* nunc *f* pronunciasse tradantur; minime absonum est, coniicere, ר primum litera ל apud eos significatum fuisse, praesertim cum vterque sonus, quod ex ortu eorum cognitum habemus, simillimo modo proferatur parumque a multis discernatur atque etiam ל et ר pari modo in formandis verbis tractata, velut literis quibusdam interposita iisque commutata, aut omissa aut sequentibus conformata sint, nec non ל pro ר tum in dialectis Armeniacis tum in libris Hebraicis adhibitum exstet. 39) Ex

39) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 140. 2. p. 129. b. Ej. Handwoerterb. p. 1025. p. 513. b. Difficile *l* et *r* a multis

eo etiam cognoscitur, Hebraeos *r* illud e gutture natum aut ignorasse, aut mature iamiam in vulgare *r* loquendo mutasse. Etiamsi vero istae gentes *r* veli palatini ope profecerint atque antiquissimis iamiam temporibus in vsu habuerint; hoc saltem non repugnat, initio istum sonum litera quadam gutturali satis propinqua significatum fuisse. Iam vero hoc etiam offensionis aliquid habet, quod litera *sch* significans initio abfuisse videatur. Sed cum ש, quo tempore in scribendo adhibitum est, vnius tantum soni signum fuisse admodum probabile sit, atque ס et ש haud raro inter se commutata exstent; a vero non abhorret, praesertim cum *sch*, quod ipsum שׁ subinde in שׂ mutatum testatur, ab Hebraeis secundum naturae humanae leges bis subinde in *s* conuerti potuerint, ס initio *sch* valuisse. Huc spectat, quod Arabes etiam pro שׂ haud raro ش habent. 40) Quod attinet ז, inprimis respiciendus est Aethiopum, vetustissimorum fortasse huius rei testium, vsus atque literae ዘ sonus. Praeterea admodum cautione opes est in ea re diiudicanda. Quod enim ad genuinam istarum literarum potestatem constituendam argumenta ex vsu Syrorum atque Ara-

---

distingui, eius rei nouum exemplum exhibet Hall. Lit. Zeit. a. 1823. St. 135. p. 210. s.

40) Cf. Jahn Element. Ar. ling. ed. Oberl. p. 13. coll. Danz. lit. hebr. chald. p. 30. ss. Wahl. Allgem. Gesch. der morgenl. Sp. p. 492.

bum, qui nunc sunt, petuntur, sponte intelligitur, diuersissima tempora componi, quod, cum alias factum sit, tam varias tamque miras, vt hoc vtamur, de pronunciatione Graeca progenuit sententias. Denique non est, quod mireris, sonorum nonnullorum duas formas primum notatas fuisse, cum *d* et *t*, *g* et *k* aeque facile atque *s* et *sch* fere auditu vel tactu distingui possint. In qua quidem re, quamquam minime concedi potest, alia Semitarum fuisse ad loquendum instrumenta quam gentium reliquarum, admodum probabile est, literarum auctores popularium etiam consuetudinem atque vitae vsum respexisse. Hebraeos autem, quod tertio loco commemorandum est, quindecim tantum literas initio habuisse, e loco Irenaei etiam probari posse videtur.[41] Videamus ante omnia, quae verba ista suspecta atque incerta reddere videantur. Ac primum quidem negari nequit, eo po-

41) Cf. Hug. Erfindung der Buchstabenshrift. Vlm. 1801. p. 16. ss. Locus est in Lib. II. c. 24. (ed. Massuet. Paris. 1710. p. 150.) vbi haec leguntur: „Per omnia autem Hebraeorum literae non conueniunt cum numero Graecorum, quae maxime deberent, antiquiores et firmiores existentes, saluare supputationem eorum. Ipsae enim antiquae et primae Hebraeorum literae sacerdotales nuncupatae *decem quidem* (lege. quindecim = *δεκαπεντε* pro *δεκαμεντε*) sunt numero, scribuntur autem quoque per quindecim, nouissima litera copulata primae. Et ideo quaedam secundum subsequentiam scribunt sicuti et nos; quaedam autem retrorsum a dextra parte in sinistram retorquentes literas.“ Quae verba huc spectantia ita sese habuisse Graece coniecit S. V. Hug. *τα παλαια και πρωτα Ἑβραιων γραμματα,*

tissimum illius loci auctoritatem infringi, quod translatio tantum Latina superest fortasse corrupta. Sed obseruandum, verba Latina Graecis substituta non solum isto in loco, sed etiam per totum librum adeo premere textum Graecum, vt verbum verbo respondeat neque vix arte potuerit Latinus sermo Graecae loquendi consuetudini adeo conformari. Grauius est, quod secundum verba Latina decem tantummodo literae primariae Hebraeorum fuisse videantur. Sed tenendum est, — nolumus enim repetere id, quod Hug accurate demonstrauit, facillime potuisse aut a librario π in μ mutari aut a Latino homine vtramque literam legendo confundi — tenendum est, inquam, Irenaei sententiam verbis: *scribuntur autem quoque per quindecim*, claram atque luculentam subesse. Praeterea etiam pro: *decem quidem* vertendum fuisse: quindecim, ex eo cognoscitur, quod illud: *quidem* non excipitur a *sed*, imo a verbo *quoque* (*και*), quo addito sententiam priorem non refelli sed repeti atque confirmari clarum est. Ex his itaque cognoscitur, duplex eiusdem rei testimonium istis verbis subesse. Attamen mirari subit, Irenaeum hoc loco tradere, quae dudum ante ista tempora obtinuisse necesse est. Sed cum vir iste satis eruditus atque literatus

---

ἱερα καλουμενα δεκαπεντε εἰσι τῃ ἀριθμησει, γραφονται δε και δια πεντε και δεκα το ἐσχαιον γραμμα συνεζευγμενον πρωτῳ. κ. τ. λ.

in Asia, prima literarum sede, versatus sit, non repugnat, ibi eum cum alia, quae antiquitatis cognitionem attinent, tum ista etiam explorasse atque inuestigasse. Praeterea cum illud, quod Irenaeus addit, primas siue antiquas Hebraeorum literas pro numeris adhibitas atque pro sonorum signis omnes ac singulas scriptas esse et *βουστροφηδον* quidem, historia atque rei natura confirmetur; vix est, quod dubitemus, Irenaeum accurate etiam nouisse, quot literae Hebraeis siue Phoenicibus primum vsitatae fuerint. Quas quidem ob caussas, si non alia, quo minus assentiri possimus, obstiterint, vix ausim, loci illius auctoritati prorsus denegare fidem. — His iam, quae requirebantur, praemissis, videamus, quomodo veteres Sc. S. interpretes literas Graecorum consonantes pronunciauerint. In qua quidem disputatione ita versabimur, vt literarum Graecis respondentium pronunciatio, quae nunc obtinet, atque singularis literarum vsus loco Graecarum imprimis respiciatur. Cum enim inter consonas istis gentibus vsitatas certus idemque communis ordo, quae ex vsu istarum literarum pro numeris patet, reperiatur; absonum foret, multis exemplis demonstrare, Graecos pro literis Hebraicis aeque atque reliquos interpretes pro Graecis eas prorsus consonas scripsisse, quae pro ordine communi requirerentur. Quam ob rem ea maxime verba afferenda videntur, in quibus reddendis interpretes singuli singularibus sonis vsi sunt.

§. 8.

Litera *β*, quae nunc a Graecis *w* siue *v* Italorum et Gallorum constanter pronunciatur, [42]) adhibita extat pro ב Hebraeorum atque reddita literis ܒ, Ⲃ, በ, ب, B, ꞵ, b, quae quidem, exceptis Aethiopibus, numerum secundum significant. Pronuncianda autem sunt e Grammaticorum plurimorum sententia ב et ܒ vti *f* atque בּ et ܒ̇ siue ב vnacum Dagesch leni et forti etiam, ܒ vnacum Kuschoi (Ps. 25, 7.) vti *b* verbi *Dieb.* [43]) Monendum tamen est, Syrorum Kuschoi plerumque negligi. Arabum ب prorsus nunc *b* descriptum illud valere traditur aeque atque በ Aethiopum. [44]) Profitetur tamen ipse Ludolfus (l. c. p. 5, 2. d.), valorem literarum in peruetusta literatura pro verborum flexione passim mutari potuisse. Gothorum B quod attinet, omni ex numero respondet, si maiorum verba a nostratibus seruata respiciantur, Germanorum *b*, quod nunc *b* nunc *w* sonat. [45]) Coptorum Ⲃ nunc profertur vti *b*, vti

42) Cf. Ioh. Ad. Erd. Schmidt Neugriech. Gramm. Leipz. 1808. p. 2. § 2. Velasti Dissertatio de lit. Gr. pron. Prag. 1770. p. 9.

43) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 15. p. 92. s. Casp. Waser. Tigurin. instit. ling. Syr. p. 4. Oberleit. Elem. ling. Aram. p. 18. al.

44) Cf. Rosenmülleri Instit. Arab. p. 13, 2. Ludolfi Gramm. Aethiop. p. 2. et 6, 7. Gesen. Versuch. üb. d. Maltes. Sp. p. 2.

45) Huius generis sunt: bloma (Blume) haban (haben).

w autem inter duas vocales positum[46] atque Armeniorum բ constanster *b* duriusculum siue *p* molle.[47] Latinum denique *b* ab Italis et Gallis nec non Germanis superioribus *b*, in Saxonia passim *w*, inter vocales autem constitutum plerumque *w* pronunciatur. Mirus sane est eiusdem literae apud diuersas gentes sonus, adeo vt triplicem inde Graecorum *β* tribuere possis potestatem. Videamus ante omnia verba singulari eius consonae vsu conspicua. Graeci scilicet interpretes *β* passim loco ו scripsernnt, nec non *ψ* pro בש atque *μ*, *π*, *μβ* pro ב Hebraeorum,[48] ex quibus cognoscitur, בּ Hebraeorum vere *b* sonuisse atque Graecos tunc temporis litera, *β*, quam nunc constanter *w* pronunciant, sonum *b* tribuisse. Negari tamen nequit, *β* certis quibusdam in locis, quod statim videbimus, *w* valuisse. Praeterea minime silentio praetereundum est, a Graecis ב, quod *f* sonuisse dicunt, atque בּ, cui sonum b et bb tribuut, constanter iisdem literis reddi. Arabes quod attinet, litera ب non solum *β* sed etiam *π* aeque atque Aethio-

---

46) Cf. Scholz Gramm. Aegypt. ed. Woide p. 4. § 8.

47) Cf. Schroederi Thesaur. Gramm. p. 7. 2. Agob. Gramm. Lat. p. 4. Grammat. Armen. p. 160.

48) Vti *Δαβιδ* = דַוִיד, *Βαϊσαθα* = וַיְזָתָא (Est. 9, 9.) al. al. apud LXX. *Ῥαψακης* = רַבְשָׁקֵה (2 Reg. 18, 17: 19.) רַבְסָרִיס = *Ῥαψαρης* (Ier. 39, 3.) al. *Ἰαμνεια* = יַבְנֶה (Ioseph) *Λεμνα* = לִבְנָה (Ios. 21, 13.) *Σαμβυκη* = שַׂבְּכָא (Dan. 3, 5. 7.) *ὕσσωπος* = אֵזוֹב = ܙܘܦܐ.

pes ፐ sonum etiam *p* significarunt,[49] quod illud quidem confirmat, π et β non origine orisque habitu sed spiritus ratione et grauitate diuersa tunc temporis fuisse. De Gothis memorandum est, B ab iis haud raro in P et F mutari verbis contractis et contra.[50] Porro obseruandum, պ et բ siue p et b a Caesariensibus pari fere modo pronunciari atque passim inter se commutari.[51] Coptos quod attinet, adhibitum ab ab iis exstat Ⲃ pro *v* Graecorum ante vocales posito atque commutatum cum Ⲡ, nec non ϥ (*f*) pro β scriptum.[52] Hoc loco denique commemorandum est, Latinorum *b* et *v* atque Graecorum β, π et φ saepe numero inter se commutata fuisse.[53] Quamuis vero difficillimum sit,

---

49) Exemplo sit بُولُص = *Παυλος* بُطْرُس = *Πετρος* ቢሸጠወረሸ = *πιςαυρος* (Copt.)

50) Quod accidit verbis giban (dare) gaf (dedit); hlaibs (panis) hlaif (panem) twalif (duodecim nominat) twalibin (dativ.); graban (fodere) grof (fodit); biwaibjan (circumvolucre) coll. waips, wipja (sertum, corona).

51) Cf. Schroeder Thesaur. p. 304; vti պէս = բէս.

52) ⲒⲰⲂⲀⲚ = *Ἰωυαν* (Gen. 10, 2) coll. *δαυιδ* = *Δαβιδ* (Act. 2, 25. al.) ϥⲣⲟⲩⲭⲟⲥ = *βρουχος* (Nahum 2, 16) ϣⲉⲃϣⲱⲃ = ϣⲉⲡϣⲱⲡ (Ps. XIV, 1; 5.) al.

53) Cf. Lipsius: Antiq. Lect. L. 2. vti prouincia = probincia, vniuersus = vnibersus, al. venemerenti = benemerenti, placabilis = placauilis. *Βατειν* = *πατειν*,

quod sponte intelligitur, certum hac de re constituere, videamus tamen, quid ex iis, quae iam allata sunt, efficiatur. Ac primo tenendum est, secundum ea, quae praemisimus, *b*, *w*, *f* eo prorsus ordine inter se affines stare, quo sese deinceps excipiunt. Deinde accurate respiciatur necesse est, quonam loco quasque inter literas constitum sit *b*, quas denique mutationes in vitae consuetudine sonus iste subire soleat. Triplici autem in loco adhibetur sonus *b*, ita scilicet, vt aut inchoet vocabula, aut terminet, aut denique mediis vocalibus et consonis intersit. Potest autem *b* duplici modo et in fine et in fronte verborum adhiberi, ita scilicet, vt sequatur *b* initiale aut vocalis aut consona, atque praecedat *b* finale aut vocalis aut consona. Porro *b* duobus sonis vnam syllabam efficientibus comprehensum ita cum literis ab vtraque positis coniungi potest, vt aut inter duas consonas medium sit, aut excipiat vocalem sequente consona, aut consonam sequente vocali. His quidem in locis omnibus *b*, si plurimarum linguarum vsus respicitur, parem sonum et obtinet et retinet. 54) Excipienda tamen sunt nomina nonnulla a *b*, sequente vocali quadam, incipientia, in quibus

---

βικρον = *πικρον*, *Βιλιππον* = *Φιλιππον*, *Βαλακρον* = *Φαλακρον*. al. apud Scapulam videantur.

54) Exempla sunt verba Anglica, Francogallica, Itala atque Germana *bréad*, *breit*, *brullant*, *sèmbra*; *bórgain*, *bieten*, *bon*, *buono*; *hérb*, *derb*, *lieb* et sic in rel.

b sonum *w* passim subire obseruatur. Longe aliter vero se habet *b* inter duas vocales pronunciandum, quo in loco pro *b* sponte quasi oritur *w*. 55) Excipienda tamen sunt rursus ea verba, quae a *b* incipientia casu et flexione, quae dicitur, in fronte creuerunt ita, vt vocalis aut consona vnacum vocali praefixa sit. 56) Quamuis vero ista soni *b* mutatio atque variatio e vita vulgari orta atque corrupta dici possit pronunciatio; videtur tamen certis naturae humanae legibus niti omnique orationi communis esse. Cum enim sonus *w* spiritum vocemque pro natura sua supprimere nequeat, imo constanter sonum vocali similem quendam post se habeat, si vocales praecedentes terminet; inde fit, vt *w* in fine verborum atque ante consonas ad eandem syllabam trahendum, quibus in locis partim, ne verba cum verbis confundantur, vocis otium quoddam requiritur, partim, ne vocalis superuacanea inseratur, spiritus paullulum supprimendus est, necessario quasi aut ad *b* vel *f* natura simile, aut ad *u* abeat. Hinc illud explicandum est, quod *w*, suppressis vocalibus sequentibus, sonet *b* in verbis *gab* (*gewen*) *betrübt* (*betrüwen*) atque *u* in *Frau*, *getreu* pro *Frawe*, *getrüwe*, nisi si vocalis illa consonae *w* adhaerens addatur, velut *betrüwet*; hinc etiam,

---

55) Vti *àbbatess*, *geben* (*gieb*) *lieben* (*lieb*) Gall. *habit*, Ital. *ébbi*, *abbiàmo* et s. p.

56) Exempli gratia bitten, gebeten; borgen, geborgt.

quod nulla fere lingua verba a *w* sonante vnacum consona quadam incipientia habet, quo loco varii generis vocales recte interpositae cernuntur. Contra cum *b* inter duas vocales non nisi ita pronunciari possit, vt labia vocalibus proferendis iusto longius dilatata protinus occludantur; inde fit, vt *b* isto in loco abeat sponte quasi aut ad *p* aut, quod facilius accidit, ad *w* labiis parum comprimendis. Vtut sit, hoc saltem iam clarum est, cautione opus esse in constituendo literae *β* apud Graecos sono genuino, neque ex vsu istius consonae inter duas vocales conspicuo, quo facto grauissimi isti orti sunt errores, de vniuersa eius potestate iudicandum esse. Videamus ergo de singulis. Ac primo Graecos S. S. interpretes quod attinet, luce clarius est, *β* ab iis plerumque *b* pronunciatum fuisse. Cum enim ב ante consonas atque in fronte et fine verborum saepe numero cum פ literisque idem valentibus apud reliquas gentes Semiticas permutatum atque a Latinis et Graecis non solum *b* et *β* sed etiam p et *π* atque, sequentibus שׁ, ס, ז, *ψ* (bs, ps) redditum sit; [57] non dubium est, quin *β*, cum ב valens *w* nullo pacto cum istis literis confundi potuerit, tunc temporis *b* sonuerit. Attamen negari nequit *β*

57) Cf. Gesen. Woerterb. s. h. l. Exempla sunto. בהם עליון = *Πυγμαλιων* אזוב = *ὕσσοπος* יתרב Iatrippa רב סריס = *Ῥαψαρης* (Ier. 39, 3.) מבצר = *Μαψαρ* (2 Sam. 24, 7.) pl. vid. supr.

inter duas vocales vti *w* pronunciatum fuisse, cum *β* atque *v* isto in loco permultis in verbis, quod antea demonstrauimus, promiscue adhibita exstent. Ob eam causam admodum probabile est *β* et *ββ* etiam, vbi respondent Hebraeorum ב et בּ duabus vocalibus ab vtraque cinctis, parem sonum habuisse, praesertim cum ב isto in loco ab Armeniis non բ (b) sed ւ (w) scriptum atque cum ו commutatum exstet. [58]) Iam vero quaeritur, an *β* sonum etiam *f* habuerit, cum ב ea potestate fuisse tradatur. Ad eam rem probandam prouocari possit ad Macedonum vsum, qui *β* pro *φ* adhibuerunt. Sed hac quidem scriptura, quae e dialectorum diversitate orta videtur, id potius confirmatur, *β* initiale vocales praecedens passim vti aliis in linguis *w* sonuisse. [59]) Cum vero ב constanter fere a Graecis *β*, minime autem *φ*, quae litera pro ב, si valuisset *f*, rectius adhibenda fuisset, a Latinis *b*, ab Armeniis բ et ւ atque a reliquis Semitarum gentibus literis solitis nunc b valentibus scriptum sit; admodum probabile est, *β* aeque atque ב aut nusquam aut paucissimis in locis *f* sonuisse. Quae vero in Hebraeorum ב

---

58) Exempla sunto עֲרָבוֹת = arawot חבל = Թաւալել (circumnotare), cui affine est Chald. חוּבְלִיָא (funis), vnde חֲבֵל deriuandum videtur. Excip. schabath = שַׁבָּת, e. g. pl.

59) Huc spectant verba ܒܝܛܠܝܢܘܣ = Vitalianus *Βαϊσαθα* = וִיוָתָא rel.

cadunt, ea etiam, cum Semitarum literae parem fontem et originem habeant, ad ب, ܒ, ብ, quibus β redditum est, pertineant necesse est. Praeterea obseruandum, Armenios istas literas eodem modo pronunciasse, Aethiopes litera ወ (*w*) Coptorum β inter duas vocales positum, ብ et β et π, atque Arabes ب Graecorum et β et π reddidisse.[60] Coptos quod attinet, non dubium est, quin β Graecorum pari modo pronunciauerint, cum β Copticum atque π sexcentis in verbis promissue adhibitum sit, atque β Graecorum inter duas vocales pronunciandum passim *v* consona redditum. Porro cum Latini β siue vocales siue consonas praecedens eadem litera, qua Hebraeorum ב significarunt, reddiderint; inde sequitur, β eos pari, atque dictum est ratione pronunciasse. Praeterea ex eo, quod *b* haud paucis in verbis inter duas vócales medium cum *v* (*w*) et contra commutatum fuit, ex eo inquam clarum est, b istis in locis Latinis etiam pro *w* valuisse. Deinde cum Armenii literas բ et պ = π, vti vidimus, passim promiscue scripserint, atque etiam ad sonos ב

60) Vti רבוני = rabun. بر = ber. بازي = baze. ብንዮት = πενιοτ ናናወል = *ναvεβολ* rel. supra commemorata. Praeterea Syros β inter duas voces *w* pronunciasse, ex vsu literae ܘ pro β cognoscitur. E. c. ܛܒܐܠܝܘܣ = *Ταβελλιος* (Vulg. Sabellius Esdr. 2, 16. coll. ܢܒܛܝܐ = *Ναvαταιοι* 1 Mac. 9, 35.)

et ب significandos adhibuerint; [61]) non est, quod dubitemus, quin β vti *b* ab iis pronunciatum sit. Attamen cum ב, vbi sonaret *w*, litera ւ scriptum sit, β autem vbique բ; suspicari aliquis possit, Armenios β vbique vti *b* enunciasse. Sed tenendum est, verba extera illa non de scriptis, sed de vita et vsu in Armeniam delata esse atque interpretes, si sonus *b* cum *w* parem vicem in patria eorum lingua ageret, Graecam scribendi consuetudinem optime retinere potuisse. Gothos denique quod attinet, eorum b, quod scriptum est pro β, sexcentis in verbis nunc eundem sonum obtinet, neque dubium est, quin tunc etiam b inter vocales *w* sonuerit, cum isto in loco, vbi *b* siue *w* illud ob literas reiectas vltimum locum capit, in *f* sono *w* proximum mutetur. [62]) Quamuis vero admodum credibile sit, hanc talem duplicem scilicet literae β pronunciationem non in omnibus verbis Graecis parem tunc temporis obtinuisse; tamen non est, quod dubitemus, quin primarius literae β, quae hodie *w* profertur, sonus initio b fuerit. Ita enim concludendum est. Quum Armenii, Gothi, Copti, Latini literas a Graecis petierint, oportuit eos literarum Graecarum, quas suas

---

61) Praeter ca, quae qupra laudauimus, huc spectant עב = ամպ, كرباس = կերպաս.

62) Exemplo sit: balsam, bindan; *graban, grof.* coll. *skapan* (crcare) *gaskaft* (crcatio) c. g. p.

fecerunt, sonum certe primarium respicere atque seruare. Iam vero cum ꞵ, B, 𐌱 et b, quod ex superioribus constat, nisi vbique, certe plurimis in locis *b* valeant atque valuerint; sequitur, eo tempore, quo ista signa loco *β* et numero adhibita sunt, Graecorum *β* non *w* sed *b* sonuisse. Porro cum Hebraeorum, Arabum et Syrorum litera secunda communi e fonte oriunda sonum *b* habuerit genuinum, Graecorum autem *β* inde petitum et pari etiam in loco constitutum sit; clarum est, *β*, etiamsi inter duas vocales *w* valeret, ab initio scripturae Graecae ad sonum *b* significandum fuisse adhibitum.

Graecorum *γ*, quod hodie ante vocales *e* et *i* iisque proximas pronunciatur fere *j* siue *g* et *ch* verborum *ja*, *legen*, *riechen*, ante *a*, *o*, *u* atque consonas = *ch* vel *g* verborum *ragen*, *sū-chen*, respondet literis ג, ج, G, Γ, ꝗ numerum tertium significantibus atque 𐌲 et g Latinorum. Sonant autem ג e Grammaticorum sententia, vbi Dagesch habet (גּ), *g* siue *k* lene, alias *g* verborum *sagen*, *wegen*. Cum vero גּ reperiatur initio versuum atque, exceptis excipiendis, verborum, nec non post omnis generis consonas, contra ג inter duas vocales; inde cognoscitur, literae ג sonum primarium esse *g* (verbi *Gott*) siue *k*, secundarium *g* (verbi *siegen*) siue *ch*.[63] Hanc vero pronunciationis varie-

65) Secundum grammaticorum sententiam גּ in fine verborum, cum Dagesch lene non habet, vti *ch* pronun-

tatem antiquissimis iamiam temporibus obtinuisse, eo cognoscitur, quod ג inter duas vocales pronunciandum cum literis כ, ע, ع, غ (gh) reliquis autem in locis cum כּ, ק, ق, ܩ commutatum exstat.[64] Iam vero si recte se habet, de quo dubitari vix potest, Graecos literarum Hebraicarum sonos primarios edoctos fuisse; cogitur, *γ*, cum vtroque in loco, scilicet pro ג et גּ adhibitum sit, non solum interpretum aetate sed etiam inde a Graecarum literum vsu inter duas vocales *gh* siue *ch* reliquis autem in locis *g*

---

ciandum est. Cum vero puncta in vltimis nominum literis a Tiberiensibus plerumque neglecta sint, nec nisi in genere quidem iis in locis adhibita, in quibus ambiguitas quaedam obuersarctur, cumque illud ג saepissime numero a Graecis *κ* (*Δωεκ* = דואֵג 1 San. 21, 8. pl. Simon. Onom. p. 693) scriptum atque cum literis כ, ק, פ, ق, commutatum sit, admodum probabile est, ג finale etiam non ch sed k lene valuisse. Praeterea גּ etiam inter duas vocales non *kk* sed *chch* sonuisse verissimillum est. Cum enim ג isto in loco sonet g (ch) atque ו, י, nec non *g* illud plurimis in linguis, etiamsi geminentur, legitimam potestatem retineant, vix iusta adest aussa, גּ istis in locis protinus in *k* mutandi. Obest quidem huic sententiae Syrorum vsus; sed cum Syrorum lingua alias sonos literarum duriusculos praetulerint, ea res minoris momenti videtur. Praeterea tenendum, Arabum Teschdid (ّ) nihil mutare literae, cui inscriptum est, sonum genuinum. Idem in literas בּ et כּ pari in loco constitutas cadere videtur. Huc pertinet, quod כּ etiam a Graecis alias *κ* scriptum inter duas vocales *κχ* et *χ* pronunciatum fuit. Id quidem nunc pluribus demonstrare iure mittimus.

64) Cf. Gesen. Woerterb. p. 129. coll. p. 424.

siue *k* lene sonuisse. Eadem vero soni *g* diuersitas, qua litera b etiam, vti vidimus, insignis est, eo confirmatur, quod g in pluribus linguis inter duas vocales, nisi mutetur in *k* siue *g* durius aut duplicetur, parem vicem agit [65]. Attamen haud pauca nunc exstant verba istis legibus neutiquam subiecta, cuius rei haec est ratio. Inter sonos literae *g* vel *k* maxime affines referendum est *ch* (verbi *ach*), quippe quod inde oritur, si posterior oris aditus parum accurate occludatur. Cum vero illud *ch* atque g (*k*) cum vocalibus anteriori in oris parte natis, quibus propinquior est *ch* (verbi *ich*), haud commode, vti vidimus, coniungi nec nisi ita iis praemitti possit, vt lingua protinus porrigatur; inde fit, vt *g* ante vocales *i e ü ö ä* facillime non ad *ch* tertio loco, sed *ch* secundo illud in tabula constitutum, hinc ad *tch*, *tsch* etc. abeat. Porro cum *g* ortu proximum sit vocalibus *u o å a* atque soni ad anteriorem oris partem pertinentes ne possint quidem, nisi si vocalis *a*, aut alia quaedam apta inseratur [66], cum *ch* illo, *g* proximo, praemissae

65) Exempla sunto: *lag*, *liegen*; *mag*, *mögen*; *big*, *bigger*, *long lónger*; *θρὶξ τριχος* aliaque sexcenta. Attamen in his etiam mira passim est eorundem vocabulorum pronunciatio e. g. Sieg, quod alias *Siech* sonat.

66) Hinc factum est etiam, quod obiter monere liceat, vt ח, ע, ה Hebraeorum, vbi vocales precedunt alienas, Patach, quod furtiuum dicunt, subscriptum habeant, quo illud innuitur, *ch* gutturale quidem, neque vero *ch* illud verbi *ich* istis in locis proferendum esse.

coniungi; accidit, vt *g* ante *i e ä ü ö*, quamuis vocabula inchoans, facile ad *ch* siue *j* consonasque hinc affines abeat, ante *u o å a* autem genuinum sonum, etiamsi praecedant vocales, reseruet. Eas quidem ob causas aliasque similes admodum credibile est, sonum *g* non solum apud Hebraeos atque reliquas gentes Semiticas, sed etiam apud Graecos aliosque tunc temporis populos a legitima, quam diximus, ratione passim recessisse 67). Vtut sit, hoc certe negari nequit, *γ* illa aetate, siue i, e, siue *a*, o, *u* sequerentur, inter duas vocales *gh*, alias g siue *k* lene sonuisse, cum pro ג et גּ, cuius loco *κ*, vti alias factum est, neque vero *γ*, si non aequasset, adhiberi potuisset ac debuisset, vbique fere scriptum reperiatur. Praeterea sonum *g* literae *γ* primarium fuisse, ex eo etiam patet, quod *γ* et figuram et nomen literae גּ tulit. Cum enim literarum Hebraicarum auctores

---

67) Huc spectant verba *Γαζα*, *Γομοῤῥα*, *Γαϊ*, alia, quorum *γ* respondet ע Hebraeorum vocabula inchoanti. Cum enim ע (Abenesra etiam teste) sono ח, qui a Graecis plerumque *χ* scribitur (*Ραχηλ* = רָחֵל) simillimum sit; sequi videtur, *γ* sonuisse *ch* verborum etiam in fronte. Sed cum ח aeque atque ע alias *κ* scriptum sit (*Φασεκ* = פֶּסַח, *Θαψακον*, *Χαλακηνη*, *Ταβεκ*, *Μαλακα* = מְלָחֹח, *Καῤῥαι* = חָרָן, *Ἀρβοκ* אַרְבַּע Gen. 23, 2. coll. נֶפֶג = *Ναφεκ* al.) atque *ch* (exemplo sit ג, כ) in genere, quamuis inter duas vocales *ch* sonet, initio verborum plerumque *k* lene siue *g* valeat; id potius probari videtur, ע illud initiale passim *g* sonuisse. Quod vero *γ* constanter pro ע inter duas vocales atque ante consonas (*Ῥαγμα* = רעמה) adhibum est, eo id denuo confirmatur, *γ* istis in locis a Graecis *gh* pronunciatum fuisse.

id curauerint, vt literae singulae res quasdam pictas signifarent earumque nominibus appellarentur ita quidem, vt nomen quodque a sono inciperet, quem litera significaret, cumque nominis גְּמֶל (= *γιμελ*) litera ג (= *γ*) non solum a Tiberiensibus atque Aethiopibus, Syris aliisque, sed etiam a Graecis, qui, literis serius oblatis, scripserunt *καμηλος*, vti *k* pronuciatum sit; sequitur, cum Graeci huius literae et figuram et nomen receperint, *γ* ab initio pari modo atque ג siue *g* sonuisse. Quod denique *γγ* attinet, admodum difficile est iudicatu, vtrum interpretes Graeci *ng* vel *ngh* ea pronunciauerint, an *ghgh* vel *gg* [68]. Attamen cum interpretes scribendis nominibus istis literas Hebraicis prorsus respondentes iure adhibere debuerint, cumque *γγ* inter duas vocales *ghgh* pronuncianda facile a Graecis, iamiam commodum incommodo praeferentibus, vti *ngh* proferri potuerint; a vero certe non abhorret, *γγ* ita, vti postea obseruatnr, tunc temporis iamiam sonuisse. — Syri *γ* constanter litera ܓ reddiderunt, quae, cum ג Hebraeorum prorsus respondeat, istam *γ* pronunciatio-

68) Exstat quidem pro עֵין גֶּדִי scriptum *Ἐγγαδδι* Ezech. 47, 10. in edit. Complutens.; sed alias constanter (1 Sam. 24, 1. Cont. 1, 14.), quibus in locis edd. Rom., Compl., Altin., et Oxon., consentiunt, *Ἐνγαδδι* legitur. Reperitur etiam Ios. 15, 34. 19, 21. *Ἐγγαννιμ* = עין גנים, sed deest hoc vocabulum in editt. nonnullis. Praeterea ג inter duas vocales dagessatum constanter fere *γγ* redditum est. Exstat tamen *Ἀγκαδης* (*Ἀγκαδι?*) Ios. 15, 62.

nem confirmat. Ex eo autem, quod Syri *γγ*, *γκ* scripserunt ܢܓ, ܢܟ, patet, *γγ*, *γκ*, ab iis *ng*, *nk*, *nch* pronunciata fuisse [69]. — Quamquam Arabum ج (dsch) numero respondet et Hebraeorum ג et Graecorum *γ*; haud raro tamen, scilicet ante *α ο ω ου*, *γ* scripserunt غ (*gh* = 1000), ex quo cognoscitur, aut *γ* Graecorum aut ج Arabum genuinum sonum passim iamiam mutasse. [70]. Iam vero litera غ aeque atque ع constanter fere pro ע, nec raro pro sonis ח et כ (*ch*) ג (gh) adhibita est; vnde patet, *γ* istis in locis non *g* sed *ch* sonuisse [71].

69) Exemplo sit *ἀναγκη* = ܐܢܓܩܐ *ἐυαγγελιον* = ܐܘܢܓܠܝܘܢ. rel.

70) Occurrunt جِفَا = *Γαιφα* (Ps.) مُجَدَلِيَّتْ = *Μαγδαληνη* (Mt.) *Ναγγη* = نَجَّا (Luc.) eiusque generis alia, *Γεργεσηνοι*, *Γεδεων*, *Γεννεσρετ*, in puibus *γ* ج scriptum est. Alias *γ* constanter fere غ redditum est, vti *Γαμαλιηλ* = غامالييل. *Γαϊος* = غايُّوس *Αυγουσος* = أوغسطس (= Pers.) *Γαλλιων* = غالليونس (Act.) Praeterea obseruandum, Persas etiam *γ* initiale, quod vt Hebraicum Arabes ج scripserunt, passim ق et ک reddiderunt. Ex. g. *Γεννησαρετ* = قنسريت.

71) Exemplo sit עטה = غطا. Cf. Gesen. Woerterb. p. 129. 424. 811. Respondet quidem غ haud paucis in

Quod attinet غ, certo certius est, eam literam initio g hinc *gh* sonuisse. Cum enim ج Hebraeorum ג et Syrorum ܓ respondeat atque sonus *g* ita mutari soleat, vt primum ad *gh* hinc ad *dsch*, *sch*, quod Italorum, Anglorum, Gallorum et Germanorum *g* docet, abeat; non dubium est, quin ج, quod nunc passim *dsch* pronunciatur, antehac *gh*, primum autem *g* sonuerit. Quaeritur itaque, quam vim interpretum Arabicorum aetate ista litera habuerit. Hoc loco observandum ج in Aegypto, Malta aliisque in teris nunc constanter *g* enunciari 72), quam ob rem, cum hac regione interpretes isti vsi sint patria, γ alias *g* siue *k* lene sonuisse videtur. Attamen grauissima obsunt, quominus assentiamur. Primum enim consuetudini omnique

---

verbis literis כ et ק etiam; sed cum Arabes pro huius dialecti elegantionis et cultionis natura alias sonos raucos et duros in lenes et faciles subinde mutauerint, inde potius firmatur, غ sonum *gh* ex *g* et *k* ortum, genuinum habere.

72) Cf. Rosenmülleri Instit. Arab. p. 13. Gesenii Versuch über die Maltes. Sprache p. 2. Quamuis Herbinio aliisque vix auserim hac in re denegare fidem, velim tamen accuratius descriptum, vtrum ج in Aegypto aliisque in terris inter duas vocales positum aut certas quasdam praecedens vocales eundem sonum retineat, nec ne. Neque illud obiecerim, sono literae ج signo *g* innuendo id actum esse, vt, ج non *dsch*, sed *g* et durius et lenius (*gh*) ibi sonare, indicaretur.

orationis naturae repugnat, literam *g* ante *a*, *o*, *u* mutare, quam retineat ante *e*, *i*, vim genuinam, cum contrarium sit apud plurimas gentes. Quam ob rem, cum *γ* ante *a o u* ab Arabibus ch pronunciatum sit, admodum vel ob eam causam probabile est, quoniam *g* ante *e*, *i* primum mutari possit ac debeat, *γ* ante reliquas etiam vocales *ch* siue *gh* sonuisse. Deinde cum pro literarum affinitate *g* non possit commode sonum *dsch*, *sch* adipisci, nisi antea sonum *gh* tenuerit; necesse est, ج antehac *gh* pronunciatum sit. Id quidem obtinuisse videtur, quo tempero Arabes finitimas terras expupnare coeperunt, quoniam vocabula huius generis Arabica ab ea inde aetate ab Armeniis recepta haud raro ղ (gh) խ (ch), atque in fine et fronte verborum passim գ (g) pro ج et خ habent. Iam vero cum ea fere aetate S. Sc. in Arabicam linguam translata sit, sequitur Arabes illo quidem tempore literam *γ*, quam ante vocales *e i* ج, ante *a o u* غ plerumque scripserunt, eo prorsus modo pronunciasse, quo nunc fit in Graecia [73]. — Copti *γ* Graecorum constanter fere Γ scripserunt, quod numero isti literae respondet indeque petitum

73) Praeterea Arabes *γγ* pronunciasse *ngh* e verbis إِنْجِيلُ et إِنْجِيلِيٌّ cognoscitur.

est[74]. Obseruandum tamen, Memphitas Ⲅ paucissimis verbis exceptis, non nisi in vocibus peregrinis adhibere. Cum vero apud Coptos Ⲅ et Ⲕ (κ) haud raro promiscue adhibitum sit atque a Memphitis κ Graecorum saepenumero litera Ⲅ redditum[75]; clarum est hoc certe, Coptos signo Ⲅ sonum *k* vel *g* tribuisse, atque γ, cui respondet Ⲅ, primarium sonum *g* illo tem-

---

74) Negant quidem La Croze et Iablonski, Ⲅ primis Coptorum literis adnumerandum esse, quas Plutarch. (de Isid. et Osir. p. 374.) XXV numero fuisse tradit. Cum enim XXXIII literae apud Coptos nunc reperiantur, abfuisse dicunt intio VI, quibus Ⲅ (*Γαμμα*) et Ⲇ (*Δελτα*) etiam adnumerant. Sed cum ista signa et nomen et figuram habeant Graecorum, parem locum obtinentium, vix est, quod dubitemus, has literas inter primarias Coptorum atque antiquas fuisse. Quam ob rem literae Ϣ, Ϧ, Ϩ, Ϫ, Ϭ, Ϯ, excipientes Ⲱ (ω), quae neque nomen neque formam habent Graecarum, accessorias dixerim, quo facto restant literae XXVII. Iam vero reperiuntur etiam Ⲋ (= 6) et Ϥ (= 90), quae quidem, cum a Graeca scriptura aliena fuerint, Coptis etiam serius vsitata videntur. Restant itaque literae Coptorum XXV, quas Plutarchus haud dubie vt veteres intelligit.

75) Exempla sunto Memphitarum *αγω* (pernicies), quod alias *ακω*, alias *αγω* scribitur, Sahitarum *αν̄κ̄* = *ανγ*, ⲚⲄⲒϤⲒ = ⲚⲔⲒϤⲒ eiusq; g. p. E verbis Memphiticis Ⲅ loco κ Graecorum habentia sunt: *ν̀ρωμι ν̀γρητη* = *Κρητας* (Ezech. 25, 16.) ϮⲄⲀⲘⲠⲒ = *καμπη*, *νιφαρμαγος* = *φαρμακοι*.

pore tenuisse. Idem cognoscitur ex eo, quod *γ* Graecorum haud raro כ significatum exstat [76]). — Cum Aethiopum ገ, qua litera *γ* vbique fere scripta est, ante omnis generis vocales nunc sonet *g* siue *k* lene atque locum ג et *κ* etiam Graecorum passim obtineat [77]); hoc saltem certum est, interpretes Aethiopicos, *γ* pari, ac dictum est, modo pronunciasse. Attamen, cum *g*, sponte quasi inter duas vocales ad *gh* abeat atque ገ etiam loco ג et ج reperiatur [78]), haud dubito, quin ገ eum etiam sonum alias obtinuerit. Praeterea *γγ* ab Aethiopibus *ng* pronunciatum fuisse, e plurimis verbis cognoscitur [79]). — Armenios quod attinet, litera eorum գ, pro *γ* constanter adhibita, lenius nunc sonat, quam կ = k, instar Hebraeorum ג, quam vim vbique sibi seruare traditur [80]). Cum

---

76) Vti in verbis obseruatur: *αστιακης* = *Ἀστυαγης*, *ὑουακροσθεν* = *ἀγρωστις*, *ουκλυπτον* = *γλυπτον*, al.

77) Cf. Ludolf. Gramm. Aethiop. Lib. 1. C. 3. p. 7. አፍሪግ = *Ἀφρικη*, ገመል = גּמל, גּבא, גּבר, גּדר aliaque plurima, quae Aethiopibus vsitata iisdem literis scribuntur.

78) E. c. ረገጸ coll. רגף, رجف; ዮጉጸ = نغش (ܢܓܫ) ገነት = جَنَّة.

79) Huius generis sunt ስፍንግ = *σφογγος* ወንጌል = *εὐαγγελιον*.

80) Cf. Schroeder. Thesaur. Gramm. p. 7. coll. Agop. Gramm. Armen. p. 160.

vero գ antiquitus non tantum ad sonum ג, ܓ, گ, sed etiam ad ג inter duas vocales medium, quod ad auditum factum sit necesse est, atque ad ج et χ innuendum adhibitum sit [81]; admodum probabile est, Armenios etiam γ Graecorum duplici isto modo enunciasse. Praeterea γ ante γ κ χ ξ ab Armeniis interpretibus vti *n* pronunciatum fuisse, e verbis nonnullis satis clarum est [82]. — Gothorum G, quo Vlfilas pro γ vsus est, vix dubium est, quin plurimis in locis *g*, inter duas autem vocales, vti dictum est, *gh* valuerit, cum sexcenta verba et aliarum et harum etiam literarum potestatem apud Germanos, Anglos aliosque populos ad hunc vsque diem seruauerint [83]. Eo certe, quod G inter duas vocales, si vocalis, subsequens G, eiicitur atque consona accedit, apud Gothos in H (*gh* vel *ch*), ne ad sonum *g* redeat, mutatur [84], probari videtur,

81) Huc spectant: գղաւթ = גוה collat. גורוה = koriun մանգաղ = מגל thag = תגא thorgmanel = ܬܪܓܡܢ coll. korkord = ܓܪܓܪ angam = ܚܢܟܡ patriarg = πατριαρχης.

82) Exempla sunto: Falang = φαλαγξ նանգեայն (nangeain) = του Ναγγαι, in quo quidem verbo, cum illud γγ nonnisi ad ג geminatum (ghgh) innuendum adhibita sint, obseruare licet aut ignorantiam aut nimiam interpretum religionem.

83) Exempla nominemus: goths, guths gasts, giban, gibla (Giebel) gros, graban. gulth; ligan, magath, raginon (regiren) liugan (lügen).

84) Vti accidit in verbis: ogan, ohta; aigan, aihta; magan, mahta; alq; pl.

istam G pronunciationem genuinam esse. Huc facit, quod K etiam, qui sonus pro orationis humanae natura, si lenius proferatur, ad *gh* abit accedente vocali, in G mutatur, pro qua quidem litera, si non *gh* isto in loco valuerit, I (j) aut X (*ch*) ad hibendum fuisset [85]. Quas ob causas, cum iste literae G vsus a Graecis petitus sit, sequitur, *γ* parem apud Graecos habuisse potestatem. Cum vero Vlfilas Graecorum scribendi consuetudinem adeo secutus sit, vt non solum literas eorum vtiles omnes ac singulas récipere, pro quibus iis tantum in locis alienas adhibuit (velut *w* pro *ὐ ψιλῷ*, *j* pro *ἰωτα*, vbi vocales praecedentes correptae consonantium naturum subirent) in quibus Graeci emendandi aut corrigendi videbantur; adeo, inquam, vt non solum literam litera redderet, sed etiam compositarum *ει*, *αι* suum vsum faceret; non mirum est, seruatam etiam ab eo fuisse literarum *γγ* potestatem, quas *ng* pronunciasse facile existimatur [86]. — Latinos denique quod attinet, litera *g*, quae constanter pro *γ* ab interpretibus adhibita est, pro Hebraeorum et ג et ג ab Hieronymo scripta reperitur, ex quo cognoscitur, cum *g*, si non plane respondisset istis sonis,

---

85) Exempla apponamns;' 'reiks (leg. rīks) = rex (regs) coll. raginon (regere, regiien); Falek = *φαλεκ* Gen. Falegis.

86) Laudare sufficiat nomina: laggs (lang) coll. aggilus (*ἀγγελος*) figger (Finger) briggen, gagg (Gang, Gasse) tuggo (Anglor. *tongue*).

alii literae cedere debuisset, Graecorum *γ* illam vtriusque soni potestatem, quam diximus, adhuc tenuisse. Praeterea *g* antiquissimis temporibus *k* lene sonuisse atque inter duas vocales *gh*, eo etiam confirmatur, quod *g* loco *κ* Graecorum adhibitum fuit atque pro *k* sponte inter duas vocales passim in *gh* sese conuertente scriptum, quibus in locis a Latinis, si non ita accidisset, *k* siue *c* retinendum fuisset [87]). De *γ* autem ante *γ*, *χ*, *κ*, *ξ* a Latinis litera *n* reddito satis inter omnes constat. Quamuis vero ex iis, quae attulimus, argumentis satis clarum sit, Graecorum *γ* antiquissimorum S. Sc. interpretum aetate primarium sonum literae *g* siue *k* lenis proprium habuisse, inter duas autem vocales *gh* valuisse; a vero tamen non abhoret, eam pronunciationem, praesertim cum *g* ante vocales *a o u* difficilius, contra ante *e i* atque cognatas facilius istam vicem agere possit, non in omnibus nominibus atque verbis Graecis sibi constitisse, quod vero accuratius describere in nullius hominis potestate nunc positum videtur.

Δ, quod literis ד, ܕ, د, ደ, ⲇ, դ, D, d, quarto loco constitututis respondet, atque *ϑ*, quod plerumque cum ת, ث, ተ, Th, Θ, թ, th congruit, ita nunc a Graecis pronunciantur, vt *Θ* Anglorum *th* referant nec nisi *Δ* lenitate

87) Exemplo sit gummi = *κομμι*, Gobius = *κωβιος* galumna = *καλυμμα* grex (*greks*) gregis, rex (quod Gothis fuit *riks*) regis, eiusque generis alia sexcenta.

quadam superet *Θ* [88]. Quaeritur itaque, vtrum ex istis literis loco Graecarum reperiundis cognoscatur, *δ* et *ϑ* illa etiam aetate eo, quo dictum est, modo pronunciata fuisse. Ac primo ita concludendum est. Cum Graeci literas Hebraicas siue Phoenissas, e quibus ineptas tantum atque inutiles velut צ ח expulerunt atque nouis commutarunt, receperint literarumque ד et ט non solum nomen sed etiam figuram seruauerint [89]; sequitur, Cadmeam aetatem signis ד et *δ*, ט et *ϑ* parem potestatem tribuisse. Iam vero

---

88) Cf. Schmidt l. c. p. 5. Stan. Velasti: l. c. p. 10. Eiusmodi verborum exempla apponamus: קָדֵשׁ = *Καδης* (Pent.) דִּיבוֹן = *Δηβον* פִּתֹם = *Πιθομ* (Pent.) תָּמָר = *Θαμαρ*. Eadem scriptura apud reliquos S. S. interpretes Graecos reperitur. *Κλαυδια* = ܩܠܘܕܝܐ = كلودِيا = ቀላውዲያ = Կղօդիա = Claudia = ⲔⲖⲀⲨⲆⲒⲀ *Δεκαπολεως* = daikapaulaeos, *Ἀθηναις* = ܐܬܢܘܣ = አቴና = ⲀⲐⲎⲚⲀⲤ = Աթէնս = Athenis, *Θεοφιλος* = thaiaufeilu (voc.), quo quidem modo a reliquis etiam verba ex hoc genere Graeca scribuntur.

89) Verba דָּלֶת et טֵית (טֵית) eadem esse atque *Δελτα* et *Θητα*, facile quiuis concedet. Sed figurae etiam istarum literarum genuinae parum inter se diuersae cernuntur, (Potter Arch. T. III. tabb. I. II. III. coll. Gesen. Lehrgeb. p. 9. et Hauercamp. Syllog. I. p. 252.) praesertim cum *Θ*, cui punctum aut lineola inscripta videtur, ne cum O confunderetur, aeque atque ט anguiculi habitum significare possit. Qui vero negauerint, literam *ϑ* a Cadmo in Graeciam esse illatam, concesserint certe, illud signum a Phoenicibus, cum nomen habeat Semiticum, Ioniis traditum atque hinc Graecis vsitatum fuisse (V. sup. p. 238).

cum antiquissimis temporibus ד et ט Hebraeorum a Graecis non solum δ, ϑ sed etiam τ redditum sit, a Latinis *d* et *t* et th, ab Armeniis դ (*d*) et տ (= τ) cumque Hebraei literis ד et ט sonos Coptorum Ⲧ (= τ) et Ⲇ significauerint[90]; non dubium est, quin ד et ט aeque atque δ et ϑ literae *t* et leniorem et duriorem primo tenuerint. Quodsi enim istae literae initio sonum *th* habuissent; Hebraeorum ד et ט, cum *th* et origine et sonitu cum *s* blaeso aut *f* accurate congruat, a *d* et *t* vero toto coelo disstet, non potuisset neque literis *d* et *t* sonantibus reddi neque pro iis adhiberi. Attamen cum interpretum V. T. Graecorum aetate Hebraeorum ת, cui ordine et nomine respondet τ, litera ϑ scriptum sit; a vero non abhorret, et ϑ et ת adeo a genuina ratione subinde deflexisse, vt sonum *th* Anglici vtraque tunc temporis in se susceperint. Idem cadere videtur in ד atque δ. Sed primo tenendum est, e Grammaticorum sententia ד et ת iis tantum in locis eiusmodi sonum retulisse, quibus Dagesch carent, qua de re, cum, vbique fere pro iis δ et ϑ exstante, ד et ת plerumque inter duas

90) Exempla sunto מֶלֶט = *μαλτη* *'Αταδιμ* = אטד, טֵית = *Θητα* יוד = *'Ιωτα* לָמֶד = *Λαμδα* *'Αδα* = *'Ιτεα* = אידן, דבדים = tibariim בטלם = bythlym (Plaut.) צידון = Sidon גְּדֵרָה = Gades = Gadeira דין = դին, שטר = սատար, ⲦⲱⲂⲓ = טֵבֵת (pl. vid. Iablonskii Opusc.) eiusque generis alia sexcenta.

vocales media punctum, nisi si sit Dagesch forte, non habeant, Graecorum δ et ϑ paribus in locis parem sonum tenuisse necesse est. Iam vero obseruandum, Graecos istam literae ת rationem, quamquis potuerint, neutiquam seruasse, adeo vt nunc τ nunc ϑ pro ea adhiberent [91]. Deinde ט et ת alias *t* alias *th* ab Hieronumo scripta exstant, quod quidem, si ת valuisset Anglorum *th*, vix ac ne vix quidem accidisset. Porro ת haud raro cum literis ט, ܛ, ث (= τ) commutatum atque promiscue pro iis adhibitum cernitur atque ab Armeniis non ց (*ss*), ծ (*ds*) ձ (*z*) ս (*s*) aut ֆ (*f*), sed թ (ϑ) տ (τ) scriptum [92]. Denique vero, quod summum est,

---

91) Exempla nominemus: תַּחְפַּנְחֵס = *Ταφναι* (Ez. 30, 18) (= תַּחְפְּנֵס = *Τεχεφενης*. Reg.) אֱלִישֶׁבַע = *Ἐλισαβετ* al. = *Ἐλισαβηϑ* נָזְרַת = *Ναζαρετ* al. = *Ναζαρεϑ* וַשְׁתִּי = *Ἀστιν* (Esther 1.) חֲמָת = *Ἀιμαϑ* בְּתוּל = *Βαιτουλ* col. בְּטֹנִים = *Βοτανιμ* (Ios.) אֶלְתְּקֵא = *Ἐλϑεκω* al. = *Ἐλτεκω* (Ios. var. loc.) כִּתִּיָּה = *Χετταια* (Ies. Ez.) (V. Chetäa) כִּתִּים = *Κιτιοι* (Dan.) = *Χιτιειμ* (Ez.) מַתָּן = *Ματϑαν* מַתָּת = *Ματϑατ* (Luc.) כְּתֹנֶת = *Χιτων* נֶתֶר = *νατρον* אִתִּי = *Ἐϑι* (Sam.) eq. gen. sexcenta. In primis syllaba בֵּית saepissime *Βετ* (v. lib. Iudith) scripta est. בַּעֲבֹתִים = *βααβεϑϑιμ* (V. Montf. l. c. T. 1. p. 627.) Reliquis in verbis apud Originem ת, תּ constanter ϑ, ϑϑ, ט litera τ scribuntur.

92) Vti עֶתְהקָצִין = Tocasin (Ios.) תַּחַת (ὁ *Θααϑ*) = Tahath תַּעְנַךְ (ὁ *Θαναακ*) = Tanach. תְּחִנָּה (ὁ *Θεεννα*) = Tehenna collat. טַבָּת = Tabath. תֶּרַח (ὁ *Θαρα*) = Thare תַּחַשׁ = thaas תַּרְדֵּמָה = thardema נְכֹחוֹת = nechochta רְתֵת = rathad; al. De vice litterarum ת ט et ר

Arabes, qui litera ث Anglicum th sonante vtuntur, Hebraeorum ת, paucissimis verbis exceptis, Arabum vsum sequentibus, non ث sed ت (= τ) reddiderunt 93). Quas quidem ob caussas certo certius est, neque ת neque ϑ tunc temporis illud *th* valuisse. Quodsi enim ϑ eiusmodi sonum habuisset, ea litera, praesertim cum alias τ adhibitum sit, vt ineptissima pro ת a Graecis scripta fuisset neque potuissent τ et ϑ promiscuè vsurpari. Cum ϑ illa aetate sonum *t* adhuc retulerit, non dubium est quin δ etiam genuinam potestam adhuc tenuerit. Taceamus enim, quod ד Hebraeorum, in cuius locum δ constanter substitutum est, ab Armeniis դ atque ab Arabibus literarum Hebraicarum interpretibus vbique fere non ذ (Anglorum *th* lene) sed د (*d*) significatum fuit, quodque pro δ, si sonuisset *s* vel *f* blaesum, longe rectius τ ad ד reddidum adhiberi debuisset et, cum alias factum sit, potuisset 94). Praeterea ϑ et δ merum

---

cf. Gesen. Woerter. p. 348. 1191. E. g. זַיִת = ձէթ ערבות = տռատօտ חבל = թամալել coll. τοκος = տոկոս. تاتا = թոթով طار = թռիլ al.

93) Exempla sunt nomina V. T. a בֵּית incipientia, quae syllaba ab Arabibus constanter بَيْت pronunciatur פְּרָת = فُرَاتٌ פִּתֹם (ὁ Πιθωμ) = فِتُم (Pent.) עֶתֶר = عَتَر (Ios.) Cf. Gesen. Woerterb. p. 11. 91. l. ת.

94) Huius generis verba sunt: דין = դէն עדן = ատէն

literae *d* sonum siue duriorem siue leniorem habuisse, eo etiam confirmatur, quod vtrumque pro ט, cui conuenit *τ*, apud interpretes haud raro scriptum reperitur [95]. Neque vero grauiter offendit, tres istas literas *τ*, *ϑ*, *δ* passim promiscue, passim parum accurate pro Hebraicis adhibitas esse, cum soni non nisi grauitate paullulum diuersi facillime inter se confundi potuerint. Attamen minime repugnat, arte et studio nonnunquam literas, quae videantur, alienas loco Hebraicarum scriptas fuisse, quo accuratius verborum seruaretur pronunciatio. Hoc saltem negari nequit, *τ* et *τϑ* pro *ϑ* et *ϑϑ* iis maxime in locis adhibita esse, quibus תּ nunc reperitur; quam quidem ob rem admodum probabile est, ת aut nunquam aut serius demum *th* Anglicum valuisse, imo ת a תּ nonnisi lenitate velut *dh* a *th* vel *t* distulisse. Ex eo vero, quod *δ* et *ϑ* atque passim ث, Hebraeorum ת respondens, perstantibus *τ* et ط (= ט), sonum *th* Anglici receperunt, cognoscitur, illas literas his quidem pronunciatu primum leniores fuisse. Cum vero pro תּ, quo loco alias *ϑ* obtinet, *τ* neque

---

דר = դար (saeculum) col. ىرحث = դրաւխտ.
דָּן = دَن = קֶדֶשׁ = قَدَس (Ios.) דַּנִיאֵל = دانيَّال
alq. pl.

95) לֹט = *ληδον* מֶלֶט *μαλϑη* אֱלִיפֶלֶט = *Ἐλιφαληδ* (Vulg. Eliphalet) al. *Ἐλιφαληϑ* al. *Ἐλιφαλετ* (2 Reg. 5, 16. 1 Por. 3, 16. 14, 5; 7. 8, 38.) בֶּטֶן = *Βεϑεν* (V. Beten) Ios. 19, 25. al.

vero δ scriptum sit; clarum est, interpretum Alexandrinorum aeuo literas δ ϑ τ, ortu quidem pares, eo ordine alteram ab altera grauitate superatas fuisse, quo scriptae sunt. Praeterea salua ista sententia ϑ, quod ex vsu ה et ח probatur, cum spiritu videtur fuisse pronunciatum. — Syros quod attinet, Graecorum δ litera ܕ, quae et Hebraeorum ד, ϑ vero ܬ, quae signis ח et τ respondet, reddiderunt. Cum vero istae Syrorum literae nunc simplices *d* et *th* sonos significent, atque ab interpretibus non solum pro δ et ϑ, sed etiam pro τ atque Romanorum *t* et *th* scriptae, cumque δ et ϑ etiam signo ܛ (= τ = ט) redditae fuerint [96]; non dubium est, quin δ et ϑ, quae tamquam *d* et *th* neutiquam vero tamquam *s* et *ss* blaesa facillime cum *t* commutari potuerunt, a Syris vulgari modo ex ore prolatae sint. — Aethiopum ደ pro δ atque ተ (Taui) pro ϑ adhibita, quae nunc *d* et *t* constanter pro-

96) Exempla afferamus: μαϑηματα = ܡܛܐܡܛܐ, altare = ܡܕܒܚܐ antiquus = ܥܬܝܩܐ πενακιδιον = ܦܢܩܝܛܐ sudarium = ܣܘܕܪܐ μετρον = ܡܛܪܐ σορτα = ܣܘܪܛܐ κιβωτος = ܩܒܘܛܐ (coll. παρακλητος = ܦܪܩܠܝܛܐ σπυριδα = ܐܣܦܪܝܕܐ) ἀντλεω = ܛܢܐ (?) theatrum = ܬܐܛܪܘܢ (coll. ϑρονος = ܬܪܘܢܘܣ) Secundus = Σεκουνδος = ܣܩܘܢܕܘܣ Γεϑσημανη = ܓܕܣܡܢ Cf. Cas. Was. Fig. Instit. Ling. Syr. p. 2. Oberleit. Elem. ling. Aram. p. 4.

nunciantur, respondent in verbis istarum dialectorum communibus Hebraeorum ד et ת 97) quam ob rem Aethiopes literis δ et ϑ eundem, quem diximus, sonum tribuerint necesse est. Praeterea obseruandum, litera ቲ non solum ϑ atque passim δ, ex quo cognoscitur, vtrumque sonum haud multum fuisse diuersum, sed etiam τ atque Coptornm ⲧ (= τ) reddita exstare, nec non ϑ signo ϯ (= τ) 98). Huc accedit, quod Aethiopes Coptorum ⲧ alias ዶ alias ቲ scribunt, quo denuo confirmatur, vtramque literam origine simillima fuisse 99). Ex eo denique, quod Aethiopes literas ث et ذ, quae Anglicum *th* lene valent, ዸ et ዘ significarunt 100), contra δ et ث litera ዶ, satis clarum est, cum δ tum ϑ illo tempore nihil cum *th* blaesi sono habuisse commune. — Armenios quod attinet,

---

97) Cf. Ludolf. l. c. p. 2.

98) Huius generis sunt: *πατριαρχος* = ጰትሬ፡ያርክ *Γεννεσαρεϑ* = ጌንሳሬጥ *Ἐλισαβεϑ* = ኤልሳቤጥ coll. *Τιβεριος* = ጢቤርዮስ *Δαυιδ* = ዳዊት, ⲠⲈⲚⲒⲰⲦ = ብንዮት (plura V. ap. Lud. p. 183.)

99) Exempl. g. ⲘⲀⲢⲈϤⲦⲞⲨⲂⲞ = ሞሬቁዶው, ⲠⲒⲠⲈⲦϨⲰⲞⲨ = ቢጌቱሆ፡ vid. Ludolf. l. c. p. 183. T.

100) Vti Ⲛ̀ϪⲈ = እንዸ ثاو = ወኢዘ V. Ludolf l. c. p. 183.

eorum, դ, quo δ significatum est, nunc sonat *d* duriusculum atque թ, cui respondet ϑ, *t* siue *th* Germanorum adspiratum [1]. Cum vero Armeni δ et ϑ, si tunc temporis eodem modo, atque nunc fit, pronunciata fuissent, quinque aut sex literis satis apte reddere potuissent, cumque literas դ et թ non pro ذ et ث quidem, sed pro د et ت scripserint [2]; vix est, quod dubitemus, quin δ et ϑ adhuc sono isto blaeso caruerint. Nolumus enim illud afferre, quod թ pro ط, (= ט = τ) haud raro adhibitum exstat [3]. — Cum Vlfilas Graecorum literas seruauerit, nec nisi inutiles aut certe superuacaneas velut η, ξ, ο, ψ neglexerit, atque loco δ siguum 𐌳 (= 4), loco ϑ vero 𐌸 (= 9) posuerit, necesse est, Gothorum literae aut eundem sonum habuerint atque Graecorum, aut noua potestate praeditae fuerint. Cum vero Vlfilas istis suis literis Graecorum δ et ϑ reddiderit; cogitur, ista signa sono inter se paria fuisse. Cum enim ι (Ἰωτα), vbi *i* signi-

1) Cf. Schroeder Thes. p. 7. 14 Agob. l. c. p. 160.

2) بدتر = վատթար درم = դրամ درخت = դրախտ col. بد = վատ alq. pl.

3) Vti in verbis نفط = նաւթ (naphtha) طارم = թռիլ coll. Πετρος = بطرس.

ficaret, I scriptum sit atque ι consonans j maiusculo, nec non υ vocalis V, υ vero consonans W; non dubium est, quin δ et ϑ etiam, si aliter atque Gothorum D et Th sonuissent, aliis quibusdam literis reddita fuissent. Iam vero cum D et Th innumeris fere in locis singulisque plagulis ab Vlfila promiscue adhibita sint — ex quo cognoscitur, parum ea sono diuersa fuisse — istisque literis non solum δ et ϑ, sed etiam τ scripta sint, atque etiam δ et ϑ non solum D et Th sed etiam T (= τ) significata [4]; clarum est, neque literas istas Graecas neque Gothicas instar Anglorum th pronunciatas fuisse. Praeterea obseruandum, verba ex hoc genere Gothica sexcenta apud Germanos, nimirum posteros, eundem fere sonum sibi seruasse [5]. Cum vero Gothorum D et Th in Germania, si a paucissimis verbis discesseris, nunc *d* pronuncientur, atque Vlfilas Th inter duas vocas, quo loco sponte consonantes, nisi si geminentur, lenius

---

4) Ex. c. *Ἐλισαβετ* = ailaisabeth Luc. 1. 5. *Βηθσαϊδα* = bethsaida Ioh. 12, 21. = baithsaida Luc. 3, 13. baidsaiida Luc. 9, 10. *Μααδ* = mahath. *Καναvίτην* = cananaithen (coll. samarcites) Luc. 17, 16. *Ματταθιου* = matthatiaus (Luc. 3, 25. 26.) *Ματθατ* = mattathanis (gen. ib.) *του Συθ* = sedis (Luc. 3, 38.) Cf. Zahn Vlfil. Goth. Bib. Grammat. p. 3. n. taheds = tabeths wad = wath.

5) Huius generis sunt: dags, thagkjan, dails (Thēl) dal (Thal) thairch (durch) than (dann) dauhtor (Tochter) draggk (Trank) dreiben (triben) thri (drei) dubo (Taube) thusundi (tausend).

sonant, in D mutauerit [6]; apparet, Th grauius quam D, lenius autem quam T sonuisse, atque hinc, cum Vlfilas de istarum literarum vsu a Graecis edoctus sit, *ϑ* et *δ* lenitate a *τ* diuersa fuisse ita, vt *ϑ* inter *τ* et *δ* velut medium consisteret. — De Latinis monuisse sufficiat, eorum d et th, quibus *δ* et *ϑ* inde ab antiquissimis temporibus significarunt, ita ab Italis nunc posteris pronunciari, vt nihil habeant cum *δ* et *ϑ* Graecorum, quae nunc pronunciantur, commune. Coptorum ⲇ et ⲑ, quae nomen et figuram habent Graecorum *Δ* et *Θ*, pronunciantur nunc *d* et *t* siue *th* [7], quos quidem sonos genuinos esse harum literarum, grauissima docent argumenta. Primum enim vtraque litera ab Aegyptiis saepissime cum ⲧ (= *τ*) et ⲧⲉ (= th) commutatur, quod signum alias lene alias graue *t* significasse, ab Aethiopibus didicimus [8].

---

6) Haec quidem scribendi varietas in flexione nominum et verborum constanter fere obseruatur, vti in goth, godis; bedun, bath; faths, fadis; witoth, witodis; alq.

7) Cf. Scholz. Gramm. p. 2. 3. ss. Kircheri Prod. Copt. p. 283 ss.

8) Vid. sup. n. 96. Exempla sunto ⲭⲁⲗⲕⲉⲇⲟⲛ = ⲭⲁⲣⲕⲉⲧⲟⲛ *σтατηρ* = *σαϑερ* ⲧⲍⲉ = ⲑⲉ *δελτα* al. = *δελδα* *δανιηλ* al. = *τανιηλ* ⲁⲣⲭⲓⲙⲁⲛⲑⲣⲓⲧⲏⲥ = *ἀρχιμανδριτης* *ϑβα* (Memph.) = *τβα* (sah.) *ν̀ϑο* = *ν̀το*, *ϑηνου* = *τηνου* ⲛ̀ⲑⲟϥ = ⲛ̀ⲧⲟϥ *ϑωχ* = *τωχ* *ϑαι* = *ται* ⲍⲑⲏⲛ

Deinde literae ⲇ et ⲑ non solum ad Graecorum τ significandum passim adhibentur, sed etiam ab Arabibus non ذ et ث sed د et ت scribuntur 9); quas quidem ob caussas negari nequit, ⲇ et ⲑ a ⲧ (= τ), si fuerint diuersa, eo tantum distulisse, vt aut lenius aut grauius quam ⲧ pronunciata sint. Cum vero ⲑ, saepissime Memphitis sit, quod ⲧ est Sahitarum, sonos duriusculos praeferentium, cumque ⲑ frequentius longe quam ⲇ cum ⲧ commutatum sit, atque ⲇ respondeat Arabum د (= ד); sequitur, ⲑ inter vtrumque sonum fuisse medium. Ex eo autem, quod ⲑ apud Coptos haud raro pro ⲧ et ϩ tamquam compendium scribendi, velut ⲑⲉ loco ⲧ (= articul.) et ϩⲉ (= modus,) adhibetur, luce clarius est, literae ⲑ vim genuinam esse *th* vulgari modo pronunciatum. Iam vero cum Copti, eam pronunciationem a Graecis docti, his istis literis Graecorum δ et ϑ reddiderint; cogitur, δ et ϑ pari

= ϩⲧⲏⲓ *ϑων* = *των;* e. g. sexcenta alia. Cf. Iablonskii Panth. Aegypt. P. 1. L. II c. 7. p. 274.

9) *Ἀγρωστις* = *νουακροσϑεν τεσσαρα* = *ϑεισσαρα ἑπτα* = *εφϑαι ὀκτο* = *οκϑε, τριακοντα* = *δριαντε, τριακοσιοι* = *διδροκοσε. Τιμοϑεος* = طيموثاوس *Δημας* = ديماس Epist. ad Phil. Conf. Hug. Einleit. ed 2. T. 1. p. 418.

tunc temporis fuisse potestate. Praeterea tenendum, Coptos *δ*, cui affine fuit *ϑ*, haud paucis in verbis, quo ista confirmatur sententia, literis Ⲧ = *τ* et ϯ = *ti* et *di*, significasse [10]. — Interpretes denique Arabes, cum iis maiorum aetas literarum inuentrix non solum signorum ں = ד et ث = ת sed etiam ن et ث, quae Anglorum *th* et lene et forte aequant, copiam fecerit, Graecorum *δ* et *ϑ* reddendis adeo non impediti erant, vt has literas, vbicunque locorum alterutram obtinerent potestatem, accuratissime significare possent. Iam vero *δ* ab iis aeque atque *ϑ* vtriusque generis literis expressa deprehenduntur ita, vt *δ* saepius ں quam ن [11],

---

10) Huius generis sunt verba: *Γαλααδ* = *γαλαατ*, *κλαδοις* = *νουκλατος*, *Δανιηλ* = *τανιηλ* ϯⲁⲕⲣⲓⲛⲉⲓⲛ = *διακρινειν* ϯⲁⲃⲟⲗⲟⲥ = *διαβολος* coll. ϯⲃⲉⲣⲓⲟⲥ *Τιβεριος*. *ἑνδεκα* = *εντεκο* coll. *δεκη* = *δεκα*. *Δερβη* = *τερβη*.

11) Vti *Λαοδικεια* = لَانِقِيَّا *Φιλαδελφια* = فِيلَانِلغِيَا *Δημας* = نِيمَاس (Col Tim.) *Ἰουδας* = يِهُونَا Item ن habent pro *δ* nomina *Ἀδραμυτειον*, *ἐις Τρωαδα*. aliaque nonnulla. Contra *δ* scribitur ں reliquis in verbis fere omnibus, cuius exempla sunt: *ἰδου* = اُں *Σαρδες* = سَرْںِيس *Κλαυδια* = كَلُوںِيَا *Ἀνδρονικος* = اَنْںرُونِيكُوس Pari scriptura sunt:

ϑ autem saepius ث quam ت respondeat [12]. Hinc itaque clarum est, δ et ϑ tunc temporis ita ex ore Graecorum fuisse prolata, vt ϑ plurimorum, δ autem paucorum verborum eundem iamiam, quem nunc habet, sonum referrent. — Addere liceat, hanc δ et ϑ pronunciationem aliis etiam argumentis confirmari. Cum enim β et γ, quae primum, vti vidimus *b* et *g* valuerunt, ita subinde a genuina ratione inter Graecos deflexerint, vt non occluso ore sed recluso, quo facto sonum *w* et *gh* aut *ch* referrent necesse

---

Μακεδονια, *'Ευοδια*, *'Επαφροδιτος*, *Δρουσιλλα*, *Καπποδοκια*, *Νικοδημος*, *'Αλεκσανδρος*, *Κανδακη* *Κλαυδα*, *Κνιδος*, *Διονυσιος* *Διοτρεφης*, *Δαμρις*, *Δερβη*, rel.

12) Ex hoc genere sunt, *Βιθυνια* = بِثِّينِيَة *Σαμοθρακη* = سَامُوثْرَاكِي *Θευδας* = ثُودَاس *Βηρωθ* = بَارُوث (Ps.) *Σηθ* = شِيث (Apokr.) *Σωσθενης* = صُوسْثَانُوس (1 Cor.) *Τιμοθεος* = تِيمُوثَاوُس (Rom.) Pari modo ϑ nominum expressum est: *Κορινθος*, *'Αθηναι*, *Θωμας* *'Ιωαθαμ* *Θυατειρα* aliorumque plurimorum. Excipe: *Θεσσαλονικη* = تَسَالُونِيكِي coll. *'Ευτυχος* = أُوتِيخُس (Act. 4. = تَسَالُونِيكِي) *Θαδδαιος*, *Θαμαρ*, *Ματθαιος* coll. *Ματθαν* = مَتَّان *Ματθατ* = مَطِّيت *Ματθαθα*, *Ναθαν*, *Ματταθιος*, *Σαλαθιηλ* aliaque nonnulla.

erat, enunciarentur; non dubium est, quin δ et ϑ etiam, quae lingua ad dentes supernos parum appulsa nunc proferuntur, antea halitu oppresso et linguae apice palatum attingente — quo facto oritur *t* siue lene siue graue (p. 224.) — ex ore Graecorum prolata fuerint, neque a vero abhorret, ipso eo tempore, quo γ et β germanam naturam exuerunt, genuinum literarum δ et ϑ etiam sonum periisse.

Inter literas, de quarum sono genuino lites mortae sunt inter viros doctos, ζ etiam, quae in Graecia nunc vti *s* forte siue Gallorum ç fere pronunciatur, inprimis referendum est [13]. Cum pro ζ et nomen et figuram habeat Phoenicum aut Hebraeorum ז; primum sequitur, vtraque litera initio parem significatum fuisse sonum [14]. Iam vero loco ז continentur literae

---

13) Cf. Schmidt. l. c. p. 3. Stan. Velast. l. c. p. 10. al.

14) Cf. Gesen. Lehrgeb. p. 8. 17. Geschichte d. H. Sp. p. 163. 168. Potter. Archaeol. T. III. Tab. I — III. Offendere aliquem possit, nomina *Ζῆτα* et זַיִן eadem dici. Sed cum ן accessorium alias sit, vnde verbum illud a Graecis etiam *Ζαϊ* pronunciatur (Montfauc. l. c. T. II. p. 395), atque dissyllaba *aï* facillime ad diphthongum *ai*, diphthongus autem *ai* facillime ad *e*, vti vidimus, abeat, cumque syllaba τα a Graecis verbis exteris in fine addi soleat; probabile est זַיִן et *Ζῆτα* eadem esse verba. Praeterea huc facit, quod verbum זַיִן (= arma) respondet Armeniorum զէն (*zen* = arma) quod quidem, parem haud dubie cum verbo Hebraico habens fontem, eadem fere soni *aï* mutatione passum est, atque Graecorum *Ζῆτα*. Attamen probabilius videri possit, *Ζῆτα* a צֵרִי contra *Σαυπι* (ἐπισῆ-

ڔ, ו, Ӈ, quae, cum parem vnacum ז habuerint fontem, parem sonum primo significauerint necesse est. Ex his Arabum ڔ nunc cum *z* Germanorum conuenit aeque atque e sententia

---

μον) a זַיִן, demto *πι*, deriuare. Etenim facilius *α* ad *η* (vti accidit Dorico *α* apud Atticos), facilus *δη* ad *τα* (vti obseruatur in *Ἰωτα* = יוד) abire posse aliquis dixerit, quam *αϊ* ad *ε* et ן ad *τα*. Deinde, quod maximi momenti est, *Z* in lapidibus antiquissimis inscriptis passim eiusdem fere figurae etiam est atque ט Phoenicum et Samaritanorum (Cf. Potter. — qui Montefalconium sequitur — l. c. Tom. III. Tab. I.) qua de re, si recte illud se habet, *Z* Hebraeorum ט respondisse videtur. Huc facit, quod minime repugnat, Cadmum aut Graecum hominem literam Graecam *τῳ* צ respondentem loco illius pro ז receptae posuisse, praesertim cum צ et ז parum initio diuersa fuisse pronunciatione constet, atque *Σιγμα* (ט) vtique loco *Σαν* (Herodot. I, 139; = שׂ) mature positum sit. Etiamsi vero, quod minime a vero abhorret, aut ז et צ, aut *Z* et *Σαμπι* inuicem mutarunt locum, ita vt *Z* primum responderet צ Hebraeorum; sonus tamen literae *Z* idem fere atque ז fuerit necesse est. Cum enim ז et צ saepissime promiscue adhibita sint atque vox צָדִי, genuinum huius literae sonum testans, *τσαδη* scribatur apud LXX atque צ Hieronymi adeo tempore sonum inter *z* et *s* medium teneret (Hier. ad Ies. XI.); cogitur, *Z* = צ haud multum a ז initio potestate abfuisse. Quod illud vero attinet, quod *Z* non solum literae ז sed etiam passim ט figuram habuisse videtur, non habemus sane, quod Montefalconii auctoritati opponamus, velimus tamen, cum ea in re facillime errari possit atque ז et ט etiam promiscue apud veteres adhibita sint, denuo de ea scriptura videri. Praeterea inde quidem, cum literarum ט et *Z* nomina et loca diuersa maneant, non sequitur, ea signa primum eadem potestate fuisse. Vtut sit, nunc in vulgari sententia subsistamus.

Waltoni Syrorum ז, ዘ vero, Ludolfo auctore, cum *s* leni siue *z* Gallorum [15]. Cum vero Arabes, Aethiopes et Persae etiam ita subinde literarum in verbis quibusdam sonum mutauerint, vt pro duris et difficilibus leniores et faciliores velut ث pro ت, ذ pro د, غ pro ع substituerent atque ז, cui numero et loco respondet ز, passim in ذ pronunciatu commodius mutarent, non dubium est, quin sonus ز = z durior non solum huius literae, sed etiam ז et ዘ genuinus fuerit. Ipsum Aethiopum ዘ, quod ç valet, tantum abest, vt minuat, vt augeat hanc sententiam. Quemadmodum enim ሰ, quod Hebraeorum שׂ respondet, ita subinde, quod Ludolfus demonstrauit [16], degenerauit, vt sonum *s* subiret leniorem; ita etiam ዘ tamquam *z* in *s* commutari et potuit et debuit. Quo iure autem Gallorum et Anglorum *z*, e Latino et Germano *z* (*ds* et *ts*) oriundo, eodem etiam ዘ, nunc *s* valenti, sonus *ds* vel *ts*, vt germanus, restitui possit. Istam vero literae ז apud Hebraeos pronunciationem serius etiam obtinuisse, ex eo colligitur, quod Armenii ז scripserunt զ, quod quidem

15) Cf. Rosenmülleri Inst. Arab. p. 14. Persarum etiam ز, quod ז respondet, sonare *z* tradit Walton. Prolog. p. 11. Castelli. Lex. Hept. p. 3. Syrorum ܙ vti ç pronunciari praecipere videtur Oberleit. Iahm. Gram. Aram. p. 3. vti *z* Was. Tigurin. l. c. Walton. l. c. alq; Ludolf. Gramm. Aethiop. p. 6. lit. i.

16) Cf. Gramm. Aethiop. p. 6. num. 4. lit. f.

signum *z* non solum etiamnum sonat, sed etiam, quippe pro ز = *ds* adhibitum, antea valuit, nec non ձ, quod eodem modo, quo ծ (= γ), scilicet *ds* et զ, pronunciatur [17]. Quodsi enim ז vti *s* sonuisset, Armenii reddidissent eam literam ս (= σ), quo vnum verbum זחל = սողալ scriptum est. Porro cum Hieronymus ז non *s* sed *z* reddiderit, quam literam *ts* sonuisse vel ex loco laudato patet [18]; clarum est, Hieronymi etiam aetate ז = z sonuisse. Huc accedit, quod Arabes serius etiam nomina Hebraica ita converterunt, vt ז vbique fere ز scriberent [19]. Quamuis vero ex his satis clarum sit, ז ab antiquissimis inde temporibus vsque ad saeculum certe decimum *z* valuisse; admodum tamen credibile est, praesertim cum Arabes, Chaldaei et Syri pas-

---

17) Huius generis sunt: אזגון = զնդուզն גזה = զզաթ זית = ձէթ coll. بازي = բազէ حوزق = զոզակ = خزل = խազէլ. Eodem modo scripta sunt نيزك alq;

18) Hieron. ad Ies. XI: *proprietatum Zade inter Z et S Latinus sermo non exprimit et strictis dentibus vix linguae impressione profertur.* Cum enim γ, quod ex ծ (tz) in primis cognoscitur pro γ adhibita, *ts* proxime sonuerit; sequitur z Latinum tunc etiam temporis *ts* valuisse.

19) Exempla sunto יַחְזְאֵל = حزال (Ios.) זִיפִים = زِيفِيُونَ (Pent). rel.

sim ذ ד ڌ vno fere consensu pro ז habeant, hanc literam partim in aliis verbis paullo aliter sonuisse, partim aut durius aut lenius siue *t* siue *s* additum habuisse. Iam vero Graeci s. s. interpretes ז nunquam fere non ζ scripserunt [20], ex quo intelligitur, ζ tunc temporis valuisse z siue *ds* siue *ts*. Quodsi enim ζ alio, quam dictum est, modo pronunciatum esset, non dubium est, quin pro ז, cum γ etiam *τσ* scriptum sit, aut *δσ* aut *τσ* adhibitum fuisset. Idem probari videtur eo, quod passim pro ז scriptum exstat *σδ* [21] atque etiam ζ pro שׁר [22]. Cum enim consonae, quo nihil frequentius accidit apud Semitas, ita mutari possint, vt duae sibi proximae altera alterius locum pronunciando occupent [23]; non mirum est, Hebraeorum ז =

---

20) אֲזְנוֹת = Ἀζνωθ (Pent. Ios.) עזז = Ἀζαζ (Dan. Par.) זְלוּת = ζωλλωθ (Chrysost.) וְזאת = ὀυζωθ (Orig,) Ηζηκιας (V. Ven.). Attamen ז plurimis in verbis ita sonuisse, vt *s* praeualeret, nominibus admodum probabile redditur: כָּזְבִּי = *Κασβι* (Num. 25, 18.) עֲזַרְאֵל = Ἐσριηλ (1 Esd. 10, 4) יְרִזְהָה = *Ιεσριας*. (2 Esd. 12, 41), quamquam eam scripturam serioris aeui dixeris.

21) Huc spectant: אַשְׁדּוֹדִיּוֹת = Ἀζωτιαι (2 Esd. 13, 23.) אַשְׁדּוֹדִי = Ἀζωτιοι coll. אַשְׁדּוֹד = Ἐσδωθ (Hieron. Azotus) Ios. 11, 22. 15, 46. 1 Reg. 6, 17. Ier. 25, 20. Arm. 1, 8. 2 Poral 26, 6. Act. 8, 40.

22) Vti accidit verbis עֶזְרָא = Ἐσδρας = Ἐζρα (1 Por. 4, 17.) eiusdem indolis esse videntur *Εσδρηλων* (Iudith 1, 8.) *Εσδριν* (2 Mac. 12, 36) אַשְׁדּוֹדִיּוֹת = Ἀζωτιαι 2 Esd. 13, 23. אַשְׁדּוֹדִי = Ἀζωτιαι coll. אַשְׁדּוֹד = Ἐσδωθ (Ier. 25, 20. 2. Por. 26, 6. al.)

23) Exempla sunto لسم = لمس, גרז = גזר = (Pr. 31,

ds nonnullis in verbis subinde *sd* pronunciatum, atque *sd* Hebraeorum contra in *ds* siue ζ mutatum fuisse. Attamen pronunciando ζ = *ds* tunc temporis *d* lenius prolatum ne dicam supressum fuisse, eo maxime redditur probabile, quod ζ pro שׂ etiam atque γ, quod ipso Hieronymo teste postea sonum *z* inter et *s* tenuit, scriptum reperitur [24]. — Syri eodem fere tempore et Hebraeorum ז et Graecorum ζ eadem litera ܙ reddiderunt, qua de re, prraesertim cum ז parem cum ז originem habuerint atque etiamnum *z* pronunciari tradatur, non dubium est, quin ζ ista aetate istaque a gente vti *ds* ex ore prolatum fuerit [25]. — Aethiopum ዘ, quo ζ constanter redditum est [26], *ds* sonuisse eo saltem probabile redditur, quod nunquam pro σ, cui respondet ሰ, scriptum est, quodque loco ܙ

---

23) בֵּלְשַׁאצַּר = *Βαλτασαρ* (Dan. 6, 1, 22, 30) inprimis הִשְׁתַּחֲוָה = התשחוה e. g. a. coll. *Ζευς* = *Σδευς*.

24) Huius generis sunt: כשׂר = *Χαζαθ* (Gen. 22, 18.) עשׂק = *Ἐζεκι* (1 Por. 8, 38) יואשׂ = *Ἰωας* al. *Ἰωαζ* (var. loc.) מבצר = *Μαζαρ* (Gen. 36, 42), nisi loca haec corrupta sunt.

25) Exempla sunto: *Ζηνω* = ܙܺܝܢܘܿ *ζητηματα* = ܙܶܛܶܡܰܛܰܐ *Γαζα* = ܓܰܙܰܐ *ζιζανια* = ܙܺܝܙܳܢܶܐ *Ζηβηδαιας* = ܙܒܕܝ܀ Eadem habet translatio Philoxen. *Βαιθζαχαρια* = ܒܶܝܬܙܰܟܰܪܝܰܐ (Apokr.) *Ἰαζηρ* = ܝܰܥܙܺܝܪ (Apokr.) יְאֵב = ܙܺܐܒ זֶבַח = ܕܶܒܚܳܐ (Pent. Ps.)

26) Vti *Γαζα* = ጋዛ (Act.) *Ζηβ* = ዜብ (Ps.) *ζωγος* = ዘወግ (Luc. II.) et sic in rel.

positum atque etiam passim cum ጸ (= *ts*), quod probe tenendum, in huius aetatis libris promiscue adhibitum exstat [27]. Attamen negari nequit, ዘ serius ad *s* fere abiisse, quoniam Arabum ز significando inseruit. Praeterea ζ non merum *s* apud Aethiopes valuisse, eo etiam probatur, quod non ሰ = σ, quo, cum alias literae aptae nulla vsus ratione habita adhibitae fuerint, ζ scribi facillime potuisset. — Cum Coptorum ⲍ = ζ non nisi in verbis peregrinis adhibitum sit, licet tantum, quamuis ex vsu Ⲥ pro ζ huius literae sonum admodum lenem fuisse cognoscatur, ad aliorum de ea litera tamquam *z* pronunciationem hodie obseruatam prouocare [28]. — De Latinorum *z* pro ζ scripto constat, eam literam etiamnum *ds* et *ts* adeo cum in Italia tum in Germania, Romanam pronunciationem antehac primum edocta, proferri atque Hieronymi aetate, vti vidimus, *ds* valuisse. — Vlfilas Z literam ζ, cuius locum obtinet, vbique reddere non neglexit [29]. Sed cum *z* et *s*

---

27) Exemplo sit ܙܢܓܐ = ዝሕል (aerugo) ዝሕረ = ጽሕረ ዝሕን (= שחר) ܙܗܡܐ coll. زرجون ዘሎት = ጸሎት al. Cf. Ludolf. l. c. p. 7.

28) ⲍⲟⲣⲟⲃⲁⲃⲉⲗ = *Ζοροκαβελ* et sic in reliquis. ⲍ sonare *z*, tradunt Kircher. Prod. p. 284. Walton. Prolog. II. p. 13. Respiciantur tamen *βοες* = *Βοοζ σερουχ* = *Ζαροχ*.

29) Vti *Ἐλιαιζερ* = aileiaïzair. *Βεελζεβουλ* = baiailzaibul *Βοοζ* = bauauz *ἀζυμων* = azymo, rel.

passim miram in vicem scripta exstent atque *s* inter duas vocales adeo *z* euaserit, quo loco consonae sponte leniores audiuntur; facile quisque concedet cum Ihrio, Gothorum *z* aut merum *s* aut *ds* suppresso *fere d* valuisse[30]. Huc accedit, quod *z* adeo loco σ Graecorum exoratum obseruatur atque S passim loco ζ, ex quo sequi videtur, Vlfilam st suo *z* et Graecorum ζ integrum fortasse literae *s* inter Germanos sonum tribuisse[31]. Attamen cum Gothorum S etiam sonum paullo duriorem et *ds* haud absimilem passim habere potuerit, vnde fortasse accidit, vt etiamnum nonnullis in verbis durius sonet, atque *z* hodie quidem non meram *s* potestatem subierit[32]; a vero saltem non abhorret, z = ζ literae *d* quamuis lenissimae aliquid tunc temporis apud Gothos tenuisse. — Arabes ζ reddiderunt ز, quae litera, cum ז Hebraeorum valeat atque etiamnum *ds* pronuncietur, non dubium est, quin sonum *ds* Graecorum ζ

---

30) Huius generis sunt: misdo = mizdo, saislep = saizlep, riquis = riquiz, anabusus = anabuzus is (ille) et *ize* (eorum) this (huius) thizei (cuius) batizo (beteser, besser) et batist (betester, bester) Cf. Büsching collect. script. Ihrii. p. 203. Zahn Versuch. p. 67, 68.

31) Huc referenda sunt: aizrom = *Ἐσρωμ* aizleim = *Ἐσλιμ* Kusins = *Χουσα.*

32) Documento sit: azgo = Asche thizei = dessen coll. Skip = Schiff, Skoh = Schuh, stilan = stehlen, Swebla = Schwefel.

tribuerit [33]. — Armenios denique quod attinet, ζ signo ձ, quo scilicet et ז et ژ et Syrorum etiam ܙ, vti *ds* pronuncianda illa, expressere, reddere studuerunt [34]. Cum vero ձ hodie etiam *ds* siue *ts* pronuncietur neque iusta adsit caussa, de eius soni antiquitate dubitandi; intelligitur, Armenios quoque reliquorum S. S. interpretum ad instar ζ aut *ds* aut vix paullo lenius pronunciasse.

De reliquis Graecorum consonantibus vix opus est accuratius atque fusius disputare. Cum enim de earum pronunciatione constet atque veteres S. S. interpretes eandem iis, atque nunc

---

33) Sufficiant ad probandum nomina, *Γαζα* = غَزَّة *Ζηναν* = زِينَان *'Αχαζ* = أَحَاز *'Εζεκιας* = حِزْقِيَّا et sic in rel.

34) Exempla sunto: *Ζηναν* = ձենան (Tit. III, 13.) *Ζαρα* = ձարա *'Οζιας* = ոձիա et sic in rel. ܟܪܘܙ = քարոզ rel. vid. supr. not. 13. Literam ձ pronunciari nunc *z* siue *ds*, diserte tradit Agop. in Gramm. Lat. p. 160. atque in Armen. p. 4. quid? quod in verbis Italis omnibus *z* significat ձ, vti Zelus = ձելուս. Praecepit quidem Schroeder Thesaur. Gramm. p. 8., ձ sonare *s*, sed vel ex ո = *o* (V. Agop. ll. cc. coll. Schroed. l. c. 13.), quod male edoctus *u* pronunciari docet, cognoscitur, non omni ex parte recte se habere illam literarum Armenicarum pronunciationem. Audiamus itaque Agopum, quippe Armenium eumque doctum.

fit, tribuerint potestatem; nolumus longius impediri, quominus de libelli fine videamus atque summa. Addere tamen liceat literas, Graecis ex hoc genere respondentes, earumque, qui nunc est, vsum commemorare. Litera *κ* respondet et numero et vsu signis כ, ܟ, ک, K, Ⲕ, quae numerum 20 significant, atque ከ, *c* et, quod 60 valet, կ, quae quidem literae *k* pronuncianda traduntur. Praeterea *κ* etiam Hebraeorum ק et signis ܩ, ق, ቀ idem sonantibus atque, excepto ቀ, 100 valentibus inseruit [35].

Λ cum literis ל, ܠ, ل, L, ⲗ, 𐌻, 30 valentibus, atque ለ et *l* conuenit aeque atque *μ* cum ם, ܡ, م, ܡ, M, Ⲙ, *m* et մ (= 200) nec non *ν* cum ן, ܢ, ن, ነ, N, Ⲛ, *n*, et ն, (= 400) quae vti *λ*, *μ* et *ν* Graecorum pronunciantur [36].

---

35) E. g. *Ἰσαακ* = ይስሐቅ *Κανδακη* = ህንደኬ = ܩܢܕܩ = قَنْدَاكِس = קָדֵשׁ = *Καδης* כְּפִירָה = *Κεφειρα* *κρυσταλλος* = ܩܪܘܣܛܠܠܘܣ *πιστικος* = pistikeins *Κουαρτος* = Կուարտոս. De harum literarum pronunciatione, ad quam prouocamus, hodierna libri videantur antea laudati.

36) Exempla apponamus: *Λαοδικια* = ܠܕܝܩܝܐ = لَاذِقِيَّة = ሎዶቅያ = Լաւոդիկէա, *Λυσανιας* = ly-

Ξ a Graecis velut compendium scribendi pro כש, כס, קש, קס adhibetur atque a reliquis ܟܣ, كس, ክሰ, KS, ξ et ϏC, քս, *x* scribitur [37]. *Π* respondet literis פ, ܦ, ب, ጰ, Π, P, պ (800), et p; *ϱ* (= 100) autem ר ܪ, ر, ረ, R, P, (= 100) atque *r*, ռ (= 1000) et ր (= 5000) [38]. Quod vero *πφ* attinet, quaeritur

---

saniaus = Lysanias = ⲗⲩⲥⲁⲛⲓⲟⲥ, גַּלִּים = *Γαλειμ*; מֵידְבָא = *Μηδαβα*, *Σαλειμ* = ܫܠܝܡ = سَالِيم = ሰሌም = ⲥⲁⲗⲏⲙ *Ἑρμην* = Երմեայ *Μαρκος* = marcus = Marcus.

Κορνηλιος = Cornelius = ⲕⲟⲣⲛⲏⲗⲓⲟⲥ = ܩܘܪܢܠܝܘܣ كُرنيليوس = ቆርኔሌዎስ גלון = *Γαυλων* *Ἰοαννης* = Յովհաննէս = iohannes.

37) Apponantur: אַרְפַּכְשַׁד = *Ἀρφαξαδ* יָקְשָׁן = *Ἰεξαν* *Ἀλεξανδρος* = ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ = እለእስክንድሮስ = ⲁⲗⲉⲝⲁⲛⲇⲣⲟⲥ = ألكسندرس = Աղեքսանդրոս = alaiksandraus = Alexandrus, ϴΟϒξ = ϴΟϒKC.

38) Vti: *Πετρος* = بِطْرُس = paitraus *Παμφυλια* = ጰንፍልያ *Παυλος* = ܦܘܠܘܣ = ⲡⲁⲩⲗⲟⲥ = Պօղոս = Paulos פֶּסַח = *πασχα* פִּתֹם = *Πιθωμ*; חָרָן = *Χαῤῥαν*, *Ἡρωδης* = ܗܪܘܕܣ = هِيرُودُس

vtrum *ππ* an *φφ* istae literae pronunciatae fuerint an *pf*. Cum nimirum Graeci interpretes *πφ* pro פ aeque atque *κχ* pro כ et *τϑ* pro ת inter duas vocales posita scripserint[39], istaeque literae, vbi Dagesch habent, vti *pp*, *kk*, *tt* pronunciandae tradantur; vtique videntur *πφ*, *τϑ*, *κχ* sonuisse *ππ*, *ττ*, *κκ*. Sed cum Graeci *ττ* pro ט, *κκ* pro ק atque *ππ* pro פ etiam, *ττ* pro ת, quo loco haud dubie *p*, *t*, *k* gemina audirentur, scripserint[40], certo certius est, quod Graeci פ, ת, כ, si inter duas vocales tunc temporis constanter *pp*, *tt*, *kk* sonuissent, *ππ*, *ττ*, *κκ* constanter scripsissent. Iam vero Graeci istas literas vtique *φφ* et sic porro passim reddiderunt nec non *κχ* pro ח, quod *kk* istis in locis valuisse, nullo pacto concedi potest, scripserunt[41]; quam ob rem *πφ* = פ, *τϑ* = ת, *κχ* = כ duabus vocalibus interposita ista quidem aetate, quamuis subinde aliter acciderit, non

---

= ԿԸՐԻՆ = ϨΗΡⲰΔΗϹ = Herodes = herodes *Ῥωμα* = Հռոմա *Μαρκος* = մարկոս.

39) Vti in Verbis צִפּוֹר = *Σεπφωρ* עַכּוֹ = *Ἀκχω* מַתָּן = *Ματϑαν*.

40) Huc spectant. חַטּוּשׁ = *Χαττους* חִתִּיה = *Χετταια* (Ez.) יַפּוֹ = *Ἰωππη*. חַקּוֹץ = *Ἀκκος* עִקֵּשׁ = *Ἐκκις* בֻּקִּי = *Βοκκι* חִתִּים = *Χεττιμ* (Iud.)

41) Vti אֶפַּתַּה (הִפָּתַח) = *ἐφφαϑα* עַתַּי = *ἐϑϑι* (1 Par. 2 Par.) פּוּתִי = *Ἀφφουϑι* (Par.) אִתַּי = *Ἐϑϑι* (2 Reg. 1 Par.) חֻפָּה = *Ὀφφα* (1 Par. V. Hoppha) אַחְזַי = *Ἀκχιος* (Neh.) coll. אֵחִי = *Ἀγχις* (1 Par. 8, 2) חַגִּית = *Αγγιϑ* עַיָּה = *Ἀγγαι* (Reg. Esd.)

nisi $\varphi\varphi$, $\vartheta\vartheta$, $\chi\chi$ significasse, inficias iri nequit. Praeterea $\tau\vartheta$, $\pi\varphi$, $\varkappa\chi$ mera $\vartheta\vartheta$, $\varphi\varphi$, $\chi\chi$ valuisse, ex eo luce clarius est, quod istae literae sexcentis in verbis pro ת, פ, כ, vbi inter vocales a puncto Dagesch alienissima sunt, scripta reperiuntur, quodque $\tau\vartheta$, $\pi\varphi$, $\varkappa\chi$ atque ϑ, φ, χ quae facillime in vita et vsu pronunciando geminari et possunt et solent, haud paucis in verbis ab iisdem interpretibus promiscue atque inuicem adhibita sunt [42]. Literae $\tau\vartheta$ a reliquis S. S. interpretibus scribuntur ܬ ($\vartheta\vartheta$) ܬܬ ($\vartheta\vartheta$) ܬܛ ($= \tau\vartheta = \tau\tau$), ثّ ($= \vartheta\vartheta$ et $= \tau\tau$), ቶ, ($= \vartheta\vartheta$) tth, TTh, ⲦⲐ, տթ [43], quibus illud tantum confirmatur, nullum fere inter $\tau\vartheta$ et $\vartheta\vartheta$ fuisse discrimen. Quod attinet $\pi\varphi$, reddita sunt ܦ̇, ف, ፍ, *ph*, quibus φ simplex scribitur atque duplex innui poterat, ጰ ($= \pi$), ⲠⲪ nec non

42) Exempla nominemus: פְּתִיָּה = *Φαθθουια* (Par.) סִבְּכַי = *Σοβακχι* (1 Par. 2 Reg.) שְׁפִי = *Σαπφει* (1 Par. 1, 40) Vulg. Saphi. coll. צְפִי = *Σωφαι* (ib.) Vulg. Sophi. צִפּוֹר = *Σεπφωρ* atque *Σεφωρα* (Num. 22, 2 Ex. 2, 21; 4, 25; 18, 2.) שׂוֹכֹא = *Σοχω* = *Σοκχω* (les. 1 Reg. 3 Reg. 2 Par. var. loc.)

43) *Ματθαιος* = ܡܰܬܰܝ = مَتَّى = ማቴዎስ = Matthaeus = matthaiaus (coll. *Ματταθιου* = matthatiuis) ⲘⲀⲦⲐⲈⲞⲤ = Մատթէոս *Ματθατ* = ܡܰܬܛܰܬ = (Luc. 3, 24) coll. *Ματταθιου* = ܡܰܬܛܰ et ܡܰܬܬܰܐ *Ματταθα* = ܡܰܬܛܰܐ *Ματταθ* = ܡܰܬܰܬܰܐ.

ܦ̈ܦ, فپ, փֆ, *pph* 44), qua de re, si paucis verbis inest vis probandi, Syri, Arabes, Armenii et Latini πφ vti φ, quod facillime legendo duplicari poterat, pronunciarunt. De literis vero ጰ et ܦ̈ܦ pro πφ adhibitis vix ausim certum constituere, cum vox illa in vita vulgari versata ac trita facillime, quamuis vt nomen proprium adhibita, mutari potuerit. Neque maioris momenti literae فپ = փֆ (= *pf*) atque *pph* Latinorum, pro πφ scriptae, esse videntur, licet non repugnet, ea scribendi ratione curasse interpretes aut Graecam orthographiam, aut genuinam istorum verborum pronunciationem seruatam seruare. Coptorum denique ⲫⲡ quod attinet, eo saltem, quod ⲡ saepissime pro ⲫ

---

44) Ἀπφια = ܐܦ̈ܦܝܐ Σαπφειρα = ܫܦ̈ܦܝܪܐ = صفّيرا = սափփիրա = ሰጰራ = ⲥⲁⲡⲫⲓⲣⲁ Ἀπφια = ابفيا = ⲁⲡⲫⲓⲁ = ափփիա (collat. Ἀππιον φορον Act. 28, 15 = ափփիոն) (quo tamen loco mira est lectionum varietas (Vid. Griesbach N. T. ad Philem. 2.) σαπφειρος = ܣܦ̈ܦܝܪܘܣ (Apocal.) Alia h. g. exempla desunt, neque ea reperiuntur quidem apud reliquos interpretes. Praeterea obseruandum, Arabes Coptorum ⲁⲡⲫⲓⲁ (Philem. 2. Cf. Hug. Einleit. T. I. p. 418) reddere ابفيا, nisi si fortasse legendum sit ابفيا.

scriptum reperitur, probabile redditur, Graecorum πφ ab iis, cum Arabum illa scriptura vnius verbi Coptici parum valeat, vti φφ pronunciata fuisse. Literas κχ Syri reddiderunt ܟ, Arabes ك, Aethiopes ኸ, Armenii ք, quae quidem signa pro gentium harum consuetudine, licet simplicia, gemina etiam valent, Gothus KK, Latini *ch*, Copti ⲔⲬ, quibus literis, si a Copticis dicesseris, alias Ⲭ simplex scribitur, qua quidem in re nnnc paullulum acquiescamus [45].

Consonam σ Graeci posuerunt loco ז ס שׂ et שׁ, qua in re cur pro שׁ non adhibitum sit σχ, quaesiuit iamiam Michaelis [46]. Sed cum interpretes σχ reddiderint Hebraeorum סח, שׁכ, סכ, quo loco pro χ, si σχ = sh Anglorum sonuissent, κ = כ adhiberi aut vocalis quaedam inseri et potuisset, cum alias factum sit, et debuisset, istaeque literae non ܫ, ش, ϣ, շ, Anglicum *sh* valentibus, sed سك, SK, CK, սք, ስክ atque ܣܟ scriptae sint [47]; satis clarum

---

45) Ζακχαῖος = ܙܟܝ = زَكَّى = ዘኬዎስ = zakkaius = Zachaeus = ⲌⲀⲔⲬⲈⲞⲤ = Զակքէոս.

46) Vid. Miscellann. Lipsienss. noua. Lips. 1749 Vol. VI. Ps. I. p. 359. ss. quo loco quaestiones proposuit LXIII Ch. Ben. Michaelis ex parte tantum adhuc solutas. Istius scripturae exempla sunt: שָׂרָה = Σάῤῥα שָׁלוֹם = Σαλωμ צְבוֹאִים = Σεβοειμ כִּסְלֵו = Χασαλευ.

47) Exempla sunto פִּסְחָא (פִּסְחָה) = πασχα אֶשְׁכֹּל = Ἐσχολ (Gen. 10, 14) = Escol (Hier.) יִסְכָּה = Ἰεσχα (Gen.)

est, σχ non *sh*, sed *sgh*, alias *sk* sonuisse neque licuisse ob eam caussam Graecis, literis σχ Hebraeorum שׁ significare. Attamen mirari subit, Graecos sono *sh* illo, quem primarium diximus supra, quoque nulla fere lingua caret, caruisse. Sed cum Graeci a Cadmo literam *Σαν*, (Herod. 1, 139.), quae respondet Hebraeorum et Syrorum et Arabum שׁ, ܫ, ش, acceperint, non dubium est, quin Graeci initio et sonum *sh* et literam quandam singularem pro eo in vsu habuerint. Cum vero subinde litera *Σαν* expulsa sit ita, vt figura quidem retineretur, nomine vero *Σιγμα* = סמכא appellaretur; probabile videtur, sonum literae *Σαν* ad sonum *Σιγμα*, siue *s* abiisse, praesertim cum apud Hebraeos, Aethiopes aliasque gentes idem obseruetur. Attamen non repugnat, contra accidisse, ita vt sonus *sh* (*Σαν*) literae *s* (*Σιγμα*) etiam fuerit inditus, aut, quod probabilius adeo est, vterque sonus coniunctus. Non solum enim Graeci, sed omnes fere antiquitas etiam varios eosque affines sonos passim vno eodemque signo, vti vidimus, significare non dubitarunt. Illud saltem negari nequit, literam σ etiamnum apud Graecos duplici modo et lenius et grauius pronun-

---

· סְכָכָה = *Σχαχα* (Ios.) = Sachacha (Vulg.), אַשְׁכְּנַז = *Ἀσχαναζ* (Ier.) *πασχα* = ⲠⲀⲤⲬⲀ = بسكا ጰስከ paska = պասեք, *σχημα* = ܐܣܟܝܡܐ *

ciari [48]. Cum vero σ hodie etiam sonum illi *sh* simillimum passim habeat, neque vero Graeci, quod consuetudini eorum, vti ex superioribus patet, prorsus repugnat, sonos lenes in duros conuertere subinde coeperint, sed contra; vel ob eam caussam maxime probabile est, σ passim etiam aut *sh* aut simillimo modo ab antiquissimis inde temporibus pronunciatum fuisse. Huc facit, quod Graeci Hebraeorum שׁ constanter σ significarunt. Cum enim שׁ, quo loco accurata scriptura requirebatur, χσ redditum sit [49]; haud scio, an non reliquis etiam in locis, praesertim cum Graeci constanter verborum sonum, literarum rationem negligentes, presserint, χσ pro שׁ scriptum esset, si non σ simillimam quandam vim שׁ etiam habuisset. Syri quoque, quamuis plerumque ܣ adhibuerunt, pro σ scripserunt passim ܫ = שׁ; quid? quod Arabes illam literam duabus س ش et, quae propius ad sonum *sh* accedit, ص reddiderunt [50]. Reliquae

---

48) Cf. Schmidt Neugr. Gramm. l. c. Velasti. lib. c. loc. c.

49) Vid. LXX translat. Thren. Cap. 2. ss., quo loco רֵישׁ et שִׁין scripta sunt *Ρηχς* et *χσεν*.

50) Exempla apponamus: *συλλυγισμος* = ܣܘܠܘܓܝܣܡܘܣ *Σαφειρα* = ܫܦܝܪܐ *Ἁλικαρνασσος* = ܐܠܝܩܪܢܣܘܣ *Σαρδες*, ܫܪܕܝܣ *Ἰαειρος* = ܝܐܝܪܘܫ *Κρητης* = اقريطش *Παλαιστινοι* = ܦܠܫܛܝܢܝܐ *Δαρειος* = ܕܪܝܘܫ (Apocr.) *Ἠσαιας* = ܐܫܥܝܐ. *Παυλος* =

literae Graecorum σ referentes scilicet ሰ, S, s, ϲ, ս non habent, quo sonus σ tunc temporis valens accuratius describi possit [51]).

Literam τ interpretes pro Hebraeorum ט, raro pro ת scripserunt atque signis ط nonnunquam ت, ܛ, nonnunquam ጠ, ፐ, raro ተ, տ, ⲧ, T, passim Th, t reddiderunt; φ literis respondet פ, ܦ, ف, փ, F, *ph* et *f*, ⲫ, ፈ [52]),

بُولُص Σεκουνδος = شَاكُونْدُس Καισαρ = قَيْصَر. Nolumus etiam vrgere verba أزمِرنه = Σμυρνα Σειραξ = شِيرَاخ Praeterea Michaelis iam (Gramm. Syr. p. 8. § 2.) suspicatur, Graecorum σ, nimirum ܫ scriptum, passim *sch* valuisse.

51) Λουκας = ሉቃስ = Lucas = lūcas = ⲗⲟⲩⲕⲁⲥ Ղուկաս rel. Addere liceat Gothorum etiam S, a Graecis petitum, passim haud dubie *sch* sonuisse, vti verba *Fisk* (Fisch) *snaiws* (Schnee) al. produnt.

52) Κουαρτος = Կուարտոս (kwartos) = Quartus = ⲕⲟⲩⲁⲣⲧⲟⲥ τιμη = ܛܝܡܐ πραιτωριον = praitoriaun Ἐυτισις = ኤውጢኪስ = Ἐυτυχος = أُوتِيخُس Τιβεριος = طِيبَارِيُوس = Տիբերիոս Ματταθ = ܡܬܬܐ Ματταθιος = matthatiaus, πατριαρχος = በትር : ዖርኽ שָׂטָן = Σαταν, אֱלִישֶׁבַע = Ἐλισαβετ אֶפְרַיִם = Ἐφραιμ, Φαλεκ, Φαραν, Φαρες al. Φηλιξ = ܦܝܠܝܟܣ = فِيلِكس = ፈልክስ = ⲫⲩⲗⲓⲝ

qua in re illud primum offendit, quod φ saepissime loco פ inprimis nomina inchoantis reperitur, deinde vero, quod φ a Syris ܦ redditum est. Sed cum פ, quamuis in capite verborum positum, non solum ab Hieronymo, germanae Hebraiorum pronunciationis atque orthographiae studiosissimo, sed etiam ab Arabibus, ipsis in verbis istis ف scribentibus, *f* pronunciari iubeatur; admodum credibile est, פ iis tantum in verbis sonuisse *p*, in quibus a Graecis π scriptum est, alias vero literae φ = f potestatem tenuisse. Attamen cum Hieronymus פ etiam *p* scripserit atque versio Veneta constanter π necnon Armenii պ = π, cumque Arabes vti aliarum literarum ita ف etiam, ab Armeniis փ (= p) scriptum, tamquam *p*, in *f* vniuerse mutare potuerint [53]; probabilius est פ, quae

---

= Felix Φηστος = ܦܶܣܛܘܣ = فَسْطُس

Φιλημων = Փիլիմոն Φαρισαιος = Fareisaiaus = Pharisaeus. Quod vero ܗ Syrorum ܦ excipiens attinet, supra monitum est, illam literam nonnullis in verbis partim ad accentum et numerum innuendum, partim ad vocales producendas adhibitam esse. Praeterea tenendum, Syros φ constanter mero ܦ reddere.

53) Cf. Hier. Comm. in Dan. 11, 36. e. g. *apadun*, al. Habet Venet. translatio Περεσος = פֶּרֶץ et sic in rel. fere omnibus, quo loco LXX Φαρες scribit. פרק = պրակ כפר = կուպր فَرْسَخ = փարսախ aliter نفط = նաւթ.

vulgaris est sententia, *p* valuisse atque *φ* non solum *f*, sed etiam *p* passim pronunciatum fuisse. Huc apprime facit Coptorum Ⲫ vsus et pronunciatio. Cum enim ⲫ et Ⲡ, quod quidem constanter literis ب, በ, *π* respondet, innumeris fere in verbis promiscue primum adhibita sint atque ⲫ ab Aethiopibus non solum ፈ (= ፍ = *f*) sed etiam በ (Ⲡ = *π*) scripta [54]; clarum est, ⲫ alias *p* alias *f* valuisse atque hinc, cum Copti eiusmodi vsum a Graecis docti sint, *φ* etiam parem habuisse duplicem illam potestatem. — Armeniorum փ, quod refert *φ*, nunc quidem constanter *p* cum spiritu profertur [55], vnde sequi videtur *φ*, cuius loco constitutum est, eadem ratione prolatum fuisse ex ore. Sed cum Armenii serius demum literam ֆ = *f* adhibuerint in scribendo [56] eamque ob causam

54) E. g. ⲫⲉ = ⲡⲉ, quid? quod Ⲫ a Sahitis vti compendium scribendi adhibetur pro Ⲡϩ, e. g. ⲫⲟ = ⲡϩⲟ (ⲡ, ϩⲟ) ⲛⲓⲫⲏⲟⲩⲓ̀ = ጸፈቅ coll. ⲙⲁⲣⲉϥ = ማሬፈ ⲙ̀ⲫⲣⲏϯ = ለምለሬዲ, ϯⲫⲉ = ኤሮግ scribunt etiam Arabes *Ἐπαφρος* Copticum = انافرس (Vid. Hug. l. c.)

55) Cf. Schroeder Thes. Gramm. p. 15. Agop. Gr. Lat. p. 160. Gr. Arm. p. 4.

56) Hanc literam *f* significantem (vti ֆրանկ = Frank = Europaeus) serius Armeniis in vsum venisse, ex eo cognoscitur, quod teste Schroedero l. c. ad computan-

multis in verbis, initio փ, si alias *p*, alias *f* valeret, scriptis, ֆ substituere debuerint; accidit fortasse, vt փ in nominibus S. S. propriis corrigi negligeretur atque alterum illum literae փ = p sonum traheret. Praeterea illud etiam non repugnat, փ subinde sonum *p* subiisse, praesertim cum ֆ = *p* etiam recentioris aetatis litera ab Armeniis Tifliensibus passim *p* pronuncietur [57], qua de caussa probabilius est, փ = *φ* primum, quamuis passim *p* significauerit, in genere quidem *f* valuisse. — Cum Syrorum ܦ, quo *φ* constanter reddiderunt, alias Hebraeorum פ, alias פּ valuerit, desperandum est sane, inde, quo modo *φ* pronunciauerint, cognoscere. Porro cum Vlfilas *φ* constanter F scripserit atque Aethiopes ፈ, cumque F nunc quidem nusquam *p* sed *f* sonum retinuisse videatur atque ፈ non ad *π*, quod ጰ et ፐ scribitur, sed ad *φ* tantum exprimendum inseruie-

---

dum aeque atque օ, antecedens ֆ, non adhibetur; quodque excipit literam օ serius demum, vti constat, pro աւ (*au*) ab Armeniis exaratum. Negat quidem Schroeder, ֆ post օ recte a *multis* scribi; sed adest Agop. (l. c. p. 160. p. 4) grauior eius rei testis nimirum Armenus.

57) Cf. Schroed. Thes. Gramm. p. 304. Sonat. v. g. ֆրանկ alias *Frank* alias penes Armenios Tifliens. *Prank*.

rit[58]); hoc saltem negari nequit, Aethiopes et Gothos literae φ sonum *f* vt primarium tribuisse. Tenendum tamen, ፈ referre Hebraeorum פ (f, p). Idem etiam in Arabes cadit, qui pari modo consona ف vsi sunt. Cum vero versionis Venetae, quae dicitur, auctor pro פּ, quo loco reliqui interpretes haud raro φ habent, vbique π vsus sit, contra pro פ constanter φ[59]); videtur φ ab ea inde aetate velut *p* adhiberi desiisse.

Quamquam negari nequit, interpretes χ tamquam *ch* adhibuisse, cum pro ח et כ innumeris in verbis scripserint[60]); videtur tamen, quod mirum sane est, χ iis sonum etiam *p*, vtut lenis, habuisse. Cum enim כ satis multas easque graues ob causas *k* sonuisse doceatur, atque Graeci etiam כ plurimis in verbis κ reddiderint; offendit sane, quod כ saepissime χ scripserunt, cuius loco, si χ et κ non simillima alias fuissent pronunciatione, constanter κ adhiberi et potuisset et debuisset[61]). Versionis adeo Venetae auctor,

---

58) Vti fahan (fangen) faldan (falden) finf (fünf) fill (Fell) fastan (fasten) faskia (fascia).

59) Nomina afferamus *Σιπορ* (*ὁ Σεπφουρ*) = צִפּוֹר *Παρεσος* (*ὁ Φαρες*) = פֶּרֶץ *Ναφταλις* rel.

60) Huius generis sunt: חלזון = *Χαλαζων*, *Χωρηβ*, *Χετ*, *Χιραμ Χετταιος Ναχωρ*, *᾿Αχαζ*, *῾Ραχαβ* יְהוֹיָכִין = *᾿Ιωαχιν*, *᾿Ισαχαρ*, *Μιχαηλ*, *᾿Ιεχωνιας* aliaque sexcenta. Cf. Hieron. ad Ierem. 19, 2.

61) Exempla sunto: כִּתִּיִּים = *Κιτιειμ*, *Καπερναουμ*, *Κηφας*, *Κεφιρα* (Ios.) alias *Καιφιρα*, *Καρμηλος*, *κεν* = כֵּן coll. כִּי = *χι* (Orig.) כּוֹכָבִים = *Χωχαβιμ* אֶשְׁכֹּל =

quamquam exemplo, puncta nunc vsitata exhibente, haud dubie vsus est, כ passim *χ* scribere non dubitauit [62]. Huc accedit, quod *κ* et *χ* haud paucis in verbis promiscue scripta sunt atque, quod summum est, *χ* locum ק = *κ* passim obtinet [63]. Qua de re haud facile in eam sententiam adducimur, vt credamus, eam quidem scripturam e diuersa earumdem literarum Hebraicarum vt *k* et *ch* pronunciatione profectam esse. — Cum Syri litera ܟ, quae Hebraeorum et כ et ב significat, *χ* reddiderint [64], nequit sane inde cognosci, quo modo eam consonam pronunciauerint; inde fit, vt de sono literis *κχ*, quae a Syris ܟ scribuntur, indito aeque atque de *πφ* = ܦ iudicari non possit. Idem

---

Ἐσχολ (Hier. Escol.) כֹּתֶרֶת = *χοθαρθ* (Sym. Theod.) כֶּרֶם = *χραμ* (Chrys.) יַרְכְּתֵי = *ιερχθη* (ὁ Ἑβ.) כְּנַעַן = *Χαναaν*; aliaque sexcenta.

62) Vti in verbo *Χιλεων* = כִּלְיוֹן, al.

63) Afferamus nomina: *Κεφειρα* = *Χεφειρα*, *Ἀχορ* = *Ἀκορ* (Montf. T. 1. 7, 241) *Ἰαβοκ* = *Ἰαβοχ* (Ios. 12, e. Gen. 32. 22) *Χετιειμ* = *Κιτιοι* (Ez. Dan.) עַזְבּוּק = *Ἐσβουχ* (V. Azbok, Esdr. 5, 16.) יָקִים = *Ἰαχειμ* (al *Ἰακειμ* 1 Par.) יבק = *Ἰαβαχ* (al. *Ἰαβοκ* Ios. 12. 2. Gen. 32, 22) קברות תַּאֲוָה = *Χαβρωθαβα* (V, Montf. Tom. 1. Num. 11, 34) Adde *Σαρουχ* = שְׂרוּג coll. פֶּלֶג *Φαλεκ*. eiq; g. plur.

64) *Χωρα* = ܟܘܪܐ, *χιλιαρχα* = ܟܠܝܪܟܐ, *χειμων*, *χειροτονια*, *Ἀχαια*, *Ἀντιοχεια* aliaque plurima, quae eodem modo scribuntur, coll. ܟܘܡܝܢܘܢ = *κυμινον* ܟܪܘܣܛܠܠܘܣ = *κρυσταλλος*.

cadit in Arabum ك, quod nunc $\varkappa$, nunc χ refert ideo fortasse, quod, quamquam nunc constanter aeque atque ق vti *k* sonat, Hebraeorum כּ et כ respondebat [65]. Cum vero χ Syri passim ܟ = k et ܟ݂ = *ch* atque Arabes خ = *ch* scripserint, probabile redditur, χ vti *k* alias etiam a Syris atque ab Arabibus, quo loco ك et ܟ adhibita sunt, pronunciatum fuisse [66]. — Aethiopum ኸ, quo constanter χ expressum cernitur, quamuis Ludolfo auctore *k* pronunciandum sit, initio Hebraeorum כ (*k*, *ch*) respondisse videtur, quoniam non solum pro Coptorum ϰ et Arabum ك, sed etiam loco ϫ, ϧ (= خ) et خ (= ch) adhibitum sit, vnde non mirum est, ኸ nunc $\varkappa$ nunc χ Graecorum significasse [67]. Inde autem fit, vt de sono χ ab Aethiopibus tributo haud facile iudicari nec nisi id afferri possit, quod Aethiopes χ, si constan-

65) Cf. Michael. Arab. Gr. p. 22. 9. Rosenmüller. Instit. p. 14. Exempla sunto: *Χειμα* = كِيمَا (Mt. 5, 45.) *κυριος* = كِيرِس *κυρια*, *Χασαλευ*, *Χωραζειν*, *'Αντιοχεια*.

66) Huius generis sunt: ܟܠܩܘܡܐ = *χαλκωμα* *'Ευτυχος* = أُوتِيخُس *'Αχαια* = أَخَايِيَا al.

67) Cf. Ludolf. l. c. p. 6. p. 185. Exempla nominemus *'Αχαια* = አኪያያ, *'Αντιοχεια* rel. coll. *Σεκουνδος* = ሲኩንዱስ al. sup. laudata. *Ναχουμ* = ܢܚܘܡ; Item *'Ιεριχω*, *Ναχωρ* al.

ter *k* valuisset, ቀ (= k) constanter scribere potuissent, sin constanster *ch*, literis ኀ (= *ch*) vel ሐ reddere debuissent. Cum vero κχ non ቀ atque ab Arabibus non ق, sed ኸ et ک significatum sit; probabilius est, cum istis literis pro κ plerumque vsi sint atque, ne importuna oriretur ambiguitas, vti debuissent, κχ istis ab interpretibus *chch* pronunciata fuisse. — Coptorum ⲭ, pro χ vbique scriptum, haud raro cum ϩ (= h) permutatur, vnde cognoscitur, praesertim cum ab Arabibus خ pro eo scriptum sit, ⲭ valuisse *ch*; neque vero praetermittendum, ⲕ et ⲭ apud Coptos saepissime in vicem adhiberi, quo, ⲭ etiam *k* sonuisse aeque atque Graecorum χ, probabile redditur [68]. — Armeniorum ք, partes χ agens, quod attinet, profertur nunc *k* idque durum, neque dubium est, quin ea pronunciatio genuina sit, cum loco Hebraeorum כ et Syrorum ܟ et Arabum ک positum exstet [69].

---

68) Exemplo sit ⲭⲟⲡ = ϩⲟⲡ; χα, χω = κα, κω. ⲁⲣⲭⲓⲡⲡⲟⲥ = ارخيبوس ⲁⲣⲓⲥⲧⲁⲣⲭⲟⲥ = ارسطرخس κναναυ = χναναυ; al. Huc accedit, quod χ pro κ Graecorum etiam passim adhibitum est vti ⲫⲁⲗⲉⲭ = Φαλεκ (Luc. 5, 25.) al.

69) Cf. Schroed. Th. p. 16. Agop. Gr. Lat. 160. Armen. p. 4. Huius genera verba sunt χριστος = քրիստոս Ῥαχαβ, Ἀχαζ, Ἰεχονας, Ἀχαια, Ἀχαϊκος, Ἀντιοχεια, Ἀρχελαος, Ἀρισταρχος; Χιος, rel. quae eadem modo

X

Attamen cum ք pro כ atque ܟ et ﻙ, alias haud dubie *ch* valentibus, etiam scriptum sit, admodum probabile est, ք sonum etiam *ch* Graecorum χ tribuisse, quamquam negari nequit, eo loco ab Armeniis խ, quae respondet Hebraeorum ח et Arabum خ atque nunc *ch* profertur, exarari potuisse ac debuisse [70]. — Venimus denique ad Vlfilam nostrum, qui χ, quamquam vno in verbo Ch, quae litera cum Graecorum χ et numero et loco conuenit, reddidit, alias consona K, quae est Graecorum κ, significare non dubitauit [71]. Quamuis vero inde se-

---

modo scribuntur; coll. ככר = քաքար (aliter se habent: כפר = կուպր, כרמיל = կարմիր) כרכם = քրքում כהנא = քահանայ כִּיּוֹן = քարոզ ܡܟܣܐ = մաքս كيس = քսակ (aliter كرباس = կերպաս).

70) Exempla afferamus חול = խոլ חמר = խմոր خب = խաբել بخت = բախտ al. Conf. Schroed. l. c. Agop. l. c.

71) Huius generis verba sunt. του *'Ενοχ* = ainokis = taitrarkes = *τετραρχης*. jairiko, kusa, korazin, lamek, melki, malkos, nakor, sairok, paska, coll. jakobus = *'Ιακοβος* *Καισαρ* = kaiser rel. Verba Ch (*X*) pro χ habentia sunt *Χριστος* = Christos et *Ψευδοχριστοι* = galiugachristjais. Nullum enim in nomen aut verbum Gothicum incidimus praeter illa literam Ch = χ habens, neque a vero abhorret, Vlfilam religione ductum eiusmodi sonum alias eodem signo innuere noluisse.

qui videtur, χ scilicet K scriptum κ valuisse; obseruandum tamen, Vlfilam Ch verbis etiam in Gothicis non adhibuisse, imo sonum *ch*, siquidem verborum seruatorum satis multorum pronunciatio eadem est, atque nunc in Germania vsitata, literis H et K etiam, licet alias *h* et *k* sonuerint, necesse sit, significasse [72]. Deserit itaque Vlfilas etiam rem nostram, cum plane inde, vbi χ aut *k* aut *ch* pronunciauerit, cognosci nequeat. Illud tantum probabile redditur, χ, cum signo alias sono k inseruiente scriptum sit, passim cum k confusum fuisse. Eandem ob caussam, cum κχ ab Vlfila KK scriptum sit, ne hoc quidem pro certo constitui potest, quo modo κχ Vlfilae aetate a Graecis pronunciata fuerint.

Literam denique Ψ, quae agmen claudat, interpretes S. S. Graeci adhibuerunt pro Hebraeorum בט, בש, בצ, פס adeo, vt syllabas etiam diuersas vnius literae vinculo coniungerent et quasi copularent, nec non pro צב, quo loco vsi-

72) Huius generis sunt: briken, gabriken, (brechen gebrochen) bruk (Brauch) waken (wachen) auhsns (Ochs) wahsjan (wachsen) wohrs (Wucher) thahta (dachte) coll. faskia (fascia) ik, sik, mik (ich, sich, mich) karkar (carcer) kaupon (kofen) kaurn (Korn) marks (Mark). Praeterea *k* passim *ch* valuisse, ex eo etiam clarum est, quod k, quo loco sonaret ch, ante consonas constituendum, ne pronuncietur *k*, vti ibi solet, in H (ch) mutatur, quodque k aeque atque G (gh) ad H abit. Huc spectant: *waken* (wachen) *wahtwo* pro *waktwo* (Wacht); ogan, ohto; thangkjan, thahta.

tata illa conspicitur literarum transpositio [73]). Reliqui interpretes nomina Graeca in vernaculas suas linguas conuertentes literam ψ, cum consona quadam diphthongo simili carerent, dissoluerunt ita, vt binas singuli scilicet ܦܣ, ጵሰ, بس, PS, ps, փս substituerent [74]). Copti tantum Graecorum scribendi artem edocti signoque, duplici sono inseruiente, donati, ψ litera ⲯ seruarunt, quam vero initio verbum, cum necio quae verecundia eos impediuerit, precum paragraphos a signo isto apposito incipere, disiunctam et quasi dissectam literis ⲡⲥ reddere operam dederunt [75]).

---

73) Huius g. sunt: תִּפְסַח = *Θαψακον* פְּסַנְתֵּרִין = *ψαλτηρια* (?) (Dan. 3, 15.) רַבְשָׁקֵה = *Ῥαψακης*, הֶפְצִיבָה = *Ἐψαβα* רַב סָרִיס = *Ῥαψαρης* מִבְצָר = *Μαψαρ* צָפְנַת פַּעְנֵחַ pro פצנת = *Ψονθομφανηκ* (Gen. 41, 45.) הֶפְצִיבָה = *Ἐψαβα.*

74) Vti *ὀψωνια* = ܐܘܦܣܘܢܝܐ *ἀψινθος* = ܐܦܣܢܬܝܢ *Αἰθιωψ* = ኢትዮጵያ = Եթովպիա *ψαλμος* = Psalmos = psalmaus = սաղմոս.

75) Huc spectant *ψαλλειν* = ⲉⲣⲯⲁⲗⲓⲛ, ⲯⲱⲧⲏⲣ ⲡⲥⲱⲧⲏⲣ, ⲯⲟⲗⲥⲉⲗ = ⲡⲥⲟⲗⲥⲉⲗ.

CAPVT III.

Consectaria.

§. 1.

Perdita esset opera, qua ad germanam Graecae linguae pronunciationem cognoscendam tot gentium linguas adiuimus, tot scriptorum libros euoluimus, tot omnium generum nomina dispersa et disiecta coegimus, qua barbararum etiam literarum sonum incertum aut subinde mutatum inuestigauimus; perdita, inquam, esset, nisi, quod ab omnibus, qui de eadem caussa hucusque disputarunt, neglectum vidimus, et temporis, quo extiterunt isti libri, et terrarum, quae Graecae pronunciationis testes progenuerunt, iustam nunc haberemus rationem. Non enim, nisi duplici de caussa accidere potuit, vt eaedem Graecorum literae diverse pronunciatae fuerint, scilicet aut terrarum aut temporum diuersitate, quam ob rem ante omnia de singulorum S. S. interpretum aetate et patria exponendum est. Neque dubitamus, quin Erasmus et reliqui primi isti disputatores, si in tantam Graecae pronunciationis discrepantiam incidissent, de genuino Grae-

carum literarum sono nihil prodidissent atque vulgarem vsum ineptum et effeminatum intactum et saluum reliquissent.

Ac primum Graecos V. T. interpretes quod attinet, in tres partes primarias abeunt, scilicet Alexandrinos, a quibus translatio LXX virorum, quae dicitur, superstes profecta est, Hexaplares, quibus ea debentur, quae de Originis Hexaplis seruata sunt, atque versionis Venetae auctorem. Ex his libris exstitit primum Pentateuchus anno haud dubie 285 a. Ch. a Iudaeis nonnullis ex Hebraica lingua in Graecam translatus 76). Ab hoc inde tempore reliquae versiones Graecae atque Apocrypha ex hoc genere conscripta sunt ita, vt libri Iosuae viginti annis post, Esther atque aliorum circa a. 170, hinc Prophetarum, hinc Iesu Siracidae, hinc Hagiographorum, hinc saeculo a. Ch. secundo et primo Sapientiae, Tobiae, Maccabaeorum, Apocryphorum aliorumque, hinc Danielis fortasse post Ch. n. deinceps in lucem prodirent 77). Quamuis vero de singulis istorum scri-

---

76) Cf. Eichhorn Einleitung in d. A. T. T. I p. 340. ss. Bertholdt Einleitung. T. II. p. 524. ss. Vtrum quinque Pentateuchi interpretes (Talmud. Tr. Sopher 1. §. 7.) an plures fuerint, parum ad nostram rem facit. Sufficit plures fuisse eosque Alexandrinos.

77) Cf. Eichhorn l. c. p. 342. Ej. Einleit. in d. Apokr. d. A. T. p. 28. ss. 86. ss. 208. ss. 335. ss. al. De Wette Lehrbuch der Einleit. in d. Büch. d. A. T. p. 52. §. 40. ss. Bertholdt l. c. p. 532.

plorum auctoribus parum constet, qua patria vsi fuerint; probabile tamen est, eos in Aegypto fortasse Alexandriae, quod saltem de Pentateuchi interpretibns constat, atque in Palaestina et Cyrenaica, quod saltem de libris Maccabaeorum valet, degisse. Ex his itaque viris, qui maxima ex parte satis eruditi, docti, atque versati iure laudantur, cognoscemus, quo modo Graecorum literae non solum Alexandriae, sed per maximam Aegyptiae et Palaestinae etiam partem inde a saeculo tertio ante Ch. n. vsque ad initium nostrae aerae pronunciatae fuerint. Tenendum enim, istos viros Graecis literis conscripsisse nomina partim incognita, partim in vulgus nota, quae quidem, si male seruata fuissent quoad sonum, librarii et lectores statim emendassent scribendo. — Interpretes etiam Hexaplares aetate inter se differunt pariter atque patria. Acylas enim, qui vixit Hadriano imperante, in Ponto natus atque ab Hadriano Aeliae Capitolinae aedificandae caussa relictus, in Palaestina degisse traditur; Theodotion, teste Irenaeo Ephesinus, post annum 130 scripsit; Symmachus, qui in Graeca lingua versatissimus Graecus homo fertur, post annum 177. versionem V. T. exhibuit 78). De versionibus, quae dicuntur, quinta, sexta et septima id tantum constat,

78) Cf. Eichhorn l. c. p. 385. ss. 393. 398. Bertholdt l. c. p. 534. ss. 537. 539. 540. ss. De Wette Lehrbuch p. 58.

exstitisse eas paullo serius atque quintam quidem illam in Palaestina. His accedit Origenes Alexandriae natus et ab Ammonio philosopho eruditus, qui anno 231 Hexapla edenda curauit [79]. His Itaque viris doctissimis docebimur literarum Graecarum pronunciationem in Ponto, Asia, Graeca, Palaestina, Aegypto atque, si Graecia Symmachi fuit patria, in Graecia etiam saeculo primo, secundo et tertio p. Ch. vsitatam. — De versionis Graecae, quae Venetiis asseruatur, auctore et patria est quidem adhuc sub iudice lis; satis tamen probabile est, interpretem istum, fortasse Syrum, ante saeculum nonum, serius anno octingentesimo p. Ch. scripsisse [80], vnde fit, vt literarum Graecarum pronunciatio ista aetate in Syria vulgata cognoscatur.

De versionibus S. S. Syriacis primo loco memoranda est Peschito, quae saeculo secundo Antiochiae confecta traditur [81], hinc translatio Philoxeniana, quae Polycarpo auctore Hierapoli in Syria a. 508. in lucem prodiit [82], hinc epistolae catholicae nonnullae et Apocalypsis,

---

79) Cf. Eichhorn l. c. 355. § 168. ss. Bertholdt l. c. p. 543. p. 167. De Wette l. c. p. 61.

80) Cf. Eichhorn l. c. p. 428. Bertholdt l. c. p. 866. ss. De Wette l. c. p. 79. s.

81) Cf. Bertholdt Einleit. T. II. p. 637. s. Hug. Einleit. in die Schrift. d. N. T. ed. II. 1821. T. I. p. 344. ss.

82) Cf. Michael. Einleit. T. 1. p. 180. ss. Bertholdt l. c. p. 652. s. col. p. 663. s. Hug. l. c. p. 357. s.

quas paullo serius in linguam Syriacam conversas cum Bertholdto faciamus [83]. Huc accedunt libri Maccabaeorum, Syracidae aliorumque nonnullorum apocryphi in Polyglottis Waltoni exstantes, qui partim saeculo secundo et tertio, partim quinto et sexto Syriace redditi dicuntur [84]. Ex his itaque sriptis aestumari potest pronunciatio literarum Graecarum apud Syros variis in regionibus saeculo secundo et tertio atque quinto et sexto vsitata.

Ad Coptos eosque Sahiticos religio Christiana mature perlata traditur neque dubium est, quin N. T. huic genti saeculo secundo traditum sit [85]. De versione Memphitica satis constat, eam esse saeculo tertio confectam [86]. Ex quo fit, vt Graecae pronunciationis Aegyptiacae testes habeamus e saeculo secundo et tertio. Huc referendi sunt libri V. T. in linguam Copticam translati, qui partim eiusdem aetatis, partim superioris adeo habentur [87].

Interpretes S. S. Latini exstiterunt in Italia et Africa Romana saeculo secundo, quibus plurimae debentur versiones, atque saeculo quarto, e quibus Hieronymus laudandus est, quorum

---

83) Cf. Bertholdt l. c. p. 665. col. Hug. l. c. p. 334. s.

84) Cf. Bertholdt l. c. T. V. p. 2303. T. III. p. 1055.

85) Cf. Berth. l. c. 678. col. Hug. l. c. p. 390. 392.

86) Cf. Berth. l. c. 681. s. Hug. l. c. p. 392.

87) Cf. Eichhorn l. c. T. I. p. 679. Bertholdt l. c. p. 561.

quidem auctoritate Latinorum saltem veterum hac in re vsus confirmatur [88].

Saeculo quarto Vlfilas, Gothorum episcopus, S. S. in vernaculam linguam transtulit, qui, cum Byzantinis exemplis vsus sit eaque in vrbe saepius versatus, Graecorum, Thracum et Macedonum eorumque cultissimorum huius aetatis pronunciationem exhibet [89].

De versionibus Aethiopicis memorandum, primas earum a Frumentio, qui Alexandriae saeculo quarto ineunte episcopus constitutus in istam terram se contulit, exhibitas esse [90]. Videntur tamen Evangelia, epistolae etc. Apocalypsis diuersos habuisse interpretes. His adnumerandi sunt V. T. libri eodem fere tempore e Graeca in Armeniacam linguam translati [91]. Sunt itaque istorum librorum auctores pronunciationis Graecae non solum Alexandriae, sed in variis Aegyptiae regionibus etiam tunc temporis vsitatae testes.

De interpretibus Armeniis constat, Misrobum atque socios eius, Alexandriae linguam

88) Cf. Bertholdt l. c. p. 718. s. 727. 552. Eichhorn l. c. T. I. p. 700. ss.

89) Cf. Berth. l. c. p. 714. Hug. l. c. p. 462. coll. Zahn. Gott. Bib. Proleg. p. 480.

90) Cf. Berth. l. c. p. 700. Hug. l. c. p. 404. Col. Ludolf. Hist. Aeth. T. III. c. 2. Comm. in Hist. Aeth. L. III. c. 2.

91) Cf. Eichhorn l. c. p. 665. Berth. l. c. p. 558.

Graecam edoctos, versionem cum N. tum V. T. absoluisse anno 410 p. Ch. 92). Quamuis vero lingua Graeca in Armenia etiam illa aetate admodum vulgaris fuerit, cuius vsum Persarum rex interdixerat; faciamus tamen, istos Armeniorum libros, praesertim cum ad linguam Graecam cognoscendam Iohannes Ekelensis et Ioseph Planensis Alexandriam missi fuerint, literarum sonum non nisi illa in vrbe illaque aetate valentem referre.

Inter Arabes plures subinde exstiterunt S. S. interpretes neque vero, quod dolendum est, de aetate et patria eorum satis inter viros doctos constat. Versionis Actorum, epistolarum et Apocalypseos, quae in Polyglottis Waltoni continetur, auctor ipse quidem patriam suam prodidit Act. II, 9. Cyrenaicam; sed dubitatur, vtrum saeculo octauo an nono vixerit 93). Quod vero attinet Euangeliorum translationem apud Waltonum exstantem, probabile est, eam saeculo septimo in Syria quidem ortam esse 94).

---

92) Cf. Bertholdt l. c. p. 559. 688. Hug. l. c. p. 376. Eichhorn l. c. p. 647.

93) Cf. Bertholdt l. c. p. 697. Hug. 427. ss. Quamuis Apocalypseos et epistolarum interpres ab auctore versionis Actorum diuersus fuisse a nonnullis iudicetur; plurimi tamen, vtrosque libros eiusdem indolis et auctoris esse, demonstrare studuerunt.

94) Cf. Bertholdt l. c. p. 694. s. Iudicat quidem S. V. Hug. (Einleit. p. 423) istam versionum saeculo quarto (Socrat. Hist. Ecc. IV, 36.) inter Arabes a Palaestina

De versione Psalmorum et Prophetarum Arabica a Waltono edita id saltem constat, Aegyptum eam habuisse patriam [95]. Quamuis vero de aetate, quae haec aliaque nonnulla, quae respeximus, progenuit, accuratius indicari non possit; admodum tamen credibile est, istos libros post saeculum septimum atque antequam religio Christiana istis in terris exstirparetur, in lucem et vitam prodiisse.

---

versus orientem olim degentes ortam; sed obseruandum, quod hucusque in critica sacra neglectum est, nominum in vtraque versione orthographiam fere eandem esse. Quamquam enim, vt hoc vtar, ϑ, quod alias constanter fere ث scriptum est, in Euangeliis saepius ت sonet, quo profecto Euangelia prius quam Acta et reliqua scripta translata esse confirmari videtur; negari tamen nequit, in vtroque libro eandem fere scriptionem nominum deprehendi, quo probabile redditur, quod alii iudicarunt, vtramque translationem haud multum aetate inter se diuersam esse. Possit quidem ea res eo explicari, vt dicatur, Euangelia ista a Iohanne anno 640. (Cf. Assemani Bib. orient. T. III. P. II. p. 599.) aut Coptico homine, quo tempore in publicum vsum venirent, in nominum etiam scriptione, de quo infra agendum, emendata et patriae consuetudini conformata fuisse; sed, cum genuina istorum nominum pronunciatio quamuis irruentibus barbaris perstitisse sibi necesse sit, cumque Syros et Coptos δ et ϑ, quas literas etiamnum *d* et *th* proferunt, instar Anglorum *th* pronunciasse, ita vt emendari debuerint, probari nequeat: confirmari videtur, quod alii iudicarunt, versionem Euangeliorum et reliquorum N. T. librorum eadem fere aetate ortam fuisse, qua quidem δ et ϑ instar *th* Anglici (= ذ et ث) a Graecis pronunciari coeperit.

95) Cf. Eichhorn l. c. p. 621. s. 629.

Habemus itaque, si singulae interpretum aetates et patriae terrae respiciuntur, Graecae pronunciationis testes *Africanos* Sec. III., *Cyrenaicos* Sec. I. a. Ch. et VII. p. Ch., *Aegyptios* Sec. III, II, I a. Ch. I, II, III, IV, V, VIII p. Ch. *Palaestinenses* S. I a Ch. I, II, III, p. Ch., Syros S. II, III, IV, V, VI, VIII, IX p. Ch. *Asianos Graecos* S. II, *Ponticos* S. II, *Macedones* S. IV, *Graecos* S. II, *Italos* S. II. aliosque incerta patria. Sin istorum scriptorum aetas respiciatur, habemus Graecae pronunciationis testes saeculo III, II et I a. Ch. Alexandrinos, Aegyptios Cyrenaicos, Palaestinenses aliosque in certae patriae viros; saeculo I, II et III post Ch. Palaestinenses, Alexandrinos, Coptos aliosque Aegyptios, Antiochenos aliosque Syros, Graeco-Asianos, Graecos, Ponticos, Italos, Romano-Africanos aliosque incertae patriae viros; saeculo IV Byzantinos et Aethiopes vel Alexandrinos; saeculo V Syros, Armenios, Alexandrinos saeculo; VI, VII, VIII, IX Syros, Cyrenaicos et Aegyptios aliosque incertae patriae viros. Singuli itaque isti interpretes, inde a saeculo *tertio* ante Ch. natum vsque ad *nonum* post Ch. natum singulis fere deinceps saeculis viuentes, mille ducentorum annorum spatium explent. Videamus itaque, quomodo singulis deinceps saeculis pro regionum varietate literae Graecae pronunciatae fuerint.

§. 2.

De vocalibus.

Ac primum vocales *α, ε, ι, ο, ω, ου* apud interpretes S. S. omnes ac singulos iis literis respondent, quae prorsus sicuti Graecae istae, quod e tabula vno veluti conspectu cognoscetur, hodie pronunciantur. Inuenimus quidem, quae supra exposuimus, nomina aliter scripta, in quibus *α* vti *ε* et contra, *ε* vti *ι* et contra, *ο, ω* vti *ου* et contra pronunciata fuisse colligi possit; sed cum rarissima eius generis sint exempla eaque vsu vitaque trita indeque subinde corrupta: pronunciatio istarum literarum, quae vocales quinque primarias constituunt, Graecis nunc vsitata vt vera et genuina iure praedicari potest. Aliter se habet de reliquis.

Vocalis enim *η*, quae nunc sonat *i*, ab interpretibus saeculi III, II, I, a. Ch. I et II p. Ch. omnibus ac singulis scilicet Alexandrinis, Cyrenaicis, Palaestinensibus, Graecis, Asiaticis, Italis, Aegyptiis, Africanis aliisque in terris viuentibus vno consensu *e* idque productum pronunciatum vidimus [96], vnde intelligitur, literae

96) Vid. supr. 68 — 90. coll. not. 38 — 65. Quamuis his in locis nomina huc spectantia e singulis fere translationibus allata sunt; neglex imus tamen, alias nimia apponere exempla. Monitum itaque esto, iis in locis, quibus verba probantia ab interpretibus grauissimis tantum petita exstant, reliquas eiusdem aetatis translationes cum laudatis consonare.

η tanquam $\bar{e}$ sonum per totam Graeciam illis saeculis germanum fuisse. Saeculo etiam III. η a Latinis, Africam inhabitantibus, Coptis vel Alexandrinis, Palaestinensibus aliisque pronunciatum est $\bar{e}$, quamquam negari nequit in versionibus Copticis saeculi II. et III. exstare nomina nonnulla, literae η sonum *i* tribuentia [97]. Ab hac autem pronunciatione Syri plane recedunt saeculo II. et III, qui η, paucissimis verbis exceptis [98], constanter *i* protulerunt. Saeculo p. Ch. III. etiam η a Macedonibus et Aethiopibus vel Alexandrinis vti $\bar{e}$ pronunciatum vidimus ita, vt pauca nomina excipienda essent [99]; quid? quod saeculo V. Armenii vel Alexandrini vbique fere vocali η parem sonum tribuerunt [100]. Saeculis demum VII, VIII, IX Syri, Alexandrini aliique Aegyptii atque Cyrenaici literam η, paucissimis verbis exceptis constanter *i* pronunciasse cernuntur. Quodsi itaque a Syris, de quibus postea videbimus, interpretibus saeculo II. et III. degentibus disceseris, clarum est η, in quo versatur nostrae disputationis finis, in diuersissimis vrbibus atque terris vsque ad saeculum VII. vel VIII. constanter $\bar{e}$ productum valuisse ita, vt inde a sae-

---

97) Vid. s. p. 74 n. 54.

98) V. s. p. 70. n. 44. p. 71. n. 47.

99) V. s. p. 72. n. 50. p. 75. n. 61.

100) V. s. p. 76. n. 65. quo loco verba laudata fortasse excipi possint.

culo II. subinde pluribus in verbis sonum *ι* subiret atque saeculo VII. eam potestatem fere vniuersam apud Graecos susciperet.

Literas *αι* et *ει* S. S. interpretes omnes ac singuli quamuis patria et aetate inter se diuersi inde a saeculo a. Ch. III ita, vti nunc fit, pronunciarunt, ex quo colligitur, sonum *αι* tunc temporis germanum fuisse *e*, vocalium *ει* vero *ῑ* [1]. Cum vero literae, quas interpretes Graeci *αι* significauerunt, sonum etiam *ä* valere potuerint cumque demum Gothorum et Aethiopum ex vsu (saec. IV) certius cognoscatur, *αι* fere *e* sonuisse atque ab hac inde aetate Graeca pronunciatio acrius corrumpi coeperit, probabilius est, quod Latini produnt, *αι* ante saeculum p. Ch. IV plerumque ä sonuisse. Praeterea in literarum *αϊ* et *εϊ* vt dissyllaborum vel diphthongorum pronunciatione pari modo interpretes consentiunt [2].

Quamquam plura de literarum *οι* pronunciatione, saeculo a. Ch. III. et II. vsitata, desiderantur testimonia, certo tamen certius est, Alexandrinos atque alias gentes Aegyptiacas ista signa vti *ö* ex ore protulisse. Saeculo p. Ch. II. et III. quidem Copti et Latini literas *οι*, vti demonstratum est, secundum literas adhibitas *ö* pronunciasse videntur, quae vero sententia eo in-

---

1) V. s. p. 90. ss. not. 90—97. coll. p. 94. p. 102. ss. n. 99 — 18. coll. p. 113.

2) V. s. pp. atque nn. modo laudatas coll. p. 99. ss. p. 123.

certa redditur, quod vtraque gens maiorum hac in re consuetudinem atque veterum pronunciationem sequi potuerit [3]. Saeculo II. et III. p. Ch. Syros *οι* vti ü, atque, de quo dubitari etiam possit, rarissime ö pronunciasse, vidimus [4]. Eundem sonum istis literis tribuerunt saeculo p. Ch. IV. Syri, Macedones, Aethiopes vel Alexandrini, qui tamen aliis in verbis *οι* vti *i* rarissime vti *e* pronunciarunt [5]. His accedunt saeculo V. Armenii, Alexandrinae pronunciationis et patriae etiam testes, qui literis *οι* sonum alias *ü* alias *i* tribuerunt [6], a quibus Syri saeculi VI. eo tantum differunt, quod *οι* vbique fere *i* pronunciauerunt [7]. Saeculo demum VII, VIII et IX Arabes, Alexandrini, Syri, Cyrenaici *οι* constanter i eloquuntur [8]. Cum vero interpretes eiusdem aetatis vtut patria diuersi in pronunciatione literarum, quod postea clarius adeo fiet, alias consentiant atque hoc etiam in loco inde a saeculo tertio mirum in modum consonent quamuis terrarum et marium interuallis disiuncti; non dubium est, quin Graeci literis *οι* saeculo a. Ch. III. sonum *ö*, saeculo p. Ch. II.

3) V. s. p. 136. 137. 138. 139. p. 129. n. 41.
4) V. s. 140. s. 131. ss. col. p. 132.
5) P. 129. p. 40. 43. 44. p. 130 n. 46. col. p. 132. ss.
6) P. 129. n. 43. col. p. 132. s.
7) P. 129. n. 41. col. p. 132. s.
8) P. 130. n. 15. col. p. 133. s.

et III. *ü*, rarissime *ö*, hinc saeculo IV et V alias *ü* alias *i*, hinc saeculo VI plerumque *i* rarius *ü*, qui quidem sonus saeculo VII, VIII, IX. periisse videtur, constanter tribuerint. Quaeritur autem, quo modo *οι* inde a saeculo a. Ch. III. vsque ad saeculum II p. Ch., ex quo quidem tempore desunt testimonia fide satis certa, pronunciata fuerint. Possimus quidem hac in re, cum *ü* non nisi ex ö, vti demonstrauimus, oriri possit, eo euellere scrupulum atque soluere quaestionem, vt illud temporis spatium in duas partes aequales diuidamus atque vtrique illi sono tria fere saecula velut portionem iustam impendamus, eaque ratione *οι* inde a I. p. Ch. saeculo saltem *ü* sonuisse statuamus. Attamen cum iusta ita iudicandi desideretur caussa atque pro lubitu et audacter factum videri possit, caueamus ab argumentis ex arithmetica petitis. Respiciendum vero primum est hac in re diiudicanda, inde a saeculo II. p. Ch. nullum fere exstare exemplum *οι* sono ö conspicuum, ex quo certo certius redditur, dudum ante *οι* sonum ü idque vniuerse in se suscepisse. Huc facit, quod *οι* antiquissimis iamiam temporibus sonum *i*, quod Latini docent, subiit, vnde cognoscitur *ö*, quod etiam vocalis huius admodum fragilis ex ore humano ortus atque natura confirmat (p. 25), apud Graecos satis mature germanam vim exuere coepisse. Quas quidem ob caussas non impedit, quominus *οι* dudum ante saeculum p. Ch. II a Graecis *ü* pronun-

ciatum fuisse statuatur. Iam vero obseruandum, literarum Graecarum sonum subinde tantum atque post tria fere demum et quod excurrit saecula commutatum esse. Vocalis enim *η*, quae saeculo IV vniuerse fere *ê* adhuc valuit, saeculo demum III sonum *i* subiit vniuerse, literaeque *οι*, quae saeculo III. adhuc constanter fere ü pronunciatae sunt, saeculo demum VII. fortasse iamiam VI. constanter vti *i* prolata cernuntur. Plura eius rei testimonia infra etiam se offerent. Quas quidem ob caussas admodum credibile est, *οι* inde a saeculo I. a. Ch. *ü* valere coepisse neque a vero multum aberrare videmur dicentes, *οι* saeculo iamiam p. Ch. I. haud paucis in verbis *ü* pronunciatum fuisse. Cum enim literae Graecae germanum sonum non statim mutauerint, imo subinde tantum pluribus in verbis par vitium, vti vidimus, traxerint; non est, quod dubitemus, saeculo etiam p. Ch. I. maximeque saeculo I. a. Ch. aliis in verbis, vti accidit saeculis antecedentibus proximis, *ö* pronunciata fuisse. Praeterea in literarum *οϊ* pronunciatione variae aetates atque terrae, vnde peti poterant exempla, aeque atque in literarum *ωϊ*, *αϊ*, *εϊ* consentiunt, ita vt de earum vt dissyllabarum aut diphthongorum sono germano nil noui tradi possit 9).

Priusquam de literis *α* et *ε* vnacum *υ* coniunctis videamus, vocalis *υ*, quo loco sola re-

---

9) V. s. p. 142. n. 58.

peritur, pronunciatio pro temporum et regionum varietate vtisata constituatur, necesse est. Scilicet *v* ab interpretibus S. S. Graecis inde a saeculo a. Ch. tertio *ü*, passim *i* pronunciatum vidimus [10]), cum quibus consentiunt saeculo p. Ch. II. et III Syri, Copti, Latini variis in terris viuentes [11]). His accedunt saeculo IV et V Gothi, Aethiopes, Armenii, qui eo tantum differunt ab interpretibus aetate superioribus, quod *v* longe frequentius *i* quam *ü* pronunciauerunt [12]). Saeculo demum VI. et VII. paucissima, ne dicam nulla reperiuntur verba, in quibus *v* apud Alexandrinos aliosque Aegyptios, Cyrenaicos atque Syros *ü* sonuit [13]). Hinc itaque intelligitur vocalem *v* inde a saeculo a. Ch. III. vsque ad saeculum p. Ch. VI. alias *ü* alias i apud Graecos valuisse ita quidem, vt vsque ad saeculum p. Ch. III. rarius *i*, atque inde a saeculo potissimum V. rarius *ü* pronunciaretur, quem quidem sonum inde a saeculo VI. subinde cernitur perdidisse. Valent autem haec de *v* vocali siue ante consonas, siue in fine verborum posita. Literam enim *v* pronunciando correptam atque vocalibus praemissam pronunciarunt *w* saeculo a. Ch. III. vsque ad saeculum p. Ch. III. Africani, Latini, Alexandrini, Cyrenaici, Copti, Palae-

---

10) V. s. p. 55. n. 8. p. 147. n. 60. coll. p. 59. 148.

11) P. 55. 56. n. 10. 11. col. 59. n. 22.

12) P. 56. n. 11. 14. 15. col. p. 59. 147.

13) P. 55. n. 9. 56. 13.

stinenses, Syri aliique [14]), quibus hinc adnumerandi sunt saeculo IV. et V. Gothi et Armenii, qui literam *v* aeque atque Copti tanquam *w* a Graecis receperunt atque adbibuerunt, hinc denique temporibus insequentibus vsque ad saeculum p. Ch. IX. reliquae gentes, a Graecis ita eam literam pronunciantibus doctae [15]).

Literas *αυ* ab omnibus quotquot adiuimus S. S. interpretibus ante consonas atque in fine verborum *au* diphthongi ratione, ante vocales autem *aw* enunciatas fuisse, supra vidimus [16]); qua de rē vix dubium est, quin *αυ* inde a saeculo a. Ch. III. vsque ad saeculum certe IX. duplicem illam apud Graecos habuerint vim. Cum vero *αυ* nunc in Graecia constanter *aw* sonet, certe non absonum est, inde a saeculo X., quo literarum Graecarum reliquarum potestas ea iamiam fuit, quae nunc inualuit, diphthongum *αυ* in *aw* conuerti coepisse. Idem cadit in literas *ευ*, quae saltem vsque ad saeculum V. vniuerse *eu* atque ante vocales *ew* omni tempore pronunciatae fuerunt [17]). Saeculo vero V. Armeniis testantibus *ευ* ante consonas nonnullis in verbis *ew* sonuisse videtur, qua de re admodum probabile est, ab hac inde aetate

14) V. s. p. 197. n. 19. aliaque loca.

15) P. 196. n. 18. 148. ss. n. 61 — 69. coll. p. 154. ss. 157. 160. s. 163. 164. ss. 198 — 204.

16) V. loca modo citata.

17) P. 150. n. 68. col. p. 158. 199. s.

Alexandriae atque in Graecia *εv* istis in locis passim *ew* pronunciata fuisse. Obest autem huic sententiae, quod temporibus insequentibus interpres V. T. Graecus fortasse in Syria versatus saeculo IX. atque Arabes, Cyrenaica, Aegypto et Syria saeculo VII, VIII. et IX. patria vtentes, istas literas ante consonas *eu*, nisi si istam scripturam aliter explicare volueris, atque statuere, *εv* istis in verbis genuinum sonum adhuc tenuisse, pronunciandas tradiderunt. Quod vero *εv* in margine MS. Syriaci versionis Philoxenianae a Thoma Syro Alexandriae versato anno 616. p. Ch. ܐܝܘ = *eiw* artificiosissime scriptum exstat, hoc saltem clarum est, aetate ista *εv* a Graecis *ew* vtique passim pronunciata fuisse [18].

Literarum *ωv* pronunciationis testes habemus Graecos potissimum Alexandrinos saeculo a. Ch. III, atque Latinos, Italos et Africanos saeculo p. Ch. II. et tertio [19], e quibus cognoscitur, *ωv* certe vsque ad saeculum p. Ch. II. diphthongi *ōu* instar apud Graecos sonuisse. Subinde vero, cum *v* magis magisque potestatem literae *i* subiisse constet atque Latini *ωv*

---

18) P. 154. n. 71. p. 149. n. 63 in fin. coll. Bertholdt Einleit. T. II. p. 655. ss. 660. n. 19. 652. col. 661. n. 10. Quod versionem Venetam attinet, non offendit, *εv* ibi pro *eu* adhibita exstare, cum *εv* vtique aliis in verbis, vti reliquis literis subinde male pronunciatis accidit, *eu* adhuc sonare potuerint atque, quod Arabes testari videntur, profecto sonuerint.

19) P. 205. s. n. 25. col. p. 208.

non *ou* sed *oy* saeculo II. pronunciauerint, admodum credibile est, ab ea inde aetate istas literas *ōü* hinc vero *ōï* valuisse.

Difficilius sane est, de sono literarum, *ἰωτα* subscriptum sibi habentium, iudicare, cum paucissima apud interpretes exstent nomina huc spectantia. Quodsi vero paucis verbis inest vis quaedam probandi, ῳ, quod Aegyptii et Syri saeculo p. Ch. II. vti *ō*, atque ῃ, quod Syri saeculo II. et VII. vti *η* alias scripserunt, a Graecis mera ω et η, quod etiam in ᾳ cadere videtur, pronunciata fuisse cogitur. Cum vero ῃ, valens tamquam η, eundem casum et par fatum habuerit necesse sit, admodum credibile est, ῃ etiam, quod nunc *i* profertur, inde a saeculo III. aut IV. sonum *i* subire coepisse atque saeculo VIII. nusquam fere pro *ē* iamiam valuisse.

Cum vero *υ* ab antiquissimis inde temporibus, vti videmus, ante vocales correptum *w*, ante consonas alias *u*, quod in diphthongis *αυ*, *ευ* et *ωυ* obtinuit, alias *ü* sequius *i* significauerit, probabile videtur, quod coniectura assequendum est, *ηυ* vocales praecedentia inde a saeculo a. Ch. III. *ēw*, a III. p. Ch. *īw*, alias vero vsque ad saeculum certe p. Ch. III. *ēu* atque *ēü* vel etiam *ēi* significasse. Iam vero cum *η* ab hac inde aetate passim i, atque *υ* ante consonas alias *u*, alias *ü*, alias *i* valens saeculo p. Ch. VI. passim *w* pronunciatum sit, credibile est *ηυ* a saeculo III inde *īu*, *īü*, *īi* atque a VI. *iw*, quem sonum nunc habet apud Grae-

cos vniuerse, pluribus constanter in verbis valuisse. Attamen cum soni *iü* et *ii* nonnisi difficilius proferri possint atque ab aliis linguis alieni sint; probabilius est, *ηυ* ante consonas nonnisi *ēu* diphthongi instar, hinc *īu*, hinc denique, qui soni optime ex praecedentibus tantum oriri potuerunt, *īw* pronunciata fuisse.

Quodsi sonum literarum *υι* ex reliquarum pronunciatione constituere fas est, *υι* duplici potissimum modo ab huius aetatis Graecis proferri potuerunt. Cum enim *υ* inter duas vocales vti *w* sonuerit, sequitur, *υι* etiam tunc temporis, praecedente vocali, wi proferri debuisse, qua in re tamen admodum probabile est, *υι* post consonas *ui* diphthongum valuisse, alias *ουι* vel *ουει* scribendam. Cum vero *i* inter duas vocales correptum *j* euadat atque *ι* etiam isto in loco a variis S. S. interpretibus vt *j* adhibitum et redditum sit; probabile est, *υι* sequente vocali *iij* sonuisse. Non enim nisi conjectura assequi licet literarum huius aeui potestatem, de quarum pronunciatione, nullis eiusmodi verbis apud interpretes existentibus, edocere non possumus aliarum gentium aut Graecorum vsu.

§. 3.

Quamuis vero vocalium pronunciatio, quam iuuenimus, innumeris fere exemplis confirmata sit et pluribus adeo confirmari potuerit; iusto tamen citius conclusisse singulisque Graecorum aetatibus suum vsum constituisse videmur. Cum

enim vocalium signa a libris Hebraicis, Arabibus et Syriacis initio abfuerint; triplici a parte reprehendendi videmur atque errasse adeo, vt, quod ad aetatem translationum Graecarum, Arabicarum et Syriacarum genitricem retulimus, ad illud tantum tempus referendum sit, quo Hebraeorum, Arabum et Syrorum vocales suis gentibus in vsum venerunt. Quaeritur itaque, vtrum istae gentes alias vocales adhibuerint verbis pronunciandis, quo tempore interpretes Graeci, Arabes et Syri libros conscripserunt suos, atque alias, quo tempore vocalium signa literis consonantibus addi coeperunt. Ac primo quod Arabes attinet, vocales eorum saeculo VII. ineunte, post quod quidem tempus translationes dictae illae demum ortae sunt, scribi coeperunt [20], qua de re, etiamsi ista puncta serius paullo vniuerse recepta dixeris, de vocalium Arabicarum in libris sacris conspicuarum pronunciatione germana iure dubitari nequit. Cum vero Hebraeorum puncta mille fere annis post interpretum Alexandrinorum aetatem adhibitae sint neque vlla lingua tot saeculis genuinam pronunciationem atque ab omni parte integram seruare solita sit, admodum credibile est, vocales Hebraicas saeculo a. Ch. II. III. longe alios sonos tenuisse, quam saeculo p. Ch. VII. vel VIII. Huc facit, quod luculentis documentis

---

20) Cf. Chr. Th. Tychsen Ueber d. Alter d. Aab. Vocalpunct., (Paulus Neues Repertor. T. II. p. 247. ss.)

demonstratum est, haud pauca verba a Tiberiensibus longe aliter, quam ab interpretibus Graecis, pronunciata fuisse [21]. Hinc itaque possint, vt hoc vtamur, verba postea ֵ (*e*) scripta primum *i* habuisse, vnde Graecorum η illa aetate *i* significasse colligi possit. Attamen plurimis iisque certissimis argumentis dudum euictum est, pronunciationem Hebraicam, si vniuersa spectatur, Tiberiensibus vsitatam eandem fuisse atque saeculo a. Ch. III. valentem. Tenendum enim, Graecos, Alexandrinos, Palaestinenses, Cyrenaicos, Asiaticos aliosque, Latinos, Armeniosque inde a saeculo a. Ch. III. vsque ad saeculum IV, quo vocalium signa nunc conspicua dudum adhibita fuerunt, Hebraeorum vocalibus singulis, si a verbis aliis discesseris, eundem sonum tribuisse. Quamuis enim negari nequeat, verba Hebraica haud pauca mutasse subinde genuinum sonum; neutiquam tamen cum multitudine eorum componi possunt, quae genuinam vim retinuerunt, neque praetermittendum, literas pro affinitate sonorum secundum certas atque constantes leges, velut *a* in *ä* et *e*, *e* in *i*, *o* in *u* et contra, *au* in *o* et sic porro a genuina ratione in alienam subinde conuersas esse [22], quo facto ista sententia po-

21) Cf. Gesenius Geschichte der Heb. Sp. p. 207. §§. 54. 55. 56.

22) Possit quidem ea res eo explicari, vt dicatur, Alexandriae aliam fuisse literarum Hebraicarum pronunciatio-

tius confirmatur. Praeterea, etiamsi lingua Hebraica grauissimam pronunciationis mutationem

---

nem atque in Palaestina, ad quam sententiam probandam prouocandum videtur ad Hieronymi verba: *non refert, vtrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro vtantur Hebraei et pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diuersis sonis et accentibus proferantur.* Sed cum hoc in loco nomina potissimum eaque non solum Hebraica, sed etiam Graeca, Latina, alia spectentur, quae quidem, vti vita docet, facillime torqueri possunt, atque de ambiguitate literarum, lectoribus obuersante, agatur; vix inde probari possit, Alexandrinos aliter protulisse Hebraica vniuerse, quam Palaestinenses. Sed alia etiam obsunt grauissima, quo minus assentiamur. Primo enim historia teste populorum linguae eaedem manent, donec variis eorum gentibus quamuis dispersis commune vinculum atque commercium est, qua de re Iudaei euersis demum Hierosolymis variam patriae linguae pronunciationem adipisci potuisse videntur, quod quidem hominum Germanorum in Americam olim traiectorum exemplo illustratur. (*Hecke,* Reise durch die vereinigten Staaten von Nordamerica. Berl. 1820. T. II p. 55.) Deinde si pronunciatio Alexandrina diversa fuit a Palaestinensi, quid est, quod Alexandrini atque Origenes reliquique interpretes Hexaplares nec non versionis Venetae auctor verbis Hebraicis eosdem sonos tribuant? Huc facit etiam, quod scriptores Christiani primi Palaestinenses, siue nouerint, siue ignorauerint translationem V. T. Graecam, nomina Hebraica prorsus eodem modo pronunciarunt atque Alexandrini (Matth. 1, 1. Luc. 3, 23. al. plur.) quae quidem, si aliter accidisset, aut a librariis aut ab Euangelistis vt perperam scripta emendata fuissent. Denique vero, cum interpretes quo magis ad seriora descendunt tempora, eo accuratius cum Tiberiensium pronunciatione consentiunt, clarum est, quo omnis ista pronunciationis diuersitas explicatur, verba Hebraica nonnulla subinde demum temporum lapsu germanum sonum mutasse. (V. Jahn. Gramm. Hebr. ed. IV. p. 4. 75).

postea subierit, sufficit monuisse, *αι*, *η*, *ε* aeque atque *ει* et *ι* iisdem literis reddendis inseruiise Hebraicis, ex quo, vti demonstrauimus, clarum est, *η* et *ε*, *ει* et *ι* sonitu quidem, quod in reliquas etiam cadit, pares fuisse. Restat itaque, cum ex eo, quod Hebraeorum et Arabum vocales serius consonis accesserunt, nihil mutari possit, quam inuenimus, literarum Graecarum pronunciatio, restat de Syriacarum vocalium vsu videre. Coeperunt nimirum a Syris puncta adhiberi numero tria dudum ante saeculum III. [23]), qua de re haud improbabile est, ea quidem in vertendis etiam libris sacris vocibus maxime pronunciatu dubiis fuisse adscripta. Videtur autem punctum literis subscriptum *e*, *i* atque, inprimis illi o admissum, *u* significasse sonosque iis affines, impositum autem *a*, *e* atque, insuper o maxime, *o* vnacum affinibus. Quamuis vero iste punctorum vsus passim satis incertus sit, non dubium tamen est, quin, si ea scribendi ratio adhuc superstes esset in libris Syriacis, de pronunciatione vocalium Graecarum ea aetate edoceri possimus. Cum vero $\underset{\cdot}{-}$ vocales *e*, *i* et *u* etiam, $\dot{-}$ *a*, *e* nec non *o* pronunciari potuerit, curasse subinde videntur Syri, vt nouis signis vocalium soni accuratius describerentur, quo facto $\dot{-}$, vbi significaret *o*, $\dot{-}$ scriptum, vbi vero *e*, in $\underset{\cdot\cdot}{-}$ siue

23) Cf. Michaelis Commentationes. Bremae 1563. p. 170. § IV. Jahn Gramm. Aram. ed. Oberleit. p. 190. 192.

–̤ conuersum videtur. Deinde ne *i* et *u* confunderentur, *i* etiam punctis –̣ innuere studuerunt. His autem vocalibus, quae Iacobo Edesseno saeculo VII. viuenti debentur, et Graecorum et Syrorum vocales omnes ac singulae, quod sponte intelligitur, satis accurate significari potuerunt [24]). Attamen ne his quidem punctis verba Graeca a Syris notata cernuntur, si a paucissimis discesseris, in libris impressis nunc exstantibus. Saeculo enim VIII. demum Theophilus Edessenus, quo accuratius in conuertendis Homeri carminibus Graecorum nominum sonum seruaret, Graecas vocales ܶ (η) ܶ (ε) ܰ (α) ܳ (ο) ܽ (ου) recepit, quae quidem deinde ciuitate penes Syros donatae sunt [25]). Hinc ita–

---

24) Cf. Assemani Bib. Orient. T. I. p. 477. Haec quidem puncta, cum in libris Syriacis (v. c. Polygll. Pariss., Lond., N. T. ed. Gutb.) e MSS. petita reperiantur, non dubium est, quin a Syris serius saltem recepta atque adhibita fuerint, quo illud refutari videtur, quod asserit Michaelis l. c., contra accidisse. (Cf. Waser. Tigurin. instit ling. Syr. p. 9.)

25) Cf. Assemani Bibl. Oriental. T. I. p. 64. quo loco haec habet: „In scriptura huius codicis (a. p. Ch. 861 exarati) maxime notandae sunt quinque vocalium Syriacarum figurae, ad similitudinem Graecarum efformatae, quae punctorum loco vocibus lectu difficilioribus apponuntur. Horum inuentor fuisse perhibetur Theophilus Edessenus Maronita, qui dicessit circa annum Ch. 791. teste Gregorio Barhebraeo (Dyn. X., p. 132.). Nam cum ille Homeri versus e Graeco Syriacos faceret, ambiguas voces vocalibus Graecis notauit nimirum ܰ apposuit pro *α*, ܶ pro *ε* etc.“

que clarum est, cum Graecorum vocales plerumque Theophili signis atque rarius Iacobi punctis redditae sint, illam vocalium Graecarum pronunciationem, quam diximus Syris vsitatam, non ad saeculum p. Ch. II. et III. atque V. et VI, sed ad VII. et VIII. trahendam esse. Theophilus enim cum non nisi eum vocalium Graecarum sonum doceri potuerit, qui tunc temporis vt germanus et verus valeret, non potuit etiam signis istis vti nisi ita, vti orthographiae Graecorum conuenirent. Ex his autem signis primum cognoscitur, Graecos Theophili aetate, vti nunc obseruatur, quinque tantum vocales, quamquam scriptura diuersas, sono distinxisse. Cum enim ex omni vocalium Graecarum numero *η*, *ε*, *ου* (ȣ), *α*, *ο* tantum receptae fuerint atque reliquae iisdem signis significatae ita, vt *ει*, *η* et *ι* vocalis ◌ܺ, *αι* et *ε* vero ◌ܶ, *οι* et *υ* alias ◌ܽ alias ◌ܺ, *ω* et *ο* signum ◌ܳ inseruirent[26]; certo certius est, saeculo p. Ch. VIII.

26) Moneri possit, parum constare, vtrum Theophilus istis tantum signis Graecas vocales notauerit, an aliis etiam; neque improbabile est, praeter istas literas puncta etiam antiquitus orta adhibita fuisse. Multa enim exstant verba, in quibus *ει* et *ι* non ◌ܺ, quod constanter locum *η* obtinet, sed ◌ܻ = *i* scripta aut, neglectis vocalibus, ܝ reddita reperiuntur, vnde iudicari possit, Theophilum antiquam Syrorum scripturam seruasse nec nisi emendare studuisse, atque inde etiam ◌ܺ initio *e* sonuisse, serius cum ◌ܻ confusum. Quamquam vero ea res, quae gravissimi momenti est, codicibus MSS. an-

apud Graecos aut vniuersos aut Syros certe, quos Homeri interpres secutus est, *αι* vti *ε*, *οι* vti *υ* et *ι*, *υ* (*ü*) alias *ι* (*i*), *ει* et *η* vti *ι* sonuisse, quo denuo confirmatur, illam vocalium Graecarum pronunciationem, quam aliis in terris eadem aetate vsitatam deprehendimus, tunc temporis germanam eamque communem fuisse. Videamus vero, an ex Theophili vsu atque S. S. interpretum Syriacorum orthographia de pronunciatione Graeca tunc temporis in Syria valente aliquid colligi possit. Ac primo vix est, quod dubitemus, quin saeculo p. Ch. VIII. primum verborum Syriacorum atque Graecorum in linguam Syriacam receptorum sonus permultorum saltem cognitus adhuc atque vsitatus fuerit in Syria; deinde vero, vti par est, quin antiqua Syrorum scribendi ratio seruata exstiterit. Quodsi enim contra accidisset, non dubium est, quin verba Graeca apud Syros reperiunda ita scripta essent, vti a Graecis, Palaestinensibus, Arabibus subinde aut pronunciata aut ad sonum legitimum exarata vidimus. Iam vero cum *αι* et *ει* — videamus enim nunc de singulis — ab interpretibus Syris signo ܝ scripta sint; clarum est, ista litera non solum *i* sed etiam *e* et *ai*

---

tiquissimis comparandis optime dilucidari possit; nequit tamen pro librorum Syriacorum ratione nunc dubitari, quin primum quinque istis Graecorum vocalibus vocales et Graecae et Syriacae omnes significatae fuerint.

innui potuisse. Cum vero isto modo diphthongus *ei* reddi non potuerit atque ܝ, vbi significaret *ει*, subinde ܶ assumserit; certo certius est, *ει* a Syris interpretibus *i* pronunciatum fuisse. Porro cum *αι* non solum ܝ significata, sed etiam, quod in diphthongis nullo pacto locum habuisset, ita reddita sint, vt aut nulla litera aut punctum adhiberetur; hoc etiam clarum est, *αι* a Syris primum non diphthongorum, sed vocalium modo pronunciata fuisse. Literae *οι* initio ܘ siue, adhibitis punctis, ܘܿ vel ܘܼ significatae cernuntur [27], ex quibus illud statim cognoscitur, *οι* neutiquam primum pro diphthongo valuisse. Attamen cum ܘ non solum *u* et *o* sed etiam *ü* atque, quod Arabes, Armenii, Gothi aliique docent, *ö* significare potuerit, in ambiguo vtique est, vtrum *οι* apud Syros primum *ü* an *ö* valuerit. Attamen cum temporibus insequentibus, vti demonstrauimus, *οι* a Syris plerumque *i*

27) Cf. Iahn Gramm. Aram. ed. Oberleit. p. 190 ss. Mirum est sane atque plurimum offendit, ܘܿ atque ܘܼ vni eidemque sono inseruisse. Cum enim ista pnncta vt vocalium notae primo adhibita fuerint neque eo modo discrimen inter *o* et *u* statui potuerit, cumque Chaldaei et Hebraei etiam puncto superno cum ו coniuncto vocalem *o*, inferno *u* significauerint; admodum probabile est, ܘܿ significasse *o*, ܘܼ vero *u*. Veremur itaque, quamquam nondum nobis codices satis antiquos inspicere licuit, vt falli se passi fuerint grammatici, praesertim cum *u* et *o* non solum subinde inuicem mutari, sed etiam promiscue passim adhiberi potuerint.

pronunciatum sit, neque ö alias statim ad *ι* abierit, probabile est, *οι* interpretum Syrorum aetate *ü* sonuisse. Iam vero cum *οι* in translationibus Syriacis ܘ scriptum reperiatur, illud tantum Theophilo an alii cuidam, qui vocales Syrorum nouas adhibuit, relictum erat, signo ܘ addere ܼ sonum *ü* designans; quod quidem vtique licuit, cum *οι* nonnullis in verbis cum alias, tum in Graecia, vti vidimus, adhuc *ü* sonaret. Quod vero literas *αυ* et *ευ* attinet, ita ab interpretibus scripta fuerunt, vt nihil addendis vocalibus mutare posset serior aetas. Venimus denique ad *η*, quod litera ܝ scriptum exstabat, quae, siue ܝ siue ܝ ܶ adesset, aut *i* aut *e* pronunciari potuerat. Iam vero ܝ pro *η* scriptum initio *e* sonuisse grauissima adsunt argumenta. Primo enim verba Graeca ex hoc genere Syriae illata sunt inde ab Alexandri M. expeditionibus. Is enim atque posteri eius Antiochiam, Syriae caput, aliasque vrbes stiparunt Macedoniis plurimasque illa in terra condiderunt vrbes Graecas [28]. Homines autem isti in Palaestina etiam atque Aegypto aliisque in terris linguam Graecam diuulgauerant, in quibus quidem omnibus ea aetate et postea etiam vocalis

---

28) Cf. Ioseph. Antiq. L. XII. c. 3. Bell. Iud. L. VII. c. 3. Appian. d. reb. Syriac. c. LVII. coll. Strabo. L. XI. in fine. Ios. Ant. L. XVIII. c. 9. n. 8. 9. Cic. pro Arch. poet. c. 3.

η vti *e* pronunciata est. Quid? quod in media Macedonia saeculo adeo p. Ch. III. *η* sonuit *e*. Ex his itaque satis clarum est, a Graecis, Alexandrum secutis, sonum *η* tamquam *i* Syris neutiquam obtrusum fuisse, neque, quod antea demonstrauimus, tria fere saecula sufficere potuisse, ad sonum *η* penes Syros subinde in *i* mutandum. Porro, Syria a Romanis subacta, proconsules et propraetores illa in terra iure dicendo lingua vsi sunt Graeca [29], qua de re, cum Romani *η* pronunciauerint *e*, certa saltem verba, etiamsi *η* subinde in *i* mutatum fuisset, Syris inde vsitata sonum *e* pro *η* retinuissent. Deinde religio Christiana a Palaestinensibus in Syriam translata est, qua de re, cum in terra ista *η* tunc temporis et postea etiam *e* pronunciatum sit, non dubium est, quin plurima nomina, salua pronunciatione legitima, inde inter Syros diuulgata fuerint. Iam vero qui accidere, quaeso, potuit, vt interpretum Syriacorum aetate iamiam huius generis verba corrupta venirent omnia? Accedit, quod verba Syriaca ܶ habentia, ad Armenios patria vicinos delata, *e* pro ܶ referunt [30].

29) Cf. Voyage du Paul. Lucas dans la Grèce, l'Asie mineure et l'Afrique. T. II. pars II. Inscriptions trouvées. N. 5. col. Seneca Ep. XII. de ira L. II. c. 5.

30) Huc spectant քարոզէս = ܟܳܪܶܘܙܳܐ col. լեգա = ܠܶܓܳܐ Qui vero negauerint illud verbum e Syria vicina in Armeniam illatam, concesserint certe, quo prior sen-

Ex his itaque satis clarum est, –, nisi si pro *ē* a Syris primo scriptum dixeris, perperam literis Syriacis a Theophilo aut alio adscriptum esse eiusque vsu pronunciationem Syrorum genuinam periisse. At vero quid est, inquies, quod Graecorum *η* passim vtique – scriptum exstet, quo illud probabilius redditur, *η* a Graecis etiam saeculo p. Ch. II. in Syria saltem plerumque *i*, rarissime *e* pronunciatum fuisse, neque vllo pacto Theophilo licuisset, literis adscribere – (i), quae ex nostra sententia vocalem *e* requirere visae sunt, nisi ita antiqua eaque communis Syrorum tulisset pronunciatio? Non haesitantes respondemus. Ac primo non dubium est, quin saeculo p. Ch. VII. vel VIII. inter viros doctos in Syria constiterit de germano nonnullorum verborum a Graecis petitorum sono, qua de re non offendit, eos, qui primi vocalium Graecarum in libris sacris vsum fecerunt, passim – pro – inuita orthographia ad *η* significandum adhibuisse. Praeterea illud quoque minime repugnat, inter Graecos etiam verba, quae Syri – reddiderunt, tunc temporis genuinam potestatem retinuisse. Deinde vero probe tenendum est, linguam Syriacam inde a saeculo VII. ineunte magis magisque suppressam atque

---

tentia confirmatur, et Syriacum et Armeniacum verbum eandem habuisse originem atque parem sonum retulisse initio vtrumque.

exstirpatam fuisse. Ad eam rem probandam sufficit commemorare, ista aetate verborum sonum nouis signis descriptum esse, quod quidem inutile et superuacaneum fuisset, si vocalium defectus, vti scriptis Hebraicis et Chaldaicis accidit, acrius iamiam non desideratus esset. Praeterea constat, ista aetate Syriam ab Arabibus expugnatam linguamque patriam suppressam fuisse adeo, vt anno 640. Iohannes, Iacobitarum patriarcha, haberet, quod scripta sacra in linguam Arabicam transferret [31]. Accedit denique, quod eodem saeculo Iacobus, episcopus Edessenus, qui de orthographia et punctis vocalibus Syrorum libellum scripsit, atque Paulus Antiochenus queruntur, parum constare de vocalium inprimis Graecarum pronunciatione [32]. Has ergo ob caussas non mirum est, Theophili aetatem, quae quinque tantum Graecorum vocales diuersas atque distinctas nouerat, verbis Graecis apud Syros ciuitate donatis subinde

---

31) Assemani Bibl. Oriental. T. III. p. 549. coll. Bertholdt. Einleit. T. II. p. 694. 697. n. 9.

32) Asseman. l. c. T. I. p. 478. Liber ille Romae MS. proh dolor! adhuc asseruatur. Verba Iacobi sunt: „multi iam ante te et ante nos idem duxerunt optabile (sc. quod petiit Paulus Antiochenus, vt *defectus* scriptionis Syriacae sarciret Iacobus); ne tamen tot libris periret vtilitas, qui manco alphabeto scripti sunt, hoc complementum factum non est.“ Quid sibi vult enim illud: *ne periret vtilitas,* nisi hoc, libros Syriacos absque vocalibus pluribus scriptos non recte praelegi potuisse?

—ι, etiam si cum vsu pugnaret, adscripsisse, quibus in locis η reperiretur. Praeterea illud etiam non absonum est coniicere, Syros verba Graeca, quae subinde a Graecis, quibuscum constans illis fuit coniunctio et commercium, inde a saeculo V. et VI. male pronunciari coeperunt, Graecorum auctoritate fretos proferendo mutasse. Vides itaque, eo etiam, quod libris Syriacis quinque vocalium illarum signa serius accesserunt, nihil, si ab η ac fortasse οι discesseris, mutari de pronunciatione, quam Graecis singulis deinceps saeculis vsitatam diximus. Illud potius inde confirmatur, η saeculo VIII. vniuerse *i* sonuisse, quo facto omnia bene quadrant. Quodsi igitur singula, quae iuuenimus hucusque, comprehenduntur, haec habes certa et firma: literas Graecorum variis in terris vtut diuersis ita pronunciatas fuisse inde a saeculo a. Ch. III., vt valuerint αι = *ä*, ει = *i* vsque ad saeculum p. Ch. IX.; οι = *ö* vsque ad saeculum haud dubie I. a. Ch.; hinc = *ü* vsque ad saeculum p. Ch. certe VII., hinc = *i*; αυ = *aw* et ευ = *ew*, vbi vocales sequuntur *v*, vsque ad hunc diem, αυ = *au* reliquis in locis vsque ad saeculum certe X, ευ = *eu* ibidem vsque ad saeculum VI. vel VII.; υ = *ü* raro *i* — nolumus enim repetere, υ praecedens vocales significasse *w* atque *u* in diphthongis ωυ, αυ et ευ — vsque ad saeculum VI, hinc plerumque *i*; denique η = *e* vsque ad saeculum VIII, hinc = *i*. De reliquis supra monitum est. Obseruandum

tamen, vocales et diphthongos istas non protinus quidem, imo subinde tantum sonum mutasse ita, vt de die fere in dies plura verba similem sonorum mutationem subierint, ex quo fit, quod sponte intelligitur, vt tempus, quo singulae literae certam suam potestatem abiecerint aliamque subierint, accuratius profecto definiri nequeat.

§. 4.

De consonis.

De literis κ, λ, μ, ν, ξ, π, ρ, τ, ψ nulla fuit quaestio, neque de earum pronunciatione recta et salua dubitari iure potest, cum ita prorsus, vt in literis, iis respondentibus, hodie obseruatur, a Graecis etiamnum proferantur.

Quod β attinet, vidimus, hanc literam inde a saeculo III, a. Ch. vsque ad IX. certe p. Ch. V. valuisse inter vocales *w*, atque *b* reliquis in locis [33]. Qua de re β, quamuis sonum *b*, syllaba casu praefixa quadam, retinere debuerit atque praeter consuetudinem sonum *w*, vocales praecedens, passim referre potuerit, non dubium est, quin ea potestate duplici inter Graecos vsum sit. Cum vero β nunc constanter in Graecia *w* pronuncietur, probabile saltem est, β saeculo p. Ch. IX. vel X., quo reliquae et

33) Vid. p. 248 — 257.

vocales et consonae maximam partem eum, quem nunc habent, sonum tenuere, torqueri coepisse.

Literam *γ* Graecorum variae gentes variaeque aetates vsque ad saeculum p. Ch. VII. inter vocales *gh*, alias *g* pronunciarunt[34]. Quamquam vero *γ* passim *gh* aliis etiam in locis sonuisse videtur, cautione tamen quadem opus est in ea re diiudicanda[35]. Saeculo VII. demum atque sequentibus Arabes vel Alexandrini, Cyrenaici, Syri, aliique *γ*, vocales *a*, *o*, *u* praecedens, *ch* verbi *ach*, alias *gh*, raro *g* pronunciarunt[36], qua de re ab hac inde aetate Graeci *γ* eum sonum, quem nunc habet, tribuisse videntur. Quod attinet *γγ*, clarum est, significasse eas literas ista aetate *ng* siue *ngh*, atque etiam, quod apud interpretes Graecos obtinuit, *ghgh*[37]. Cum vero interpretes Hebraicam potissimum loquendi consuetudinem sequi potuerint ac debuerint, dubium est, an serius etiam *γγ* passim ghgh valuerint. Praeterea *γ* ante *κ*, *ξ*, *χ* quoque sonum *n* illa aetate tenuisse, vidimus iisdem in locis.

Δ omnium aetatum et regionum consensu *d* pronunciatum est neque nisi saeculo p. Ch. VII. atque sequentibus verba apud Arabes reperiun-

---

34) V. s. p. 258. — 266. n. 63. ss.

35) V. s. p. 260. ss. n. 67.

36) P. 262. ss. n. 70. 71. 72. ss.

37) P. 261. ss. n. 68. 69. 70. 79. 82.

tur, ex quibus, Graecos δ passim *th* lene Anglorum, vti nunc fit, pronunciasse colligitur [38]. Idem cadit in ϑ, quod tamen eodem tempore, exceptis excipiendis, plurimis in verbis *th* Anglorum valuisse cernitur [39].

De ζ vidimus, eam literam vsque ad saeculum certe IX. *ds* pronunciatam fuisse [40], qua de re ζ serius demum, quo tempore reliquarum literarum sonus peruerti coepit, consonae *s* siue ç, quam nunc habet, potestatem subiisse, probabile est. Attamen pluribus demonstratum est, in pronunciando ζ illud *d* lenius haud dubie auditum fuisse, neque a vero abhorret, ζ serius inde a saeculo III. p. Ch., quod e Gothorum et Coptorum scriptura potissimum cognoscitur, praeter solitum durum illum, etiam lenem *s* sonum passim tenuisse.

Quod attinet literas τϑ, πφ, κχ, pronunciatae sunt primo in Cyrenaica, Aegypto, Palaestina aliisque in terris vsque ad saeculum p. Ch. III. vti ϑϑ, φφ, χχ, deinde vero vsque ad saeculum IX., si a nonnullis parum certis discesseris, vti ϑ, φ, χ. Attamen, cum pro illarum gentium more eaedem literae scribendo non repetantur, vix dubium est, quin τϑ, πφ, κχ sonuerint omni tempore ϑϑ, φφ, χχ [41]. Iam

---

38) P. 269. ss. n. 87. 88. p. 281. n. 11.

39) P. 269. ss. n. 88: ss. 91. ss. 1 ss. 4. ss. 11.

40) P. 283. ss. n. 17. 20. 24. 26. ss.

41) V. s. p. 294. ss. n. 39 — 45.

vero, quod mirum est sane, negari vix potest, φ et χ non solum *f* et *ch* sed etiam *p* et *k* passim valuisse vsque ad saeculum certe IX. [42]). Ab ea enim inde aetate φ et χ plerumque *f* et *ch* pronunciata cernuntur. Hinc autem fit, vt *πφ, κχ*, quamuis alias, quod certo certius est, *ff, chch* sonuerint, passim *pp, kk* valuisse videantur. At vero φ, χ tenuisse passim sonum *p, k* apud Graecos, habemus sane, quod miremur. Cum enim literas *p* et *k* significantes a Phoenicibus acceperint, nec nisi eo consilio φ et χ serius reliquis literis a Graecis addi potuerint, vt pro *f* et *ch* singularia signa exstarent; parum probabile est, consonis φ et χ duplicem potestatem inditam fuisse. Attamen sciendum, initio π et κ aeque atque פ et כ, a quibus originem duxerunt, non solum *p*, *k* sed etiam, quod omni dubitatione caret, *f, ch* significasse, qua de re admodum probabile est, π κ, cum scriptura huius generis verborum ambigua esset atque incerta, mature vtrosque sonos inter se confusos fuisse [43]). Cum vero sequius φ et χ, quo tempore inuentae essent, pro π, κ, vbi *f*, *ch* valerent, substitui debuerint, accidit haud dubie, vt φ, χ eo etiam loco scriberentur, quo π, κ pro Graecorum diuersitate ab aliis, fortasse scriptura seductis, *p*, *k* adhuc pronun-

42) V. s. p. 295. ss. n. 43. ss. p. 305. 206.

43) Ita iubent inscriptiones, vetustissimae, in quibus π pro φ, κ pro χ scripta reperiuntur. *Πιλιππος* = *Φιλιππος*.

ciarentur indeque accidisse videtur, vt φ, χ, locum π, κ obtinentes, inuitae consonarum *p*, *k* etiam potestatem assequerentur. Praeterea χ antiquissimis temporibus etiam *k* valuisse, eo probabile redditur, quod Latini, Graecas literas suas facientes, χ singulari signo seruare neglexerunt, nisi si istam rem eo explicare volueris, vt statuas, quo facto prior illa sententia fulcitur, tunc temporis χ Graecis nondum in vsu fuisse.

Literas σχ ab antiquissimis inde temporibus omnibusque in locis non *sh* Anglorum, sed *sgh* sonuisse, supra demonstratum est, qua de re admodum vituperandi sunt ii, qui σχ ad modum ש siue *sch* Germanorum pronunciant [44]. Attamen, quod nemini adhuc in mentem venit, negari nequit, σ non solum *s* sed etiam *sch* siue ש a Graecis passim pronunciatum fuisse, quae quidem sententia eo etiam confirmatur, quod Graeci σ alias proferunt nunc fere *sch*, qui sonus pro Graecorum vsu non nisi ex mero, puto *sch*, vti vidimus, prodire potuit [45]. Hinc autem sequitur, in literis σχ aeque atque ξ, ψ pronunciandis σ, quod etiamnum apud Graecos obtinet, passim haud dubie fortius sonuisse. Dolendum vero, istam literae σ vti *sch* pronunciationem, cum nulla adsint argumenta, accuratius, quo loco obtinuerit, describi non posse.

---

44) V. s. p. 297. ss. n. 45 — 47.

45) P. 298. ss. n. 47 — 51.

De *v* denique, quod tanquam litera consona huc referendum est, vidimus supra, vocales praecedens, satis correptum, inde a saeculo a Ch. III. ad hunc vsque diem Graecarum valuisse *w*.

Quodsi itaque ea, quae de consonarum pronunciatione ab interpretibus S. S. didicimus, comprehenderis, haec habes: literas κ, λ, μ, ν, ξ, π, ϱ, σ, τ, φ, χ, ψ, γγ, γκ (γξ), γχ, πφ, κχ, σχ, *v* (ante consonas), quamuis eas, quod non nisi vita et vsu cognosci potuerit a Methuschelacho quodam, paullulum diuerse pro temporum diuersitate sonuisse probabile sit, inde a saeculo a. Ch. certe III. ita, vti nunc solent, pronunciatas fuisse. Videntur tamen φ et χ vsque ad saeculum fortasse IX. passim etiam *p*, *k* valuisse atque σ alias fere *sch*. Quod vero reliquas Graecorum consonas attinet, valuerunt β = w, γ = gh inter vocales, reliquis in locis β = b (raro *w*) vsque ad saeculum p. Ch. certe IX., γ vero = *g* (raro *gh*) vsque ad VII. inde a quo tempore γ praecedens *a*, *o*, *u* sonum *ch* siue g verbi *sagen*, alias *gh* siue g verbi *liegen* assumsisse videtur. Literam ζ, quamuis passim *s* valuisse videatur, vsque ad saeculum certe IX. *ds* pronunciatam vidimus, ita vt serius fortasse saeculo X. demum sonum *s* siue ç subire potuerit. Denique vero δ et ϑ ita pronunciata sunt, vt δ saeculo demum VII. atque sequentibus passim ad *th* Anglorum lene abiret, ϑ vero eodem tempore illud *th* plurimis in ver-

bis iamiam valeret. Eam ob caussam ϑ aeque atque τϑ sonum blaesum atque γ sonum *gh*, alias *ch* saeculis nonnullis ante assecutam esse, haud absonum est, vti vidimus, coniicere.

§ 5.

Attamen hac etiam in literarum Graecarum pronunciatione inuenienda iusto citius conclusisse videmur, cum Hebraeorum et Arabum consonae, quorum scripturam et pronunciationem respeximus, serius demum accuratius scribi atque discerni coeperint. Hebraeorum enim puncta, quibus, consonas aliis locis positas aliter sonare, traditum cernitur, saeculo demum VI. vsque ad VIII. p. Ch. adhibita videntur [46], qua de re ad ea tempora pertinere videtur literarum Graecarum sonus, quem saeculis a. Ch. III. atque insequentibus vsitatum diximus. Cum vero in genere quidem, veram esse Tiberiensium pronunciationem, demonstratum sit [47], atque aliarum gentium, maxime Armeniorum scriptura a nobis confirmatum; nihil potest de pronunciatione literarum ea mutari, quam ab Hebraeis didicimus. Quo vero loco a vulgari punctorum Hebraicorum interpretatione discedendum sit, aliarum linguarum ope atque testimoniis aetate superioribus demonstrauimus, vbi de singularum Hebraicarum litera-

46) Cf. Gesenius Gesch. d. Heb. Sp. p. 202. 2. ss.

47) Gesenius l. c. p. 211. ss.

rum potestate quaesitum est. Quod vero Arabum attinet puncta, quibus consonae affines accuratius inter se discretae sunt, orta traduntur ante annum demum p. Ch. 959.[48]. Cum vero hac demum aetate ث a ت, ذ a د seiungi coeperint, sequi videtur, hac demum aetate ϑ et δ eo, quo diximus, modo pronunciata fuisse. Attamen tenendum, Arabes literas etiam Cuficas, quibus inde a Mohammedis tempore atque S. S. interpretes etiam vsi sunt, ita subinde perpoliuisse et auxisse, vt inde a saeculo VIII. p. Ch. fortasse, auctore Tychsenio[49], viginti octo iamiam literas eadem potestate praeditas, atque eas, quae Neskhi vocatae etiamnum in vsu sunt, haberent. Hinc autem intelligitur, ϑ et δ vtique dicto iamiam tempore sonum blaesum illum subiisse, ita vt ratio pronunciationis Graecae, quam supra proposuimus, vix aliter describi possit. Reliquae literae in primis ζ et γ ita ab Arabibus scriptae sunt, vt, quamquam puncta literis serius accessisse dixeris, de earum pronunciatione aliter, atque factum est, statui nequeat.

§ 6.

Iam vero ex iis, quae disputauimus adhuc, alia etiam plurima cognoscuntur, quae aliunde

48) Cf. Michaelis Gramm. Arab. ed. II. p. 4. § 2. Rosenmüller Institut Arab. p. 6. Gesen. Gesch. p. 184, 1. 185, 4. Th. Chr. Tychsen über das Alter der Arab. Vocale etc. Vid. Paulus neues Repertor. Th. II. p. 269. 271. s.

49) Lib. I. p. 266. ss.

vix ac ne vix quidem probari potuerint. Primo enim clarum est, de quo dubitari aliquis possit, Graecam pronunciationem, si aetates haud multum inter se diuersae spectantur, vbicunque locorum eandem fuisse. Possit quidem ad eam sententiam probandam prouocari ad illud, quod linguarum pronunciatio pro regionum varietate nihil mutari solet, vsque dum gentes quaedam eam tenentes, vtut patria diuersae, commune habent commercium communique vinculo coercentur. Historia enim vitaeque vsus optime, inquies, docent, linguas certarum nationum proprias pari modo proferri in patriis finibus easque aut casu aut cultura vniuersa subinde pati, donec homines, communi dialecto vtentes, communi imperio continentur, neque paucis exemplis probatur, gentes diuersas, variam eiusdem linguae pronunciationem fouentes, breui tempore consonare et quasi concinere, si, vinculis, quibus tenerentur, singularibus solutis, in vnam patriam velut membra dispersa in vnum corpus fuerint coactae. Quod quidem in Graecos inprimis cadere, vix est, quod demonstretur. Constat enim, varias Graeciae prouincias, inde a Constantino M. per longum temporis spatium eidem imperio subiectas, communibus legibus paruisse atque, Alexandria florente, vnam fuisse tantummodo ciuitatem, cuius reliquae velut membra caput sequi debuerint auctoritatem. Vrbes enim literis atque cultura pollentes velut imperatrices leges praescribunt omni patriae, quibus

oratio etiam atque pronunciatio accommodantur. Quamuis vero vel ob eam caussam satis certum sit, Graecam linguam per totam Graeciam atque ciuitates finitimas pari modo iisdem temporibus pronuuciatam fuisse; obiici tamen possit, certa huius rei deesse testimonia, quae quidem in translationibus S. S. latuerunt nunc aperta. Dolendum quidem est, scriptores, quos adiuimus, non adeo esse multos numero atque diuersos patria, vt e singulis saeculis singulisque Graeciae prouinciis vel vrbibus Graecae pronunciationis testes habeamus; sed libri etiam pauci, quos diuersissimis in locis eadem aetas progenuit, sufficiunt ad hanc sententiam egregie fulciendam. Habes enim Graecae pronunciationis testes e saeculis a. Ch. III. II. I. Italos, Cyrenaicos, Aegyptios, Palaestinenses, qui quidem omnes ac singuli egregie consentiunt. Quemadmodum γ ante γ, κ, χ pronunciatum est in Italia, ita etiam in Aegypto, Palaestina, Syria, Asia minori, Armenia, Macedonia sonuit. Habes e saeculis I, II, III, IV, V Italos, Africanos, Cyrenaicos, Alexandrinos, Palaestinenses, Macedones, alios vocalem η atque alias vno eodemque modo pronunciantes; quo vero tempore η passim vti *i* prolatum est a Coptis, Aethiopibus, Armeniis, eodem etiam Gothis passim *i* sonuit. Literis οι saeculis II., III., IV., V. non solum Alexandria, sed etiam Antiochia atque Byzantium sonum *ü* et *i* tribuit atque *i* vniuerse saeculis VI., VII., VIII. non solum Arabia, sed

etiam Syria. Quid? quod in reliquarum literarum, quae facillime in variis Graeciae tractibus vario modo, quo nihil frequentius est in aliis terris, proferri potuerant, pronunciatione diuersissima vrbes terraeque consenserunt. Ex his itaque clarum est, literas Graecas, quamuis, quod haud improbabile est, a singulis passim singulari modo pronunciatae fuerint nonnullaeque voces alias paullo aliter fortasse sonuerint, vbique terrarum parem sonum habuisse, aut subinde subiisse eodem tempore. Haec quidem res adeo grauis momenti est, vt inde plurima eaque grauissima redundent. Primum enim, cum Graeci vbique eandem literis suis potestatem tribuerint, clarum est, vnius viri de Graeca pronunciatione testimonium siue Romae, siue Alexandriae, siue Antiochiae, siue Byzantii, siue Athenis mediis vsitata, dum modo clarum et certum est et fide dignum, sufficere ad vniuersum, per totam Graeciam valentem, Graecorum loquendi vsum cognoscendum et diiudicandum. Hinc etiam fit, vt non sit dolendum, quod literarum nonnullarum pro Graecis adhibitarum potestas genuina et germana inueniri non potuit atque inde Graecarum literarum certarum pronunciatio certis temporibus valens constitui. Quo enim loco litera literae cuiusdam Graecae sonum clare perspicueque prodens deest, adsunt alia eius rei testimonia eo certiora et clariora. Hinc vero etiam intelligitur, quod grauissimum est, licere paucorum populorum, quos

videbimus infra, auctoritate fretis progredi etiam in Graeca pronunciatione diiudicanda, ita vt pro certo vtique constitui possit, quem sonum literae Graecae ante aetatem eam, quam docuimus, germanum habuerint eumque vniuersum.

Iam vero perspicitur etiam, qua in re, qui antea de hac re disputarunt, grauissime errarunt [50]), Graecae linguae pronunciationem non statim quidem et protinus inde a Platonis aut Mohammedis aetate, vel Alexandri aut Mohammedis II. neque a Macedoniis gentibus aut Arabibus Graeciam expugnantibus, sed subinde tantum atque a Graecis ipsis corruptam fuisse. Vidimus enim ante istam iamiam aetatem coepisse literas nonnullas male proferri nec nisi subinde variis temporibus plures a genuina ratione deiectas fuisse ita quidem, vt primum paucis in verbis, hinc pluribus deinceps germanam potestatem desponderent. Praeterea Graecam linguam a Graecis Alexandrum secutis non esse corruptam, vel ex eo cognoscitur, quod eadem pronunciatio, quae valuit Byzantii, in Armenia, Palaestina, Alexandriae primis temporibus, Romae etiam, quae Athenarum docta fuit vsum, optimis Graecorum aetatibus vsitata fuit. Obseruandum vero est, literas Graecas ita subinde a communi sono recessisse — sumamus enim, pronunciationem, quam saeculo III. ante Ch.

50) Vid. sup. p. 7. s. n. 16.

vsitatam inuenimus, perantiquam certe esse — vt primum οι, quod e lingua Latina potissimum cognoscitur, hinc υ, hinc αι, η, ευ, hinc denique αυ ante consonas literarum affinium sonum subierint. De literis consonantibus memorandum, primo β hinc γ, hinc ϑ, hinc δ, hinc denique ζ, si a paucis exemplis quidem, hanc literam spectantibus, discesseris, vitium traxisse. Cum vero literae istae non in omnibus quidem verbis suis quaeque aetatibus pari modo perperam pronunciatae fuerint; nequit sane tempus accuratius describi, quo singulae Graecorum literae pronunciando torqueri coeperint. Sunt tamen ea saltem saecula indicanda, quibus literae singulae quaedam pristinam potestatem plane exuisse vidimus. Hoc loco primum commemoranda sunt οι, quae, quamquam antea *ö* sonuerint, saeculo p. Ch. II. et III. vniuerse haud dubie *ü* valuerunt atque saeculo p. Ch. VI. et VII. vniuerse *i*, deinde υ, quod antea *ü* pronunciatum saeculo VI. et VII. constanter *i* prolatum fuit, denique η, quod, vti apud Syros constat, saeculo VIII. vniuerse tamquam *i* vsu venit. De consonis hoc saltem constat, ϑ et γ saeculo VII. atque VIII. eum sonum retulisse, quem nunc habent. Ex his vero tempus etiam, quod statim nobis commodissimum videbimus, quodammodo definiri potest, quod Graecis suffecisse videtur ad sonum literae cuiusdam proprium in alienum eumque affinem mutandum. Cum enim οι saeculo a. Ch. III., quod a Coptis

inprimis discitur, ὀ significauerit, saeculo p. Ch. III. vero *ü*, hinc saeculo p. Ch. VII. *i;* sequitur harum literarum sonum post *tria* vel *quatuor* fere saecula in alium fuisse vniuerse mutatum. Porro η, quod saeculo IV. V. potissimum vti ι pronunciari incepit, saeculo VIII. demum sonum *i* primarium assecutum est, vnde intelligitur, ad η etiam a potestate germana deiiciendum *tria* vel *quatuor* fere saeculorum spatium suffecisse. Idem cadit in υ vocalem. Hinc vero colligitur, δ, quod saeculo p. Ch. VII. passim *th* Anglici sonum assecutum est, saeculo demum X. et XI. vniuerse ita pronunciatum fuisse, vti nunc solet in Graecia. Hoc vero modo facile quiuis sua sponte iudicare potuerit ex iis, quae supra monita sunt, quo tempore literae singulae affinium sonum subire coeperint, quoue confecta eorum sit mutatio velut metamorphosis. Attamen nosse hoc, quod requirebatur ad hanc rem, temporis spatium, vtilissimum et commodissimum etiam nobis erit, vbi de tempore disputabimus, ad quod ea, quam antiquissimam literarum Graecarum inuenimus, pronunciatio trahenda sit. Hoc tantum addere liceat, illam literarum Graecarum in alienos sonos conuersionem non forte fortuna accidisse, imo certas quasdam, quas infra videbimus, ad leges easque humanae naturae conuenientes euenisse.

Porro lites fuerunt inter viros doctos de eo, vtrum Graeci secundum vocalium quantitatem, quae dicitur, an accentuum, qui nunc

in libris Graecis conspiciuntur, rationem verba pronunciauerint. Huic etiam rei multum lucis afferunt, quos audiuimus, scripturae sacrae interpretes. Nouimus enim Aethiopes omnis generis vocales tono accentuque carentes literis VI. classis reddidisse, quae quidem, Ludolfo etiam teste, licet parum accurato, syllabas pronunciando correptas constituunt. Quamquam vero nomina nonnulla ab hac scriptura aliena reperiuntur; satis tamen perspicuum est, Graecos saeculo IV. verba non ita pronunciasse in vita vsuque, vt vocalium velut *αι*, *ει*, *οι*, *ου* rationem a poetis seruatam seruarent, sed ita, vt accentus nunc vsitatos sequerentur. Idem cadit in Armenios, qui, cum scriptura iis non nisi duplex *e* et productum et correptum suppeditaret, certe *ε η αι*, vbi aut correpta aut producta fuerint ab Alexandrinis, saeculo V. ineunte plerumque notarunt. Vlfilas etiam eo, quod pro *ει ι* accentu carentibus *i* correptum scripsit et contra, egregie fulcire videtur sententiam eam, ex qua Macedones etiam saeculo IV. verba secundum accentuum rationem pronunciarunt. Hinc vero sequitur, inde a saeculo p. Ch. I. saltem verba Graeca eo accentu prolata esse, quem Alexandrini postea singularibus signis prodiderunt.

Denique vero, quod addere liceat, traditur, translationem S. S. Armeniacam ad Vulgatae Latinae exemplum saeculo non solum XII. sed etiam XVII. potissimum emendatam atque in-

terpolatam fuisse [51]). Hinc vero, cum idem etiam in nominum scripturam cadere videatur, omnis linguae Graecae pronunciatio inde hausta nullius momenti iudicari possit. Sed tenendum, quod ii, a quibus versio S. S. Armeniaca Italae conformata traditur, ineptum egissent, si nomina etiam, quae ibi exstant propria emendassent, cum Armenii nullo pacto noua et obscura pro tritis in vita et in vulgus notis accepissent. Deinde si in libris Armeniacis nomina nunc Latina exstant, quid est, quaeso, quod *οι* non *oe* sed *ü* et *i*, *υ* non *y* sed *ü* et *i*, *η* non constanter *e* quidem, sed etiam *i* scripta reperiantur pro illius aetatis more? Huc denique accedit, quod verba Graeca ab Armeniis recepta, quas quidem torqueri nullo pacto passi fuissent, eandem scripturam referunt, quae in nominibus conspicua est. Quas quidem ob caussas certo certius est, nominum in translationibus S. S. Armeniacis exstantium orthographiam, quod in critica sacra exercenda alicuius momenti videtur, saluam esse eamque aetatem spectare, qua S. S. Misrobo auctore, scilicet saeculo p. Ch. V. Armeniorum genti fuit tradita.

§ 7.

Venimus denique ad eam disputationis partem, quae finis est atque summa totius libelli. Quamuis enim admodum grauis momenti sit,

51) Cf. Bertholdt Einleit. T. II. p. 560. s. 689. s.

nosse, quod philologis et criticis maxime gratum acceptumque fore ducimus, quo tempore singulae Graecorum literae alienum sonum vniuerse tenuerint; id tamen maxime expetendum est, vt cognitum habeamus, quem sonum literae Graecorum optimis eorum aetatibus siue Platonis, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Aristophanis tempore retulerint germanum. Quaeritur itaque nunc, quaenam literarum pronunciatio apud Graecos inualuerit ante istos S. S. interpretes, siue vsque ad quaenam tempora regredi fas sit inde a saeculo a. Ch. n. III. Graecorum vsu constituendo. Hoc loco duo sunt vel tria tenenda vt primaria, nimirum: illam Graecorum pronunciationem saeculo III. a. Ch. valentem omni ex parte perfectam et humanae naturae conuenientem esse; deinde, verba Graeca a variis gentibus antiquitus ciuitate donata eundem omnia sonum prodere; denique, nonnisi tribus vel quatuor saeculis certam cuiusdam literae potestatem apud Graecos vniuerse perire potuisse. Ac primo clarum nunc est, istam Graecorum pronunciationem saeculo a. Ch. III. valentem ab omni parte rei naturae conuenientem omnique numero absolutam esse. Habes enim primum octo vocales orationis humanae illas primarias *α* (*a*), *αι* (*ä*), *ε* (*e*), *ι* (*i*) *υ* (*ü*), *ου* (*u*), *ο* (*o*), *οι* (*ö*)[52], quibus Graecam

---

52) Vocales istas secundum originem ex ore humano communem dispositas contiuet tabula supra exposita (V. sup. p. 25. p. 224.)

linguam, cum nulla fere vel parum culta iis careat, scilicet cultissimam caruisse, nemo sibi facile persuadebit. Ex his nonnullas duplici modo scriptas vidimus, scilicet *η* *ει*, *ω*, quibus, cum productius prolatae fuerint, vtendis id curasse videntur Graeci, vt scriptura etiam, quo loco vocales *e*, *i*, *o* productius paullo proferendae essent, significarent. In primis autem opus fuit Graecis, pro *i* longo signum quoddam singulare adhibere, scilicet ne *ι* ante vocales corripi atque consonae *j* modo pronunciari possit. Desideratur quidem apud Graecos tunc temporis singularis litera vocalem *å* designans; sed tenendum probe, eiusmodi sonum inter *a* et *o* medium, quod supra p. 24. monitum est, difficilius distingui atque etiamnum a plurimis gentibus, vtut in loquendo subtilibus, modo cum *a*, modo cum *o* scribendo coniungi.

Porro cum *αυ*, *ευ*, *ωυ* ante consonas atque verborum in fine posita *au*, *eu* et *ou* valuerint atque *αϊ*, *εϊ*, *οϊ* quamuis dissyllaba facillime diphthongorum indolem subire pronunciando potuerint; clarum est, Graecos tunc temporis diphthongos etiam in omni oratione primarias scilicet *au*, *eu*, *ou*, *ai*, *ei*, *oi* habuisse. Quod vero consonas Graecorum attinet, vix opus est demonstrare, ista earum saeculo a. Ch. n. III. pronunciatione non solum legibus humanae naturae in loquendo conspicuis satis factum fuisse, sed etiam quatuordecim istas consonantes generis humani primarias nec non ea-

rum partes siue formas primarias adfuisse, quibus Graeci nunc ex parte carent. Praeterea quod Graeci *ι* et *υ* vocales praecedentia satis correpta pro *j* et *w* adhibuerint, in eo tantum abest, vt vituperandi, vt maxime laudandi sint. Nolumus enim repetere, *i* et *u* ante vocales breuiter pronunciandas, sponte consonas *j* et *w* euadere, nisi si aut vox, quod ab orationis sanae ratione alienum est, interpelletur et supprimatur, quasi dissecetur, aut genuina earum literarum pronunciatio, quod scripturae repugnat, continuo mutetur [53]. Deinde illud etiam obseruandum, apud omnes gentes Semiticas, a quibus Graecae literae petitae sunt, *i* et *j*, *u* et *w* vna eademque litera scribi eoque, quo dictum est, modo pronunciari, neque praetermittendum, Coptos etiam *ι υ*, vt vocales a Graecis accepta, constanter ante vocales alias consonantium *j* et *w* modo vsurpasse. Gothi tantum atque Armenii, quamquam hi quidem literam ւ, *ὐ ψιλῷ* respondentem, ante vocales tanquam *w*, alias

53) Exempla apponamus *ταυουσι* et *Ἔυανδρος*, quae quidem verba, qui Erasmum sequuntur autorem, ita pronunciant, vt post *υ* vocis sit otium quoddam atque halitus suffocatio importuna, quod illi facillime sentient, qui istae pronunciationi nondum adsueuerunt. Alii vero *ευ*, sentientes sonos *eu* correptos difficile, vocali quadam sequente, seruari, mutant in *ai* vel *aë* ac si scriptum esset *αϊ*, vocem inde breue tempus supprimentes. Pronuncient modo *ευ* vti *eu* abs arte et labore instar Italorum *eu*, quo facto sponte loco *ai-andros* audietur *ewandros!* Minime vero omnium Anglorum hac in re vsus laudandus videtur, quippe *iu-andros* dicentium, ac si scripsissent Graeci *Ἰου-ανδρος*.

tanquam *u* vel *v* adhibuerunt, *ι* et *υ* ita suum in usum conuerterunt, vt, quo loco consonas valerent, literas *j* et *w* significantes scriberent, quoue vocales, vocales literas adhiberent. Hinc vero illud accidit, vt Gothi atque Armenii, cum duplices sonos cum *ι* et *υ* coniunctos singularibus signis distinxerint, alteram in alterius locum substituere debuerint, vbi literae, *ι* et *υ* respondentes, secundum leges supra dictas *j* et *w*, aut *i* et *u* vocalium potestatem subirent. Quid? quod Latini etiam, scilicet Graecos secuti, *i* et *u* literis suis nunc vocales *i*, *u*, nunc consonas *j*, *w* significarunt. Huc denique facit, quod isto literarum *ι* et *υ* vt consonantium *j* et *w*, quibus nulla lingua caret, vsu iustus Graecarum literarum numerus restituitur. Quamuis vero luce clarius sit, istam Graecorum pronunciationem saeculo a. Ch. III. valentem omni ex parte perfectam et absolutam dici posse; quaeritur tamen, ad quaenam vsque tempora inde regredi possimus iure in potestate literarum constituenda. Inde enim, quod ista Graecorum pronunciatio aptissima et rei naturae omni numero conueniens videatur, non cogitur quidem, inquis, omni eam tempore valuisse, neque praetermittendum, esse quaedam, vnde aliam quandam literis Graecorum nonnullis potestatem fuisse, colligi possit. Primo enim, cum *γ* ante *γ*, *κ*, *χ* sonum *n* habuisse videatur, non intelligitur, qua de re Graeci, qui eius loco *ν* vti potuissent, incertam atque ambiguam scripturam cer-

tae et faciliori illam praetulissent. Deinde cum vocales *e ö*, ad quam rem probandam ex omnibus fere linguis exempla afferri possunt, ex dissyllabis, hinc diphthongis *ai*, *oi* oriantur, suspicio oritur, Graecorum etiam *αι*, *οι*, alia, initio diphthongos valuisse. Quamuis plurima eaque grauissima argumenta in promtu sint ad eam sententiam refellendam aptissima, possumus tamen facili negotio definire tempus, inde a quo ceu termino ista literarum Graecarum pronunciatio inceperit, et quanam aetate literarum Graecarum potestas eadem fuerit, quam saeculo a. Ch. III. nouimus valentem. Ac primo quidem constat, Coptos a Graecis petiisse literas suas ineunte saeculo III. a. Ch. ita, vt eam iis tribuerint potestatem, quam ista aetate penes Graecos haberent vniuersam. Iam vero cum Copti, vt his vtamur, literis *αι*, *ει*, *οι* sonos *ä*, *ī*, *ö* significauerint; sequitur, istas literas, si diphthongos valuerint, inde a saeculo a. Ch. VIII. vocalium naturam passim subire debuisse atque saeculo IV. aut nusquam aut raro diphthongos significasse. Quemadmodum enim ex Syrorum, qui quinque tantum Graecorum vocales saeculo VIII. p. Ch. nouerunt, vsu patet, literas Graecorum nonnullas post IV. vel V. saecula demum alienum sonum vniuerse subiisse atque vno saeculo ante, quod Arabes potissimum probant, eandem vim in maximam verborum partem iamiam exercuisse; ita etiam, quin idem ante acciderit, vix est quod dubite-

mus. Coptorum ergo scriptura id saltem nacti sumus, vt constet, illam Graecorum pronunciationem, saeculo a. Ch. III. valentem, per saeculum etiam IV. vniuerse vsitatam fuisse. Quodsi vero is literarum Graecarum sonus, qui Platonis et Demosthenis aetate valuit, germanus atque verus, vti Mirtisbus Sarpedonius iudicauit [54], habendus est; eam iam inuenimus Graecorum pronunciationem, quam, qui recti cupiunt studiosi haberi, sequantur necesse est. Deinde nouimus verba sexcenta, quae inde ab a. 541. a Graecis in Armeniam, Syriam, Arabiam atque Aegyptum potissimum illata sunt ita, vt *αι*, *ει*, *οι* — reliqua enim mittamus — non diphthongorum, sed vocalium *ε*, *ι*, *ε* siue *ä*, *i*, *ö* ratione pronunciata fuerint. Cum vero ex omni istorum verborum copia ne vnum quidem a gentibus istis ita perceptum sit ex ore Graecorum, vt *αι*, *ει*, *οι* diphthongos valere visa sint; in oculos incurrit, istas literas diphthongorum naturam aut nunquam tenuisse aut, quod saltem negari nequit, dudum ante exuisse. Possit quidem obiici, verba ista apud gentes etiam istas aeque atque apud Graecos secundum leges communes commutata esse; sed vrgendum illud, ne vnum verbum ex iis hanc talem potestatem seruasse. Deinde probe tenendum, quod dudum obseruatum est, gentes Asiam inhabitantes miro modo non solum in moribus vitaeque

54) V. Mirtisb. Sarped. Dissert. de vera Atticor. pronun. Romae. 1750. p. 8. § II. 12.

genere conseruandis, sed lingua etiam atque literarum pronunciatione, quod nostra opera etiam confirmatur, longe magis sibi constitisse, quam nationes Europaeas. Optimo itaque iure contendi potest, istam linguae Graecae pronunciationem saeculo a. Ch. III. valentem saeculo etiam V. saltem, quamquam vltra progregi possimus, in Graecia receptam et communem fuisse. Denique vero huc apprime facit, quod interpretes S. S. Graeci inde ab anno 285. deinceps viuentes *ει* et *ι*, *αι* et *ε* et *η* scribendis nominibus promiscue atque, vti videtur, pro lubitu vsi sunt, ex quo cognoscitur, nemini tunc temporis in mentem venire potuisse, istas literas, istis in locis adhibitas, diphthongos significasse. Nouimus enim, saeculo etiam VIII. p. Ch., quo *η* et *οι* a genuina ratione vniuerse fere deiecta fuerunt, restitisse verba, licet paucissima, in quibus *η* et *οι* valerent *e* et *ö* [55]. Quodsi itaque interpretes Graeci, Graeci inquam iique docti atque Graeciae partim ciues, quodsi nouissent, *ει* et *αι* vel paucis in verbis diphthongos valuisse; non dubium est, quin nullo in loco *ει* pro *ι*, *αι* pro *η* vel *ε* adhibuissent, ne lectionem ambiguam et incertam relinquerent. Quodsi vero illa aetate *αι*, *ει*, reliqua, nullo in loco — tenendum enim, translationem V. T. Graecam non solum Alexandrinis, sed etiam

55) Syrorum o = *οι*, cum primo vocalium signa defuerint, non solum *ü* sed etiam *ö* significare potuisse, supra monitum est.

Palaestinensibus, Asianis atque Graecis vel ipsis, religionem Iudaicam exercentibus, scriptam et traditam fuisse — pro diphthongis haberi potuerunt; non impedit, quominus Alexandrinorum pronunciationem saeculo etiam a. Ch. VI. inualuisse statuatur. Huc facit, quod inde a saeculo a. Ch. III. vsque ad III. p. Ch. literarum Graecarum sonus partim nihil, partim admodum lente mutatus est, quo denuo illa sententia fulcitur, Graecorum pronunciationem saeculo III. vsitatam vsque ad saeculum III. a. Ch. atque tempora seriora etiam recte trahi posse. Quae vero de literis his quidem dicta sunt, ea etiam de reliquis, quod sponte intelligitur, non solum vocalibus, sed etiam consonis valent. Quamquis vero vltra ista tempora progredi possimus, obstant tamen ea, quae supra monuimus; qua de re S. S. interpretes in ambiguo relinquunt, vtrum, ante ista tempora *αι*, *ει*, *οι* diphthongi atque *γγ*, *γκ*, *γχ* fortasse *gg*, *gk*, *gch* valuerint, nec ne. Quod vero consonas attinet, monitum iamiam est, eas, quas Cadmus Phoenix in Graeciam intulit, inde a Cadmi aetate eum sonum tenuisse, quem diximus germanum. Idem etiam de *υ* valere videtur tamquam consona, de qua tamen litera, quae a Graecis inventa Hebraeorum ו non referre traditur, infra denuo atque prolixius disputabimus.

Quamuis itaque officio, quod in nos suscepimus, suffecisse videamur; adsunt tamen nonnulla, quae vix ác ne vix quidem intacta re-

linquere atque negligere velimus. Cum enim plurimi iamiam de literarum Graecarum pronunciatione quaesiuerint atque in diuersissimas in ea re sententias abierint; necessarium videtur, etiam de argumentis videre, quibus alii adhuc commoti, alium literis Graecis, atque a nobis factum est, sonum tribuendum iudicarunt. Liceat itaque appendicis loco quaerere, quid ex lingua Latina atque Graeca vel ipsa earumque, quae aetatem tulerunt, monumentis colligi possit de pronunciatione Graeca; qua in re ita versabimur, vt partim omnia ac singula quaeque, quae alicuius momenti sunt, argumenta pertractemus, quibus quidem aut Erasmi, aut Reuchlini, aut aliorum de germano literarum Graecarum sono sententiam fulcire studuerunt, partim vero, quae in hac disputatione neglecta videbantur grauiora, addamus. Cum vero ista argumenta non solum antiquissima tempora attineant, sed etiam recentissima; speramus fore, vt ea disputatione partim, quod nostra assequi non licuit, cognoscamus, quo modo literae Graecae ante saeculum VI. a Ch. pronunciatae fuerint, partim vero, in quo videamur errasse, conuincamur. His absolutis commodum videbitur, quaerere breuiter — quae quidem res cum fine nostro cohaerent — de literis Graecis subinde vsitatis atque de modo et caussis, quibus germana literarum Graecarum pronunciatio subinde corrupta sit.

I.

De pronunciatione literarum Graecarum linguae Graecae Latinaeque vsu constituenda.

§ 1.

Ingens est atque horrenda fere argumentorum copia, quibus e lingua Graeca atque Latina petitis Graecam pronunciationem constituere plurimi adhuc operam dederunt, neque dubium est, quin eodem ex fonte sexcenta alia atque noua hauriri possint. Cum vero omnis huius disputationis quidem finis a ratione pendeat, qua istis argumentis vtatur aliquis quamque vim iis tribuat — alioquin enim nullus nunc de literarum Graecarum sono dissensus esset inter literatos — id ante omnia curandum est, vt de principiis conueniatur, secundum quae omnis haec quaestio dirigenda et componenda sit. Ac primo quidem tenendum, quod omnis disputationis fundamentum est, Graecos scripsisse verba literis, quae sonum eorum referrent, siue, quod idem sibi vult, suam cuique literae seruasse potestatem, alioquin enim neque diuersarum aeta-

tum neque diuersarum gentium Graecarum singularis verborum scriptura orta esset, quae antiqua siue archaica atque pro dialectorum varietate Dorica, Attica, Ionica dicuntur. Attamen cum inter omnes gentes, libris aurei pretii inter eas diuulgatis, certae scribendi leges oriantur atque Graeci saeculo quinto demum literarum, quae etiamnum in vsu sunt, numerum confecisse tradantur [56]; probabile est, saeculo a. Ch. V. orthographiam Graecam stabilitam fuisse [57], atque ab ea inde aetate literas nonnullas in verbis singulis aliarum etiam potestatem subiisse. Attamen cum antea reliquae Graecorum literae dudum in vsu fuerint, vero simillimum est, multorum verborum atque formarum scriptionem antea iamiam certis legibus fuisse subiectam. Praeterea cauendum, ne principia quod vulgo dicunt, hac in re petantur. Quamquam enim, vt hoc vtamur, *αι* ex literis *α* et *ι* constat; inde tamen non sequitur, *αι* diphthongum *ai* valuisse, cum Graeci literis *αι* alios etiam sonos, de quo quaerendum est, significare potuerint. Videamus nunc de fontibus singulis, vnde ad probandam de sono literarum Graecarum sententiam argumenta peti possint, atque de modo, quo iis, temporis maxime ratione habita, vtendum sit.

---

56) Cf. Plinii Histor. nat. Lib. VII. c. 56.

57) Cf. Thiersch Griech. Gramm. p. 19. not. 4. Hinc accidit enim fortasse, vt inscriptiones ex hac aetate literas nonnullas non habeant, velut *ξ*, *ω*.

Ad potestatem literarum Graecarum germanam e lingua Graeca cognoscendam faciunt primo variae Graecorum dialecti, verborum antiquorum ratio atque formae, quae dicuntur, grammaticae. Quamuis vero triplici hoc ex fonte pronunciationis Graecae antiquissimis temporibus vsitatae cognitio hauriri posse videatur; difficillimum tamen apparet, inde certum constituere, neque multum abest, quin, cum dialectorum potissimum Graecarum natura nihil fere adhuc perspecta sit, linguae Graecae vsu iisdem literis non solum duplex, sed etiam triplex et quadruplex potestas iure tribui possit. Necesse est itaque, vt videatur ante omnia de dialectorum Graecarum origine atque diuersitate. Ac primo quidem monendum, linguam Graecam initio non nisi vnam fuisse atque dialectos varias, in quo, qui aliter statuerunt, grauissime errasse videntur, non eo ortas esse, vt lingua Graeca cum barbara quadam commixta esset, sed eo, vt variae Graecorum gentes a patria auulsae singulares ciuitates constituerint atque singularibus imperiis subiectae vitae rationem mutauerint. Quodsi enim variae Graecae dialecti illae ortae essent e commistione Graecorum cum aliis gentibus; non accidisset, vt Graeca lingua quamuis in varias dialectos diuisa iisdem verbis et nominibus constaret, vbique fere in Graecia vsitatis, sed id quidem euenisset, vt Graecorum dialecti ita inter se diuersae exstiterint, veluti lingua Graeca atque Latina, quam

Italia populis Graecis distincta et quasi intertexta progenuit, vel lingua Itala et Gallica aut Hispanica, vel Germana et Anglica, quae quidem simili quodam modo ortae sunt. Iam vero si Graeca lingua initio vna fuit, quaeritur, qua in regione prima siue gens siue colonia Graeca sedem habuerit. Quamquam difficillimum profecto est, hac de re iudicare, probabile tamen videtur, quod historia testâtur, Graecum populum ortum esse, ex quo tempore inde ab anno 1514. a. Ch. Hellenes, postquam Pelasgos aut expulerant, aut subiectos sibi secum coniunxerant, Peloponnesum atque terras finitimas expugnarunt. His itaque in terris hacque aetate antiqua atque prima eaque communis Graecorum lingua inualuerit necesse est, cuius nulla proh dolor aetatem tulerunt monumenta. Attamen cum his in regionibus postea dialectus Dorica in vsu fuisse dicatur atque saeculo a. Ch. VIII. coloniae Graecae inde in Siciliam et Italiam deductae fuerint; habemus certe scriptores Doricos scilicet antiquissimos atque verba Graeca in linguam Latinam recepta, e quibus ratio primaeuae Graecorum linguae ex parte quadam cognosci possit [58]. Ab hac communi

58) Quamuis dialectus Aeolica a Dorica diuersa tradatur, simillima tamen ratione fuisse videntur (Cf. Strabo VIII. p. 333. *την Δωριδα τῃ Αἰολιδι την ἀυτην φαμεν.*) qua de re, praesertim cum pauca eius monumenta supersint, nullum hoc loco, quo obiter tantum haec res tractari poterat, vtriusque dialecti discrimen fecimus.

Graecorum oratione Attici atque gentes finitimae primum discessere. Postquam enim Cadmus tempore insequenti Thebas, Ceres atque Triptolemus, Atticam ingrediendo, Graecae ibi culturae fundamenta iecerant, mutata fuerit iis in terris lingua communis necesse est. Cum vero istis in ciuitatibus Graeci prae reliquis primum fere artium humanitate, quod Musaeus, Thamyris, Chiron, Hesiodus etiam testantur, eruditi fuerint; sequitur, linguam Graecam in Attica terrisque vicinis fortasse Boeotia, Phocidi, Euboea, Thessalia, Achaia, Argolidi [59] differre coepisse a Dorica ita, vt cultior et expolitior euaderet. Cum vero inde ab Heraclidarum incursionibus Iones patria expulsi Atticam occupauerint atque post a. 1200 a. Ch. in Asiam minorem traiecti fuerint; noua subinde dialectus scilicet Ionica prodierit necesse est ex Attica. Cum vero Ionia omnium fere artium atque disciplinarum Graecarum patria fuerit; clarum est, dialectum Ionicam cultissimam primo a genuina Graecorum lingua maxime omnium recessisse. Iam vero quaeritur, quae ratio dialectos illas inter initio fuerit quibusue in rebus altera ab altera discesserit. Quamuis huius caussae tenebris studio curaque diligente plurimum lucis inferri possit; a nostro tamen fine nimis alienum videtur, accuratius in eam rem inquirere,

59) Cf. Pausan. II. 37. Ante Heraclidas *την αὐτην ἀφιεσαν Ἀθηναιοις οἱ Ἀργειοι φωνην.*

qua de re non nisi primaria attingamus. Primo loco memorandum, tres illas Graecae linguae dialectos, quas, licet plures constitui et possint et debeant, primarias veteres etiam dixerunt, inde a quo tempore exstiterint partim suo quasque modo excultas atque expolitas esse, partim vero, quod huic quaestioni inprimis impedimento est, non integras et saluas perstitisse. Cum enim vniuersa Graecia subinde in omni artium et literarum genere inclaruerit, necesse est, omnem etiam Graecorum linguam siue varias eius dialectos subinde excultas atque emendatas esse. Eam ob caussam admodum cauendum est, ne in dialectorum indole demonstranda argumenta e scriptoribus Doricis, Atticis, Ionicis aetate valde diuersis afferantur. Aliae enim fuerunt Graecorum dialecti, quo tempore primum ortae sunt, aliae, quo artes literaeque bonae in variis Graeciae tractibus floruerunt. Neque vero istae Graecorum dialecti naturam suam integram seruarunt atque liberam singulae a reliquis. Primo enim, cum libri apud omnes gentes primi vim quandam in linguam vulgarem exerant atque, si egregiae indolis sunt, id efficiant, vt scriptores aetate sequiores priorum auctoritatem sequantur et ad eorum exemplum, veluti communem ad scopum cursum dirigentes, sua scripta componant; admodum probabile est, Musaei, Hesiodi, Homeri aliorumque carminibus nonnullas verborum flexiones dicendique formas in dialectum Doricam, Atticam atque

Ionicam esse illatâs, quibus antea caruerint. Deinde constat, Atticam non solum bello Persico, sed etiam Peloponnesiaco maxime cum Doricis gentibus versatam fuisse, qua de re vix dubium est, quin dialectus Attica, Doricae aliquid traxerit et contra. Nolumus enim bellum Thebaicum atque Troianum commemorare, quae in dialectos istas similem quandam vim habuerint necesse est. Porro cum Heraclides atque Dorii Peleponnesum occupasse tradantur, hoc etiam probabile est, linguam istis in terris vsitatam his gentibus inde mutatam fuisse. Cum vero Iones in Asiam traiecti in coloniam Aeolicam incidisse atque postea cum Doriis eandem terram petentibus coaluisse narrentur; clarum est, Ionicam etiam dialectum reliquorum proprietatibus mixtam atque mutatam prodiisse. Eas quidem ob caussas non mirum, in singulis quibusque Graecorum dialectis reperiri, quae ad reliquas potius pertinere videntur. Attamen cum istae Graecorum gentes aut breue tempus cum aliis coniunctae aut coloniis parum numerosis commixtae fuerint atque in vitae genere, cui deditae essent, perstiterint necesse sit; exspectare licet, singulas Graecorum dialectos, plurimis certe in caussis satis inter se diuersas, aliam ab alia distingui posse. Videamus itaque, vtrum dialecti Doricae ab Attica et Ionica diuersitas et contra certis quibusdam legibus, quatenus eas nosse hoc loco interest, subiici possit, ita quidem, vt primum de discrimine quaeratur,

quod antiquiorem et recentiorem earum rationem intercedat 60).

Doricos scriptores veteres habemus Alcaeum, Pythagoraeos, Sapphonem, Epicharmum aliosque, quibus Pindar adnumerari possit, recentes Theocritum, Callimachum, Archimedum, Bionem, Moschum aliosque. Cum vero ante eorum ae-

---

60) Ex iis, quae adhuc breuiter et obiter disputauimus, satis iam clarum est, omnem fere de dialectis Graecis doctrinam mancam et mutilam esse. Quod enim demonstratur, singulas Graecorum literas cum reliquis omnibus vicem egisse; possit inde aliquis probare, nullas fuisse dialectos Graecas siue vnam tantummodo vbique obtinuisse linguam Graecam. Qui ergo in posterum de dialectorum natura disputabunt, id curabunt potissimum, vt doceatur, quae literae plerumque, quae raro inter se in dialectis Graecis commutari soleant, qua in re non Grammaticorum et Scholiastarum, quamquam certis in locis aliquid auctoritatis iis tribuendum est, placitis vtendum, de quorum origine, passim dubio, ne constat quidem, sed exempla, quam multa demum possunt, afferenda sunt e scriptoribus Graecis petita. Deinde temporum ratio inprimis habenda videtur, ne, quae voces atque formae antiquae siue archaismi sunt, dialectis tribuantur, quo facto de dialectis constabit quauis fere Graecorum aetate vsitatis. Scilicet hac in re caute poetarum scriptis vtendum est, quippe veterum autoritate fretis a vulgaris vitae vsu recedentibus. Possit autem omnis haec disputatio duobus capitibus altero generali, altero speciali absolui ita, vt primo in tres partes dispartito doceatur, quae literae in singulis dialectis soleant aut commutari inter se, aut elici, aut addi. Non possunt enim in genere quidem variae eiusdem linguae dialecti differre nisi eo, vt literae et consonae et vocales aut alienae aut nouae reperiantur, quae in reliquis atque lingua communi desint, aut negligantur, quarum alias conspiciatur vsus.

tatem Dores variis temporibus in Italiam traiecti verba Graeca in linguam Latinam intulerint, Latini vero a Graecis seiuncti serius demum et mores et linguam erudiuerint; habemus verba Latina a Graecis petita antiquissima dialecti Doricae monumenta. Hinc fit etiam, vt ex lingua Latina antiquissimae eaeque primae Graecorum linguae ratio inprimis cognosci possit. Quod vero vocales et consonas attinet, e quibus eae tantum respiciantur nunc, de quarum pronunciatione constat, differt dialectus Dorum antiqua a recenti eo, vt illa habeat *α* pro *ε* saepissime, pro *ι* rarius atque aliis vocalibus nonnullis, *ε* pro *ι*, *ο* et *ω* pro *ου* saepissime atque *α* et *ε*, *κ* pro *γ* saepius, *π* pro *β* saepissime, *ϱ* et *τ* pro *ς* saepissime [61]. Atticos scriptores veteres habemus Anacharsem, Solonem,

---

61) Exempla apponamus: maneo = *μενω*, cancelli = *κιγκλιδες*, *ὠν* = *οὐν*, *κακαγοϱος* = *κακαγοϱους* (Pindar.) *ὀνω* = *ἀνω*, *στϱοτας* = *στϱατας* *στολεις* = *σταλεις*, *νωμω* = *νεμω*, *πωλω* = *πελω* silex = *χαλιξ* coll. sibe, quase, Menerua, leber, magester, in quibus *e* postea *i* sonuit, misceo = *μισγω*, pasco = *βοσκω*, Canopus = *κανωβος*, *Μιλησιοϱ κλεοϱ* (Spart. ap. Boeth. de Music. et Marmor. Oxoniens.) turris = *τυϱσις*, myrtos = *μυϱσος* *Ἀϱταμιτιον* (Laco ap. Arist.) plura vid. Maittaire de dial. ed. Sturz. p. 202. Huc spectat imprimis clipeus Telecli (*Fourmont*), in quo, licet *χ*, *υ* reperiantur ibi, *κ* pro *χ*, *ο* pro *ου* scriptum est (*ΑΡΚΕΛΑΟ* al.) Cf. Hug. Erfindung der Buchstab. p. 73. s. Quod enim et veteres et recentes (*χ υ*) literae ibi adhibentur, eo quidem huius inscriptionis auctoritas nihil infringi videtur. Videatur etiam *Boeckh.* die Staatshaushaltung der Athener. T. II. p. 327.

Aeschylum, Lysiam, Aristophanem, Thucydidem aliosque; recentes Menandrum, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Apollodorum aliosque. Cum vero Hesiodus et Homerus vel Homeri eo tempore cecinerint, quo dialectus Ionica haud multum ante ex Attica prodiret atque vtriusque gentis lingua eadem esset; possint poetae illi antiquae Atticorum dialecti testes adhiberi. Attamen cum carmina illa non scripta, sed canendo recitata haud dubie ad eam aetatem peruenerint, quae literis ea mandauit atque rhapsodias dispersas antea veluti membra disiecta in vnum corpus coegit; satius videtur, Homeri et Hesiodis carmina, praesertim cum subinde vitae communis vsui passim accommodata fuerint necesse sit, dialecti Ionicae scilicet antiquae monumenta adhibere. Differt autem dialectus Attica antiqua a recenti inter alia eo, vt habeat *α* pro *ε* saepissime, *ο ω* pro *α ου*, *κ* pro *γ*, *ϱ* pro *λ σ*, *τ* et *ττ* pro *σ*, *σσ* saepissime [63]. Ionici scriptores sunt aetate priores Homerus, Hesiodus, Anacreon, Thales; po-

62) Cf. Fischer ad Weller. Gr. p. 40. 41. s.

63) Vti *λεως* = *λαος* *νεως* = *ναως* alia plur. (Soph. Aesch. Arist. Thuc.) *κρωζω* (Arist.) *μυλοχαι* (id.) *καλω* (Arist.) = *καλου* *κναφευς* (Ar.) *κριβανος* (Ar.) *ταῤῥος* (Ar.) = *ταρσος* (Dan. interpr.) *μυῤῥινη* (Ar.) = *μυρσινη* (Aeh. int.) *τημερον* = *σημερου* *τευτλον* (Ar.) = *σευτλον*, *γλοττα*, *πραττω* eiusque generis sexcenta alia, quorum maximam partem Attici aetate seriores *σσ* scripserunt.

steriores Herodotus, Hippocrates, Arrianus aliique, qui ita, missis aliis, inter se differunt, vt illi vsi sint *α* loco *ε* plurimis in locis, *ε* loco *ι*, *ω* loco *α*, *π* loco *κ* saepissime. Iam vero ex his, quibus alia exempla plurima addi possint, duo cognoscuntur primaria, scilicet singulas Graecorum dialectos subinde mutatas esse atque, quod summum est, ita excultas, vt loco literarum durarum et pronunciatu difficilium molles et faciles adhiberentur a Graecis. Cum vero dialecti istae magis magisque a genuina ratione discesserint; sponte intelligitur, initio eas longe similiores et propinquiores sibi inuicem fuisse. Dialecti enim linguarum oriuntur eo, vt soni affines cum maxime affinibus certas quasdam ad leges commutentur. Deinde vero, cum Graecorum dialecti aeque atque mores subinde erudiri et perpoliri perrexerint, id nacti sumus, vt linguae Graecae variis in terris primum vsitatae ratio velut restitui possit. Vidimus enim, quod literarum vocalium atque consonarum secundum affinitatem suam dispositarum tabulae supra exhibitae docent, dialectorum rationem antiquam inter et recentem hoc discriminis esse, vt Dores, Attici, Iones pro vocalibus aut ore distracto proferendis faciliores, velut *ε* pro *α*, *ι* pro *ε*,

---

64) Huc spectant accuss. in *εα* pro *αα* (*δεσποτεα*), neutra declination. tertiae (*τερεος* = *τεραος*) verba in *αω* (*ὁρεων* = *ὁραων*) alia plurima (*τεσσερες*) *ἱστια* = *ἑστια*, *χειω* (Hom.) *ὁκως*, *κοιος*, *κοσος*, *κως*, *κοτε* al. (Herod. Hipp. Pherecyd.)

aut retorta lingua enunciandis commodiores, velut α, ε pro ο, ου adhibuerint atque in locum consonantium occluso ore aut parum aperto hincque incommode eloquendarum aptas magis et lenes velut σ, σσ in locum τ, ττ, ϱ; β et κ in locum π, γ in locum κ substituerint. Iam vero cum Graecorum dialecti seriori demum tempore sonos leniores assecutae sint; sequitur, primum eas literis duris et raucis vt genuinis abundasse. Hinc itaque quaerentes de antiqua dialecti Doricae, Atticae atque Ionicae ratione, quam nosse notra inprimis interest, haec habemus obseruanda, vt primo caueamus a verbis, in quibus literae nihil affines iis reperiuntur, quibus eadem verba in reliquis dialectis conscribuntur. Eiusmodi enim verbis accidisse videtur, vt literae duplicem vel triplicem subinde vicem egerint. Deinde eae verborum formae singulis in dialectis maxime respiciendae videntur, quae antiquitatem redolent. Quodsi enim in verba inciderimus ex eodem genere alia literas duras et raucas, alia lenes et molles tenentia; non possumus, nisi illis hac in re auctoritatem tribuere. Postremo, vbi singulae dialecti duplices habent earundem verborum formas, aut antiquas aut recentes, sponte intelligitur, quaerentes de antiqua dialectorum habitu non nisi antiquam verborum rationem sequi debere [65].

65) Hinc etiam intelligitur, quomodo primaeua Graecorum

Differt dialectus primum Dorica ab Attica atque lingua Graecorum communi eo, vt, quod vocales attinet, literas sono grandiores habeat pro exilioribus velut *α* pro *ε*, *ε* pro *ι*, *ο ω* pro *ου*, deinde ortu profundiores, quas obscuras dicere liceat, pro claris velut *ου* pro *ε* et *ι*, *ω* et *ο* pro *α* et *ε* [66]. De consonis monendum, reperiri *τ ϱ* loco *σ*, *κ* loco *χ ϱ*, *β π* loco *φ*, *π* loco *β φ*, *ν* loco *λ ϱ* [67]. Praeterea transposi-

---

lingua, quatenus per rei obscuritatem licet, inuenienda sit. Quodsi nimirum de antiqua singularum Graecarum dialectorum ratione constiterit, concludendo aliquis possit et formas verborum antiquissimas sectando antiquam veluti Cadmeam aut Hellenicam orationem refingere.

66) Huius generis sunt: *τϱαφω*, *Ἀϱταμις* (Pind.) *τϱαχω*, *πιαζω* sexcenta alia. silex (*χαλιξ*) al. *μωσαι* (Sappho, Theoc.) al. plur. *βως* = bos. huc spectant o pro *ου* inscriptionum e.g. *το* = *του* Columna Farnes; inscriptio Sigea atque XLIV. apud Osan. Fasc. IV. p. 142. Laconum o = *ου* (Auson.) *ἀνω*, *στϱοτος*, *πωλω*, *τϱωπω*, *πωτω* (Theoc.) oleum = *ἐλαιον* aliaque plurima. Cf. etiam Aristoph. *Θεσμοφοϱιαζ*. v. 1114 — 1225 al. vbi o plurimis in verbis hominibus incultis est *ου*. Quod vero Dorii *ε* pro *α* et *ο*, *ι* pro *ε* passim vsi sunt, partim eius rei caussa ex natura sequentium vocalium (*Μεγαϱα Μεγεϱα*) repetanda est, partim nullum his exemplis pondus tribui potest secundum ea, quae supra monuimus.

67) Vti *Βϱυγες* (Maced. test. Herod.) *ἀμπι*, *πολυλιμον* = *βουλιμον* balaena (*φαλαινα*) albus (*ἀλφος*) ambo (*ἀμφω*) scribo (*γϱαφω*) pasco (*βοσκω*) palpebra (*βλεφαϱον*) paenula (*φαινολης*) *σκληϱοτηϱ* (teste Plat.) *μικκος* (Theoc. Callim. Bion. Mos.) *ἐκω*, *κιτων* (Etymol.) *ϱιντες* (Pind.) *ἠνϑε* (Theoc.) alia pl. *Ἀϱταμιτιον*, *Ποτιδαν* al. pl. *δεινος* = dirus *μονη* = mora *συ* = tu *σε* = te *τεος* = tuus *τετοϱα* = *τεσσαϱα*.

tio consonarum binarum admodum vsitata est Doriis [68].

Dialectus Attica id peculiare habet inter alia, vt, quamuis cum lingua Graecorum communi inprimis conueniat, teneat *α* pro *ε*, *ο* et *ω* pro *α* permultis in locis atque etiam *ε* et *α*, nisi si huius generis exempla recentiori dare volueris aetati, *κ* pro *γ*, *λ* pro *ν*, *ρ* pro *λ*, *τ* pro *σ*, *φ χ* pro *π κ* [69].

Iones mutant *α* in *ε* sexcentis in verbis, *ε* in *ι*, *ο* in *ου*, *π* in *κ*, *ϑ* in *σ*, *τ* in *ϑ*. Mirandum tamen videtur, Iones saepenumero *κ* pro *χ* habere, quod cum praeter consuetudinem accidat, vtique antiquae Graecorum aut Ionum consuetudini tribuendum iudicamus.

Iam vero ex his, licet obiter tractatis atque speciminis potius loco adiectis, admodum clarum est, quid quoque modo ex dialectis Graecis de pronunciatione literarum colligi possit.

---

68) Huc spectant (ξ) *σκιφυδρια* (Epicharm.) *σκιφος σκενος* (ψ) *σπελλιον* al. *σφε* = ipse.

69) Veluti *Λατοι*, *μνασιδωρειν* (Demost.) *νεοδαμωδεις*, *τολμα* (Xen.) *ταρπημεναι*, *βδαλλειν* (Plat.) al. *ὀστακον*, *ὀσταφιδας*, *κρωζω παιωνιζειν* (Xen.) al. *ἐγχουσα*, *λεως*, *νεως* al. *κναφευς* (Ar.) *πλευμων*, *κριβανος*, *τευτλον* (Ar.) *λισφους*, *σφετλα*, *ἐφισης* al. *σχινδαλμος*, *σχελιδας* (Ar.) Sunt tamen haud pauca verba inprimis antiqua, quae contrarium prodant.

70) Exempla apponamus: *γεμμα*, *βερεϑρον* (Hom.) al., a quibus tamen haud pauca excipiantur scilicet antiqua; *ἱστιη πολιος* (Her.) *νουσος*, *κουρος* (Her.) *κοιος* al. pl. *βοσσος* (Her.) *κιϑων*, *κυϑρα* (Her.) Recedunt *δεκομαι*, *κυϑρα*, (Her.) *βατρακος*, al.

Primo enim, cum dialectorum singularum ea sit ratio, vt pro sonis duris et raucis lenes et molles subinde in eas recepti sint; sequitur, literas in verbis certis seriori aetati vsitatas cognosci posse ex literis iisdem in verbis antiquitus adhibitis et contra. Quodsi itaque, vt hoc vtamur, pro *η* veteres *α*, recentes *ι* scripsisse visi fuerint, concludere potuerimus, *η* valuisse *ä* vel *e* initio [71]. Deinde cum dialectus Dorica ab Attica et Ionica, pariter atque Attica ab Ionica eo prorsus differant, vt Dorica sonos difficiles pro facilioribus teneat Atticae et Ionicae, Attica vero lenes respuat Ionicae proprios; cogitur, in sono literarum Graecarum e dialectorum variarum natura constituendo pari modo, ac dictum est, versandum esse. Praeterea hac etiam in re temporis maxime iusta habeatur ratio necesse est. Hactenus de dialectis.

Inter ea, quae ad pronunciationem Graecorum cognoscendam faciunt, recte et numeratus est et numerari potest vsus poetarum Graecorum atque etiam, qui sequntur illos, Latinorum. Attamen poetarum hac in re auctoritatem admodum dubiam esse atque exiguam, facile quiuis concedet. Constat enim omnes fere carminum apud Graecos et Latinos aucto-

---

71) In his rebus diiudicandis tabulas vocalium et consonantium affinium supra expositas inprimis respiciendas esse, vix opus est memorare. Omnis enim vocalium et consonantium mutatio legibus istis, quas supra diximus, non posse non respondere videtur.

res Homerum, aut alios aetate superiores suo quemque modo secutos atque imitatos fuisse. Quamuis vero credibile sit, veteres Graecorum poetas ad vitae vsum scripsisse; clarum tamen est, posteros maiorum in ea re consuetudinem seruantes non eius pronunciationis testes adhiberi debere, quae subinde inualuit. Huc facit, quod primi aut veteres omnium populorum poetae id sibi sumserunt, vt a vulgaris pronunciationis ratione passim valde non dubitarent discedere. Praeterea facile demonstrari potest, poetas cum Graecos tum Latinos omnes ob metrorum necessitatem haud raro linguae indolem violasse grauissimeque turbasse[72]). Qui vero patria lingua

---

72) Huc referri potest, quod poetae Graeci literas duplices pro simplicibus metri caussa scripserunt (V. c. *ἐννοσιγαιος* *Ἰλ. μ.* 27. alias *ἐνοσιχθων* *Ἰλ. υ.* 13. *γυννις* Theoc. al. *γυνη μεσσος* Hom. al. *μεσος* aliaque sexcenta) aut contra (*Ἀχιλευς*. *Ἰλ. α.* 199. *Ἀχιλλευς* ib. 54. *μακελα* = *μακελλα* Hom. alia plurima); quod syllabas verborum integras et vocales aut suppresserunt (*φαενος* Pind. Ol. 7. 122. = *φαεινος* ib. 1, 9. *μιανθην* *Ἰλ.* = *μιανθησαν* *Ἰλ.* *ἐλδομαι* al. *ἐελδομαι* *Αἰοληΐς* Pind. Ol. 1, 164. *Αἰολις* id. ib. 2, 128. *Μινυηας* (Or.) = *Μινυας* (Or.)) aut addiderunt (*ἐεργω*. *Ἰλ.* = *εργω*. *Ἰλ.* al. pl.); quod vocales pro lubitu in alienas mutarunt (*Διωνυσος* *Ἰλ. ξ.* 325. *Διονυσος*. *Οδ. λ.* 324. *ξενος* = *ξηνος* *δηλον* = *δεελον* Hom. *ἀκρορειαν* = *ἀκρωρειαν* (Orph.) *δωτηρ* (Hom.); quod vocales certas alias produxerunt, alias corripuerunt (*ᾱρα* alias *ᾰρα*, *χαμαι* al. *χᾱμαι* (Hom. Hes.) *ἐνῐ* = *ἐνῑ* (Orph.) alia plur. quibus accedunt *ω*, *αι*, *η*, *ει*, *ο*, *ε* alias correpta, alias producta); quod syllabas diuersas (*οα*, *εα*, *αει*) vnam fecerunt vnamque (*αυ*) duas; quod! Nolumus plura afferre in vulgus nota, quae metri caussa poetae Graecorum sibi sumserunt.

adeo libere vsi sunt, vt ob metrorum rationem praeter consuetudinem nouas literas verbis inserere aut contra, insolitas cum solitis commutare, syllabas diuersas coniungere, coniunctas diuellere, vocales producendas corripere, corripiendas producere non dubitauerint, ii quidem, siue maiorum auctoritatem siue suum ingenium secuti sint, caute tantum adhibendi videntur in potestate literarum Graecarum e scriptoribus Graecis constituenda. Quid? quod Ariphrades iamiam apud Aristotelem (Poet. c. 22,) poetis exprobrat, vti eos verborum formis in vita' (ἐν τῃ διαλεκτῳ) non vsitatis, quodque Cicero (de orat. 2, 14) poetas dicit, *omnino quasi alia quadam lingua locutos esse.* Quas quidem ob caussas negari nequit, Graecorum poetarum iis tantum in locis auctoritatem valere de pronunciatione literarum, in quibus vitam communem secuti apparent, neque vero metrorum necessitate seducti. Praeterea poetarum etiam opera ea potissimum tempora attinere, quibus orta sunt, vix opus est commemorare.

Adest vero etiam lingua Latina ad cognoscendam Graecorum pronunciationem egregie apta. Cum enim Latini, cum Graecis optima eorum aetate versati, Graeca verba et nomina fere innumera suis literis significauerint; inde intelligi potest, quem sonum Latini a Graecis docti literis Graecis tribuerint. Tenendum enim, Romanos homines doctos eosque cum Graecis optimae indolis versatos et potuisse et voluisse

aeque atque S. S. interpretes, quos iam absolvimus, seruare germanos verborum Graecorum sonos. Attamen quemadmodum apud Graecos aliasque gentes certae scribendi leges subinde inualuerunt, ita etiam vix dubium est, quin Latinorum orthographia, quo tempore literae apud eos floruerunt, absoluta atque perfecta fuerit. Hinc vero intelligitur, inde a saeculo p. Ch. II. saltem nihil certi e Romanorum verba Graeca scribendi consuetudine colligi posse. Cum idem cadat in Graecos, qui literas Latinas suis reddiderunt; sequitur, e Graecorum etiam seriorem vsu argumenta non esse petenda ad pronunciationem Graecorum probandam.

Denique sexcenta apud scriptores Graecos Latinosque exstant loca, e quibus literarum Graecarum potestas intelligi potest. Sunt autem duplicis generis, alterius, in quibus literarum nonnullarum sonus diserte traditur atque vniuerse describitur; alterius, e quibus non nisi concludendo assequi possumus, quam vim Graeci certis literis certisque in verbis tribuerint. Omnibus ista loca diiudicantibus id maxime curandum videtur, vt tempora, quae attineant proxime, respiciantur. Cum enim mira quaedam fuerit, vti vidimus, Graecae pronunciationis variatio; sequitur, certa de sono literae cuiusdam testimonia non valere, nisi de saeculorum nonnullorum spatio, partim antecedente, partim subsequente tempus id, quo editum sit testimonium. Deinde vero, cum literae Graecorum

non omnibus quidem, sed singulis tantum in verbis sonum subinde mutauerint; sequitur etiam, vnius verbuli auctoritate non effici posse id, vt eidem literae alias constanter eandem potestatem tribuere debeamus. His itaque praemissis habemus normam et regulam, secundum quam omnis de pronunciatione literarum Graecarum aut aliarum etiam disputatio instituenda sit. A quibus enim praeter ea cauendum sit, singulis in locis accuratius videbimus infra. Addere liceat, communibus etiam orationis humanae legibus plurimum ponderis hac in re tribuendum esse. Cum vero alii aliter iudicare possint de eo, quid aptum sit et congruum in oratione humana; necesse est, aliarum linguarum quam plurimarum ratio accurate ante oculos habeatur. Haec enim caussa tanti momenti esse videtur, vt inde contra aliorum etiam auctoritatem, si contra esse appareat, repugnare non dubitemus.

§ 2.

De vocalibus

H.

Inuenimus, quod plurimis demonstratum est, η primum ē valuisse atque saeculo III. p. Ch. inde genuinam rationem deseruisse ita, vt pluribus subinde in verbis sonum ī subirit atque saeculo VIII. vniuerse *i* pronunciatum sit. Videamus nunc, vtrum alia etiam via eaque adhuc trita eodem peruenire possimus atque ar-

gumentis e lingua Latina et Graeca petitis sententiam nostram confirmare.

Saec. V. et IV. a. Ch.

Litera *η*, cum vocalis nota a Simonide Melico primum adhibita tradatur neque nisi in marmoribus post eam aetatem inscriptis reperiatur, genuinam vim sponte quasi cognoscendam praebet. *H* enim, quod in columna Farnesiana, inscriptione Sigea, marmoribus Atticis a. 456, 452, 409, 392 a. Ch. inscriptis *h* valet [73], loco *E* positum reperitur in inscriptionibus Atticis a. 379, 330, 301 a. Ch. confectis iisdem passim in verbis [74]. Cum vero illiud *η* a poetis huius aetatis aeque atque Latinorum *e*, quo loco vocali *η* respondet, constanter productum sit nec non loco *εε* scriptum [75]; luce clarius est, *η*, qua aetate primum in vsum venit *e* productum valuisse. Idem probatur dialectis. Quemadmodum enim Dores *α* pro *ε*, ita etiam *α* pro *η* pronunciarunt, atque Iones *α* in *η* aeque atque in *η*

---

73) Vid. Boeckh. d. Staatshaush. der Athener Berol. 1817 T. II. Tab. II, IV, V. al. Potter. Archaeol. T. III. Tab. III. al. Gruter. Inscript. p. XXVIII. DCCCLV. 16. Ich. Scalig. Anim. in Chron. Euseb. p. 110. al.

74) Vid. Boeckh. l. c. al. Huius generis sunt *της* antea *τες*, *Δημητρος* = *Δεμετρος* al.

75) Exemplo sit *δεελος* (Hom.) = *δηλος*. *τειχεε* = *τειχη*, coll. *χιιος* = *χιος* *ματεερ* pro *ματηρ* in Amyclea inscriptione apud Fourmont. Vid. Mem. de l'Acad. des Insc. Tom. 39. p. 120. et Nouveau Traité diplom. Tom. I.

mutarunt[76]. Cum enim eo differant istae dialecti, vt Attica atque communis vocales Dorum primo in gradu veluti positas non nisi ad secundum aut tertium tollat, Ionica vero eodem modo mutet Atticas; sequitur, diuersas Graecorum gentes literae *η* sonum *e* tribuisse ea, qua dictum est, aetate. Quod attinet verba Latina, i pro *η* habentia, pauca sunt atque, cum *e* apud Latinos sexcentis in verbis ad *i* abiisse constet, nullius hac in re momenti[77].

Saec. IV.

Ὀυ γαρ η ἐχρωμετα, inquit Plato (Cratyl. p. 425. ed. H. Stephan.), *ἀλλα ε, το παλαιον,* quae verba superiora egregie confirmant[78]. Legitur autem ibi etiam: *νυν ἀντι μεν του ἰωτα ἤ ε, ἤ η μεταστρεφουσι, ὡς δε μεγαλοπρεπεστερα ὀντα· οἱ μεν ἀρχαιοτατοι ἱμεραν την ἡμεραν ἐκαλουν, οἱ δε ἑμεραν, νυν δε γε* (*οἱ δε νυν* Mir.) *ἡμεραν·* quem locum, cum alii aliter interpretati sint,

76) Veluti *ἁλιος, ἁμερα, ματηρ, ἁδυ* sexcenta alia; Latinorum Dorum: mater, fama, plaga, camus al. Ionum *πρηγμα, ἀηρ, ἰητρος, ἡμερη, χωρη, νηος, ληος* aliaque sexcenta.

77) Cf. Stan. Velasti Diss. de litt. Gr. pron. p. 72. ss. 92. Schmidt in Hav. Syll. p. 642. s. Prouocant ad *deliro* = *ληρω*, *figo* = *πηγω* al. Cf. sibe pro sibi, quase pro quasi.

78) Hauerc. Syll. T. II. p. 538. T. I. p. 28. p. 67. p. 71. Sylburgius Rud. Gr. L. I. 1. p. 4. Placentin. Comm. Graec. pron. Rom. 1752. p. 7.

nolumus vrgere [79]. Huc spectat versus celeberrimus Cratini aetate fortasse iilis superioris:

Ὁ δ' ἠλιθιος ὡσπερ προβατον βη βη λεγων βαδιζει.

in quo, cum ouium soni vsque sibi constantes diserte fingantur, vix est quod sane opponi possit [80]. — Aristoteles (Poet. c. 21.) vocalem, inquit, produci posse vel positione, vel mutatione breuis in longam sibi respondentem: exemplum affert *πολεως* et *πολῃος* [81]. — Quod denique Coptorum *η* hac aetate a Graecis petitum attinet, non *i*, quod Placentino placuit [82], sed *ē* valet, vti ex superioribus constat.

Saec. III.

Afferunt verba nonnulla e versione Alexandrina, quae pro Hebraeorum י ֵ habent *η* [83]. Sed cum paucissima sint eius generis exempla eaque, vti demonstrauimus, lectione falsa, nihil iis ponderis inest. Hinc P. Wierzius, sentiens, ex eo, quod *η* constanter ֵ respondet, sequi,

79) V. Mirt. Sarpedon. disser. Rom. 1750. p. 15. col. Velasti l. c. p. 76.

80) Cf. Wetsten. Orat. ap. p. 62. Vel. l. c. p. 88.

81) V. Mirtisb. l. c. p. 34.

82) Commentar. pron. Gr. p. 13. II. Wetst. l. c. p. 151. An. Georgiadis *Πραγματεια περι της των Ἑλληνικων στοιχειων ἐκφωνησεως* Paris 1812. § 34. (Neidinger) Ideen über uns. Erasm. Ausspr. Wien 1818. p. 30.

83) Wetsten. Or. Ap. p. 128. 134. 144. ss. Velasti l. c. al. Hau. Syll. II. p. 596.

η sonuisse ē: *sic, inquit, est, fateor; sed orthographiam secutos esse interpretes affirmo.* Quamnam, quaeso, orthographiam?

Saec. II. atque sequentibus.

Latini scriptores huius aetatis atque sequentis omnes ac singuli vocali η sonum ē tribuunt, quam quidem, si valuisset *i*, non *e* sed *i* scribere et potuisset et debuissent. Paucissima verba, quae contra sunt, apposita nullius profecto momenti esse videntur [84]. Verbum Plauti *liroe*, quod Graecorum ληροι referre dicunt, parum itaque, praesertim cum a rudi literarum homine proferatur, valet ad Reuchlini sententiam probandam.

Saec. I.

Strabo atque Dionysius Halicarnassensis verba et nomina Latina ita in linguam Graecam conuertunt, vt loco *e* correpti ε; loco *e* producti η scribant, quod nullo pacto licuisset, si η non ē vniuerse valuisset [85]. Exstant adeo verba, in quibus *e* correptum, nec nisi ob conso-

---

84) Erasmus Dial. Hau. Syll. I. p. 785. alii ib. p. 365. ss. 342. II. 190. ss. rel. coll. Velast. l. c. 92. Wetst. l. c. 136. ss.

85) V. Hav. Syll. I, 190. 70. ss. II, 340. Mirt. l. c. p. 28. al. coll. Velast. l. c. p. 63. Quod *Σκηπιων* = Scipio (Strab. L. III.) attinet, dudum obseruatum est, verbum *σκηπωνος* Straboni ob oculos versatum fuisse.

nas insequentes producendum, η scriptum est. — Huc spectat Varronis coniectura, dicentis: oues a Graecis *μηλα* vocatas esse ob sonum balatui similem [86], indeque verbum *belandi* (balare) repetendum esse. *Belare* tamen cur dixerint Latini pro *melare*, addit rationem: non enim *mee*, sed *bee* sonare videntur oues vocem efferentes. — Praeterea locus est apud Dionysium, quo dicit, post *α δευτερον το η, ὁτι κατω περι την βασιν της γλωσσης ἐρειδει τον ἠχον ἀκολουθον, ἀλλα οὐκ ἀνω και μετριως ἀνοιγομενου στοματος*, ex quo intelligitur *η* inter *α* et *ι* medium valere *e* [87].

Saec. I. p. Ch.

Auctores librorum N. T. ita nomina Romana reddunt, vt pro *e* correptum scribant *ε*, pro *e* productum vero *η*. Vnum tantummodo verbum in N. T. libris exstat *Κυρηνιου*, ab hac scribendi ratione alienum, quod, cum nomen *Quirini* (Luc. 2, 2.) significare visum sit, haud pauci protulerunt, inde probatum, *η* nunquam non valuisse Graecorum $\bar{\iota}$ [88]. Quum vero plurimi codices atque versiones illo in loco ha-

86) Hau. Syll. I. 67. II. 287. Mirt. l. c. p. 32.

87) Placentin l. c. p. 66. Vid. sup. tab. vocalium.

88) V. Wierz. orat. Wetsten. p. 141. Velasti l. c. p. 64. al. Matth. Norberg Rudim. ling. Gr. a primis origg. repet. London. Goth. 1816. p. 5.

beant *Κυρεινος* lectioque haud dubie corrupta sit; vni verbo, suppressis reliquis, nihil sane tribui potest. Hoc in loco obseruare licet, quanta arte quantoque studio disputauerint maiores. — Iuuenalis (Sat. 14, 200): Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae. — Persius (Sat. 4, 13): et potis est vitio nigrum praefigere theta [89]. — Quod vero Plinius *ψηττα* codicum consensu scripsit *psitta*, ex eo vtique sequi videtur, iam tunc temporis Graecos *η* nonnillis in verbis, licet paucissimis, vti *ι* pronunciasse [90].

Saec. II. et III.

Hac aetate inclaruit Plutarchus, qui sexcenta non solum nomina Romana, sed etiam verba ita scripsit, vt *e* correptum litera *ε*, productum vero *η* redderet. Cum vero id spectauerit Plutarchus, vt verborum Latinorum sonus suae genti seruaretur, luce clarius est, *η* tunc temporis vniuerse *ē* significasse [91]. Idem docet in libro de *ει*, veteres pro *η* vsos esse *ε* [92]. — Terentianus Maurus:

Literam namque *Ἐ* videmus esse ad *ἦτα* proximam,
Sicut *ο* et *ω* videntur esse vicinae sibi:
Temporum momenta distant, non soni natiuitas.

---

89) Mirtisb. l. c. p. 33.

90) Vel. l. c. p. 63. Hav. I. p. 643.

91) Huius generis sunt: *λήγατος*, *καρηρε* Hav. syll. I, 71.

92) Hav. Sull. I. p. 71.

Quae vero Maurus vidit, vix ausim ego negare cum Velastio aliisque [93]. Addit enim:

Igitur cum sonum reddere cum voles minori,
Retrorsum adactam modice teneto linguam
Rictu neque magno sat erit patere labra.
At longior alto tragicum sub oris antro
Molita rotundis acuit sonum labellis.
Minor est ε, ο, longior η, ω.

His accedit Martialis (Lib. V. epigr. 26, Lib. VII. epigr. 37.) dicens [94]:

Dicas licebit beta me togatorum
Est operae pretium discere theta novum.

Cum illa Terentiani verba sonum η universe describant, non impedit, quominus η, quamvis passim sonum *i* iamiam subierit, saeculo post etiam idem valuisse statuatur.

Saec. IV.

Adest Dionysius Alexandrinus, qui discernenda iubet *λιτουργεῖν* et *λειτουργεῖν*, atque Ammonius, qui voces similes dicit *[illegible]* et *[illegible]*, *πεῖρα* et *πῆρα*, *βουλή* et *βούλει* [95]. Probabile itaque est, haec quidem verba atque alia

93) Matth. p. 17. Herm. S. II. p. 691. cel. Vel. Phonet. l. c. p. [illegible]

94) Mart. p. 53.

95) Vel. l. c. p. 56.

nonnulla ita iamiam pronunciata esse, vt η aequaret *i*. — Quod vero Ausonius dicit:

> *Ἦτα*, quod Aeolidum quodque *e* valet, hoc Latiale *E*:
> Presto quod E Latium semper breue Dorica vox est!

vix assentiri potest Velastio existimanti, inde debere concludi, η non nisi Aeolidum *e* sonuisse [96]. — Ex eo etiam quod Basilius M. praecipit, *desinentia in ιστος acutum in vltima vel antepenultima habentia per ι scribenda esse*, atque pergit: *excipe χρηστος per η et σειστος per diphthongum exarandum. Acutum in antepenultima ferunt καλλιστος, βελτιστος, exceptis ἐνχρηστος et ἀχρηστος, quae η in medio habent, et ἐνπειστος ac δυσπειστος, quae diphthongum postulant*; alioque in loco dicit: *omnis vox a χρι incipiens* per *ιωτα* scribitur vt *χριστος praeter χρηστος per* η (V. Wetst. Or. p. 160.): ex his verbis, inquam, si Basilii sunt, de quo dubitari etiam potest, illud tantum sequitur, η in *χρηστος* tunc temporis *i* sonuisse.

Saec. V.

Exstant apud Caium et Zosimum (Histor. L. I.) loca, in quibus verbum *teli* a τηλῳ deriuatur atque, quod apud Zosimum est, *manes* et *valere* μανες et βαληρε scribuntur [97]. Quamquam vero

---

96) V. Mirt. l. c. p. 33. Hav. S. I. p. 67. Velast. p. 96. Versum primum, qui submutilus videtur, legit Mekerch: *Ἦτα* quod Aeolidum, quodque valet hoc Latiar *E*.

97) Hav. S. 1. p. 70.

inde non probari petest, η omnibus in verbis valuisse *e;* clarum saltem est, η primarium sonum *ē* habuisse illa aetate. Haud plura euincit Victorinus dicens: *priusquam Graecis inter vocales repertae essent η et ω, vicem earum tam apud illos quam apud nos expleuisse ε et ο.* Addit: *ο etiam scribi solita pro syllaba ου, ε autem pro ε et ἦτα* [98]. — Hesychius vero, si recte in hanc aetatem incidit eius vita, quod verbis a κλι incipientibus verba nonnulla a κλη inchoantia velut κληθρα interposuit, innuisse videtur, verbis in istis η valuisse ι. Idem probari videtur eo, quod vel νιφε et νηφε distinguere iubet [99]. Neque obest huic sententiae, quod Martianus Capella dicit: *E vocalem duarum Graecarum vim possidere. Nam cum corripitur*, inquit, *ἐ ψιλον Graecum est, cum producitur ἦτα est* [100].

Saec. VI.

Recte ex eo, quod Cyrillus vel Philoponus permulta verba protulit, quae diuerse scripta eodem modo sonare dicit, concludi posse videtur, hac aetate η frequentius ad sonum *i* abiisse. Exempla sunt: *ἀρτεμης = ἀρτεμις, δεσποτης = δεσποτις, εὐμαρις = εὐμαρης, ἠχη = ἠχι, ἱκε-*

98) Wetsten. l. c. p. 54.

99) Velast. l. c. p. 56.

100) Mirt. l. c. p. 33.

της = ἱκετις al. His quidem non repugnant, quae habet Priscianus: *Vocales autem*, inquit, *apud Latinos omnes sunt ancipites vel liquidae, hoc est, quae facile modo corripi possunt, sicut etiam apud antiquissimos erant Graecorum ante inuentionem η ω, quibus inuentis vocales, quae ante antipites erant, remanserunt perpetuo breues, cum earum productarum loca possessa sint a supra dictis vocalibus semper longis.*

Saec. VII.

Quamuis Diomedes (L. II.) tradat, *e pro ε et η Graecis poni*; difficilius tamen est iudicatu, vtrum sonum istarum literarum, an vsum apud Latinos in mente habuerit. Malim tamen, hoc quidem Diomedem voluisse, non illud indicare, cum, si primum statuatur, res in vulgus notae tradantur atque recoquantur. Huc spectat locus Theophilacti, in quo *καμηλος* et *καμιλος* confunduntur (V. Wetst. Or. p. 161.)

Saec. VIII.

Prouocarunt ad id, quod η a Syris S. S. interpretibus *ι* pronunciatam sit [1]. Cum vero hac aetate Syri quinque Graecorum vocales, quae superessent, suum in vsum receperint, η vero pro *ι* vsurpauerint; recte inde concluditur, η aut omnino aut maximam verborum

1) Hav. S. II. 641. Velast. p. 64. Wetst. or. VII. p. 151. ss. 163. al.

partem tunc *i* valuisse. Huc spectat Symbolum Graecum regis Aethelstani anno 703. literis Anglo-Saxonicis exaratum, in quo η verborum *ἡμων, της, ἡμερα, καθημενον, ἀμην*, aliorum non *e*, quo ε scriptum exstat, sed *i* = ι redditum cernitur. (V. Wetst. Or. apol. p. 117.) Quod vero η verbi *τριτη e* scribitur, vtique inde colligi potest, η passim *e* adhuc valuisse, quod a Syris etiam didicimus.

Saec. IX. aut X.

Pronunciationis Graecae hac aetate vsitatae insignis adest testis Codex Basileensis. Probabilius enim est, hunc librum saeculo IX., aut X. quam IIX, quod Schmelzer statuit, conscriptum esse. Iam vero sexcentis in verbîs η et ι ibi confusa et permutata vides, vnde recte concludi potest, cum in codice Vaticano et Alexandrino non idem obseruetur, η et ι hac aetate nisi omnibus, certe plurimis in verbis pari modo pronunciata fuisse [2]. Egregie itaque confirmatur, quod saeculo IIX. literae η accidisse diximus. Idem prodit Drutmarus, qui verba *πατερ εἰς χειρας σου παραθησομαι το πνευμα μου* reddit: *is chiras su paratissome to pneuma mu* eaque

2) V. Bertholdt. Einleit. T. II. p. 509. Velast. l. c. p. 58. Wetst. l. c. p. 60. 147. al. Huius generis verba sunt: *Βιθλεεμ* = *Βηθλεεμ*, *ἐχαρισαν* = *ἐχαρησαν*, *ἀνεχωρισαν* = *ἀνεχωρησαν*, *ἐθρηνησαμεν* = *ἐθρινησαμεν*, *πολην* = *πολιν*, *ἀλιθως* = *ἀληθως*. alia sexcenta.

scriptura primus, vti videtur, a Romanorum consuetudine rectae pronunciationis caussa recessit. (V. Wetst. Or. p. 162.)

Saec. XI.

Cum Etymologici M. auctor verba in *ηϱ* desinentia cum iis nonnullis componat, quae habent *ιϱ* pro *ηϱ* (veluti *ἰϱ φϑιϱ*); vtique sequi videtur, *η* et *ι* tunc temporis confusa fuisse pronunciando [3]. Huc referendus est haud dubie Suidas, qui non solum *γλιχων* et *γληχων*, *δημητϱιος* et *διμιτϱιος*, *νειφω* et *νιφω* et *νηφω*, *κηνσος* et *κινσος* et alia eius generis curiose distinguit, sed etiam Virunium et *Βηϱουνιον* confundit [4]. Idem literas *ι*, *υ* et *ει* cum *η* coniugit, neque vero cum *ε* et *αι*, vnde satis clarum est, *η* aut nullis aut paucissimis in verbis sono tunc temporis ad *ε* vel *αι* accessisse [5]. Offendit tamen, quod in verbis: *βη λεγουσιν οἱ Ἀττικοι, οὐ μην βαι το μιμητικον της των πϱοβατων φωνης·* Suidas innuere videtur, *η* sonuisse *e* [6]. Sed cum constet, quam promti expeditique

3) Etymol. M. in *ἀνηϱ*. p. 107. Wetst. l. c. p. 163.

4) V. Wetst. l. c. p. 131. 163. Velast. l. c. 55. Suidas haec habet: *Βηϱουνιον* (Virunium) oppidum est in Noricis. Ibi, cum aprum vastae molis Norici frustra aggrederentur, vnus aprum prostratum in humeros extulit, quo viso Norici acclamarunt sua lingua *εἱς ἀνηϱ τουτ' ἐστι Βηϱουνος, ὁϑεν Βηϱουνιον ἐκληϑη* (vir vnus).

5) V. Hav. Syll. II. p. 599.

6) Velast. l. c. p. 84.

fuerint scholiastae ad ea, quae non intelligerent, dialectorum varietati tribuenda; satius videtur vtique, *μιμητικον* cum *βαι* coniungere. Cum enim *βαι* etiam vocem ouium tunc temporis egregie referret, videtur Suidas Atticos carpere voluisse. Praeterea cum adhuc *η* nonnullis in verbis *e* sonuisse admodum credibile sit, non offendit, Suidam, illi *βη* Sonum *bee* tribuisse, dicere.

Saec. XII.

Hac aetate Zonaras adest Graecae pronunciationis testis, qui, cum *i* correptum *ι*, productum vero *η* plerumque scripserit in verbis *Νουμηδιος, Παλαιστηνα, Ποτεντηνα, Καναλης*, quod *῾Ρωμαϊκη λεξει ἀγωγον ὑδατος* esse dicit, aliisque sexcentis, prodit, *η* vniuerse *ī* tunc valuisse 7). In primis vero Eustathius nominandus est. Is enim dicit *ἰοι* et *ἠρη ἐν διαφορῳ γραφῃ τον αὐτον ἠχον ἐχουσι·* is, postquam *παρηχησιν* perfectam dixit *ταυτον μεν παντελως ἠχουσαν* et *παντη μεν ταυτοφωνον ἐν διαφορῳ δε γραφῃ την ἀυτην ἠχην ἐχουσαν*, haec exhibet *παρηχησεως* exempla: *ἠμον* = *ἰμον, ἠβης* = *ἰβις, μυλης* = *μηλοπα῾, ῥισον* = *ῥησον, πειθεσθαι* = *πηθεσθαι, ἠτοι* = *εἰτοι* aliaque sexcenta 8). Taceamus enim verba, quae

7) Velast. p. 64. Deest autem verbum *καναλης* in ed. Zonarae auctore I. A. H. Tittmann. Lips. 1808. p. 1160.

8) Velast p. 52. Hav. Syll. II. 598. Placent. p. 80. 13. Wetst. p. 154. ss. al. Loca sunt Eustath. Graece edit. Romae a. 1542. fol. p. 125. et in *᾿Ιλ. λ.* 685. p. 875. *᾿Ιλ. ι.* 436. *᾿Ιλ. ο,* 143. al. *᾿Οδ. η.* al. pl.

ὑποπαρηχησεως exempla affert. Quamuis vero ex Eustathio non probari possit, *η* vbicunque locorum *i* valuisse, probabile tamen redditur prioribus, *η*, paucissimis verbis fortasse exceptis, *i* pronunciatum esse. Eam quidem ob caussam ne hoc quidem offendit, quod Eustathius *βη* dixit (*Ἰλ. α.*), esse *ὀνομα φωνης προβατου ὀνοματοποιηθεν* 9).

Saec. XIV.

Eo, quod Armenopulus tradit: *αὐσητ* (absit) *λεγουσι οἱ Λατινοι το ἀπειη, κρεδητωρεμ τον δανειστην, ἠνκερτον το ἀβεβαιον, ἠλλουμ το ἐκεινον, μορτης το θανατον·* luce clarius redditur, *η* adeo tunc temporis sonum *i* vbique locorum in se suscepisse, vt nemini eam literam *e* pronunciare in mentem venire potuerit 10). — Huc facit Cabasilae locus, in quo quaeritur, vtrum *ἀντιμινσια* an *ἀντιμηνσια* scribendum sit 11).

En! arma, quibus de pronunciatione literae *η* per tria adhuc saecula pugnatum est. Vides vero omnia optime procedere, dummodo, etiamsi scriptores singuli fortasse aut paullo serius,

---

9) Hav. Syll. II, 598. Velast. p. 84. vero locum ad *Ἰλ. β.* Eust. ita profert: *οἱ παλαιοι φασι μεμητικως βη, οὐ μην βαι.* Cum vero Eustath. op. non ad manus sint, accuratius de hoc loco disputare nolumus, ex quo demonstrari possit, Eustathium illam *η* pronunciationem pro antiqua et obsoleta habuisse.

10) Velast. l. c. p. 56.

11) Cf. Wetsten. Or. ap. p. 161.

aut citius, quam dictum est, vixisse videantur, tempora satis in hac disputatione distinguantur. Nihil enim adest, quod pugnet, nihil, quod contradicat, neque adeo produci potuisset bellum, si partim reputassent antesignani, nullam linguam nullasque literas, orthographia stabilita, genuinam seruare rationem; partim vero, suppressis aliis argumentis, plus auctoritatis Armenopulo, quam Cratino, plus Eustathio, quam Platoni non tribuissent; partim denique vnius verbi aut paucissimorum exemplis innisi nimium probare non studuisssent. Ex his itaque argumentis, quamquam neque tam multa, neque tam certa esse videntur, quam quae supra vidimus, cognoscitur, η inde a saeculo a. Ch. V. vsque ad saeculum p. Ch. III. *e* idque productum valuisse, inde autem de die fere in dies pluribus in verbis genuinum sonum in *i* mutasse adeo, vt saeculo VII. aut VIII. certe constanter *i* pronuciatum sit. Hinc vero etiam intelligitur, η neque *ä* neque *ë*, inter *e* et *i* medium quoddam significasse, licet vtrumque nonnullis in verbis, vti accidit *e* aliarum nationum, obtinuisse admodum probabile sit. Quodsi enim η, vti visum est nonnullis, a Graecis ä pronunciatum vbique fuisset, non potuissent Plato aliique η sonum ἐ ψιλον productum dicere neque veteres pro ε producendo, quod ex inscriptionibus maxime atque poetis cognoscitur, scribere. Quod vero ouium vocem βη attinet, nihil obest ea syllaba huic sententiae, cum ε aeque atque η, quod *ē* aliarum nationum

docet[12]), passim *ä* sonare potuerit atque *η* propter sonum productum optime ibi quadrauerit. Qui autem *η* instar soni inter *ε* et *ι* medii cuiusdam constanter pronunciandum praecipiunt [13]) ii quidem in illud incidunt, quod reprehenditur in Kirchero. Is enim, cum Ⲏ a Coptis etiamnum *ē* pronunciari nouisset indeque, Graecorum etiam *η* sonuissse *e*, sequi intellexisset, Coptorum Ⲏ, ne suam rem perderet neque vero etiam Erasmi pronunciationem sibi odiosissimam fouentibus arma traderet, satius duxit, neque *e* neque *i* pronunciandum praecipere [14]). Tenendum enim, quod Graeci, si adeo subtiles fuissent in pronunciando scribendoque, vt sonos inter *e* et *i* singularibus signis notassent, sonos etiam inter *a* et *ä*, *ä* et *e*, *ü* et *i* medios singularibus literis significassent. Atque erit sane magnus Apollo, qui *η* constanter in recitandis Graecorum libris ita pronunciauerit, vt neque *e* neque *i* percipi possit. Praeterea, cum *η* ita ab *ε* differre, vti *ω* ab *o* diserte traditum sit, num quid Graecorum *ω* sonum inter *o* et *ö* medium tenuit? vel, cum Romanorum *e* apud Italos,

---

12) Sic Germanorum *e* passim ad *ä* accedit, vti in verbis *Leben*, *geben*, quae vbi Läben, gäben pronunciantur, rectius ita scribi deberent; sic Itali dicunt: L'agnellina fa be be.

13) Cf. Villoison Anecdot. Gr. II. p. 126. Ideen üb. uns. Eras. Ausp. p. 31.

14) Cf. Prodromus Coptus. p. 480. col. Scholz. Gramm. Aegypt. p. 7.

Germanorum apud Anglos sonum *i* passim subierit, num quid inde sequitur, Latinos et Germanos vocali *e* integro caruisse?

Qui itaque *η* genuina sua potestate seruare recteque pronunciare cupiunt, operam dabunt, vt *η* eo sono proferatur, quem habent *e* verborum *redlich*, *mehr*, *vérité*, *ciêlo* atque *ea* verborum *bread*, *meat*, *great*.

§ 3. *I.*

Quum *ι* secundum interpretes S. S. non solum *i*, sed etiam ante vocales *j*, licet admodum leniter pronunciandum sit, quaeritur, vtrum linguae Graecae atque Latinae etiam huius rei testimonia insint. Negatur quidem oppido a multis, *ι* vllo in loco consonae *j* vim apud Graecos habuisse [15]; sed nulla, quod haud raro obseruatur, argumenta pro ea sententia attulerunt. Quamuis sufficiat ad hanc quaestionem soluendam illud afferre, quod *ι* ante vocales satis correptum sua sponte consonae *j* sonum refert atque Graeci etiamnum *ι* istis in locis *j* pronunciant, quod Hebraeorum י, cui Graecorum *ἰῶτα* respondet et consonae et vocalis partes agit, quod denique nulla, quod nouimus gens, consona *j*, primaria nimirum, caret; videamus tamen quae e Graeca et Latina lingua de literae *ι* potestate colligi possint.

---

15) Cf. Matthiae. c. p. 17. Buttmann l. c. p. 16. Hauerc. S. I. p. 75. 318. 366. al. II. 583.

Aetate Homerica.

Negari nequit, in scriptis Homericis aliisque ι vocales etiam praecedens tamquam vocalem plerumque tractari [16]; sed cum poetae Graecorum, inprimis Homerus nimium sibi indulserint alias; carminum auctoritate probari vix potest, ι Graecis nusquam consonam valuisse. Quo iure enim Homerus aut Graeci eiusdem aetatis literas ι et α verbi, vt hoc vtamur, *Ἰασονος* nunc produxerunt, nunc corripuerunt, eodem etiam consonam ι aut metri aut numeri caussa potuerunt torquere. Praeterea ι apud poetas etiam saluo metro sexcentis in locis consonae *j* modo pronunciari potuisse constat [17]. Exempla tamen consonae ι afferri possunt primus statim Iliadis versus: *Πηληϊαδεω Ἀχιληος·* atque (Il. β. 415.) *πυρος δηϊοιο θυρετρα.* Eiusdem generis est *ηια*, quamuis *ἠα* legas (Od. ε. 206. ι. 212.)

Saec. VIII.

Hac aetate vel superiori etiam Latini literas Graecas suas fecerunt [18], e quibus *ἰωτα* (I), a Cicerone *iota* dictum, non solum vocalis sed

16) *Ἰαρδανος* Il. η. 136. *ὡς δ' ὁποτ' Ἰασιωνι.* Od. ε. *φιλος ἠεν Ἰησων.* Od. μ. *Ἰαλμενος* Il. β. 517. *Ἰησονιδης* Il. η. 468.

17) E. g. *Ἐντατοι | ἑλκεχι | τωνες | Ἰαονες | ἠγερε | θονται.* Hym. in Apoll.

18) V. Henselii Synopsis vniuers. philol. Norimb. 1741. p. 94.

etiam consonae notam adhibuerunt, quod quidem non accidissit, si *ι* non pari apud Graecos fuisset potestate. Latinorum autem I vocales praecedens illo tempore *j* sonuisse, partim ex eo cognoscitur, quod *I* pro consonantibus scriptum est [19], partim eo, quod I post ea tempora certis in locis *j* pronunciatum est. Non enim pro linguae Latinae ratione accidere potuit, vt I serius demum consonae naturam in se susciperet.

Saec. V.

Reperitur apud Pindarum (Pyth. V. 43.) *Λᾳος* pro *Λαιος*, cui consona sunt *λωιων*, *Θυιας*, *πατρωιος* aliaque plurima, e quibus cognoscitur, *ι*, vti Hermannus iam statuit, apud Graecos consonae *j* etiam partes egisse [20]. — Apud Aristophanem aliosque exstant interiectiones dolentis *ἐια*, *ἐια μαλα*, *ὢ ἐια*, quae quidem ad dolorem indicandum certo certius non adhibitae fuissent, si sonum *e* non habuissent. Apud omnes enim gentes, omnibusque in linguis dolentium voces vocalem *e* aut affinem aliquam (*ä*, *ö*) continent. Iam vero, quin in *ἐια* *e* auditum fuerit, cum vix dubium sit; sequitur, *ι* post *ε* consonam significasse. Idem discitur a Latinis. Cum enim Romani *ει* dudum ante Ci-

---

19) Huius generis sunt *maior* = *μεζων*, iugum = *ζυγος* iungo = *ζυγνω* = *ζευγνυμι*, iecur = *Ηηπαρ* al.

20) Cf. Splend. Herman. De emend. rat. p. 40. s.

ceronem *i* scripserint, *εια* vero — quod Martialis versus (L. II.) habet: *Eia age rumpe moras — eia;* clarum est *ει*, illo in verbo neque diphthongi neque vocalis *i* modo, sed *ej* a Graecis pronunciatum fuisse.

Saec. II.

Terentius aliique literas Graecorum *αι*, *ει*, *οι*, vbi consonas praecederent, *ae*, *i*, *oe* scripserunt, ante vocales constanter fere *ai*, *ei*, *oi*. Hinc autem apparet, *ι* in *αι*, *ει*, *οι* ante consonas longe aliam vim habuisse, in quo nunc acquiescamus, quam ante vocales positis.

Saec. I. a. Ch.

Hac etiam aetate Romani *αι*, *ει*, *οι*, paucissimis verbis exceptis, nonnisi ante vocales *ai*, *ei*, *oi* scripserunt.[21]). Huc spectant literae *υι*, nunc *ui* nunc *yi* nunc *y* redditae. Iam vero quid est, quod Latini *ι* istis in locis non *e* sed *i* scripserint? Scilicet scrupulum euellit Priscianus. Is enim (Gramm. L. I. p. 30.) de verbis *Troiae* et *Maiae* obseruat, *in hac voce i locum duplicis consonantis obtinere.* Huc spectat locus *Gellii* (L. XIX. c. 14.) omnium luculentissimus,

---

21) Huius generis sunt: Calliopeia, elegeia (Ouid.) Troia = *Τροια*, Boii = *Βοιοι*, Maia = *Μαια*, Achaia = *Ἀχαια* (Liv.), Aiax = *Ἀιας*, Naiades, Caius = *Γαιος*, Baiae = *Βαιαι*. Hinc Ambubaiarum collegia apud Horatium. Harpuia et Harpyia = *ἁρπυια*, Agyieis. Excipt. Euboea = *Ἐυβοια*, Achaeus, Poeas.

vbi Nigidius docet: *Si quis putat, praeire* u *in his verbis: Valerius Volusius, aut i in his: iampridem, iecur, iocum, iucundum, errabit, quod hae literae, cum praecedunt, 'ne vocales quidem sunt.* Valuit itaque *i* Latinorum cum his in verbis, tum in aliis vocales praecedens consonam *j*. Idem cognoscitur ex Horatiano *Vindemiator* (Sat. 1, 7. 30.) in quo, cum *e* producendum sit (Virg. Georg. II. 522.), *i* non mutum est, sed consonam *j* significat. Simile quiddam obseruatur apud Dionysium Periegetam in versu:

Ἀγχι δ' Ἐρυθραιον τε και Αἰθιοπιον καλεουσιν [22].

atque in verbis Lilie, filia aliisque, quae corrupte passim *Lilje*, *filj* proferuntur. Porro poetae Latini aureae aetatis omnes ac singuli *i* vocales praecedens verborum et medias et primas tamquam consonam tractarunt. Obiici quidem possit, poetis vt nimis audacibus, praesertim cum *i* ante vocales instar Graecorum pro ῐ etiam adhibuerint, fidem denegandam esse; sed testis adest Priscianus atque Nigidius (ap. Gell. LXIX. c. 14), asserens, verba, in quibus quidem poetae *i* consonam pronunciant, *iampridem*, *iucundus*, vere trisyllaba et *iecur*, *iocus* dissyllaba esse. Sed iam perspicitur, Latinorum *i* vocalibus siue verborum in capite siue in me-

---

22) L. c. v. 38. Cf. Spl. Hermann. De emend. rat. p. 33.

dio praepositum consonam valuisse. Quo vero loco contra est apud poetas, a vulgari linguae Latinae ratione, cuius testem habemus e Ciceronis aetate Nigidium, suo more discesserunt. Hoc tantum inde apparet, Latinorum *i* consonam leniter neque instar *ch* — alioquin in vocalem *i* haud facile mutari patuisset — pronunciatam fuisse. Quae quum ita sint, vide, quid sit, quod Latini Graecorum *αι*, *ει*, *οι*, *υι* iis tantum in locis *ai*, *ei*, *oi*, *yi* scripserunt, in quibus exciperentur a vocalibus. Concludendum itaque est, Graecorum *ι* aeque atque Latinorum *i* ante vocales positum saeculo etiam II. et I. a. Ch. *j* pronunciatum fuisse. Iis autem in locis, in quibus Graecorum *ι* a Latinis non *i* sed *e*, veluti in Euboea pro *Ἐυβοια*, scriptum exstat, *ι*, quod demonstratione non eget, consonam *ι* non significauit, neque offensionis est, quod poetae *ι* consonam pro licentia sua haud raro in vocalem *i* correptam mutarunt. At vero, si *ι* in *ει* et *οι* Graecis consona fuit ante vocales, quid est, inquies — Buttmannum audio — quod Graeci *ε* et *ο* in carminibus non corripuerint? Hoc loco obseruandum, vocales ante *j* pronunciandas, quod vitae vsus atque exercitatio docent, satis corripi non posse, nisi si *j* duriuscule proferatur atque in *ch* mutetur. Qua de re non obiurgauerim Graecos, quod *ο* et *ε* istis in locis non in *ω* et *η* mutarunt, praesertim cum alia adfuerint huius scripturae impedimenta. Deinde Latini etiam, quamuis in

scribendis carminibus subtiles atque in imitandis Graecis accurati, ε et ο corripienda illa produxerunt. Sufficiant ad probandum exempla ex Ouidio (Fast. V.):

Prima sui coepit Calliopeia chori.

(Eleg. L. III. al. 8.)

Flebilis indignos Elegeia solue capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

(Alibi:)

Elegeia flebile carmen.

Virgilio:

Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.

Quod vero Virgilio, Ouidio aliisque, Homerum secutis, licuit, Homero etiam, qui η et ω adeo ignorauit, atque Graecis, qui Homerum aemulati sunt, non dubito, quin concessum fuerit. — Hac aetate Strabo, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassensis, alii Latinorum *i* siue *j* sexcentis in verbis ι reddiderunt, quod parum recte fecissent, si non ι parem sonum apud Graecos habuisset [23]. Cum enim γ inter vocales positum tunc temporis cum *j* sono conueniret, potuisset et debuisset adeo γ pro *i* consona adhiberi, si ι aliam, atque dictum est, potestatem habuisset.

Saec. I. p. Ch.

Huius etiam aeui scriptores, Plinius, Pomponius Mela, reliqui ι inter vocales plerumque

---

23) Exemplo sit *Βοιοι* pro Boii apud Strabonem.

i, alias *e* reddiderunt, de qua quidem scriptura id valet, quod supra monitum est.

Saec. II.

Laudandus est Plutarchus, qui Latinorum *i* consonam *ι* significare non dubitauit. In eo tantum haerendum videtur, quod *ei* ante vocales *ηι* scripsit. Sed cum *e* ante *j* et ob orationis naturam, et ob Latinorum vsum producendum esset, cumque *ει*, quod infra videbimus, tunc temporis *i* valeret, hoc tantum Plutarcho, in Latina pronunciatione seruanda accuratissimo, relictum erat, vt *ei* istis in verbis *ηι* scriberet.

§ 4. *Y*.

Quum *ὖ ψιλον* neque figuram neque nomen literae habeat Hebraicae cuiusdam atque a scriptoribus Latinis a Pythagora inuentum tradatur [24]), nec non ab inscriptionibus eam aetatem excedentibus absit; nonnisi a saeculo sexto exordiri potest disputatio de huius literae pronunciatione.

Saec. VI.

Ante omnia monendum, *v* a Pythagora — faciamus enim nunc, ab eo *v* profectum — *ψυλον*

---

24) Pythagorae Samio literam *v* deberi, testantur verba Virgilii vel alius cuiusdam ex eadem aetate: *litera Pythagorica*; Persii (sat. 3.): *litera Samiis diducta ramis*; Ausonii: *Pythagorae biuium ramis ambiguis patens*.

vocatum esse haud dubie eo consilio, vt a sono simili quodam discerneretur. Quemadmodum enim Graeci, inuenta *η* vocali, *ε* nominarunt *ψιλον*, ne cum *η* confunderetur, ita etiam *υ*, quod vocarunt *ψιλον*, vix dubium est, quin aliam literam potestate similem in mente habuerint. Iam vero nulla est Graecorum vocalis, quam *υ* aequare potuerit sono atque superare temporis quantitate, nisi *ου*, qua de re admodum probabile est, *υ* initio *u* corripiendum valuisse. Sentio, quae opponi possint, sed acquiescamus hic paullulum. — Si Graeci serius demum in scribendo *υ* adhibuerunt, quaeritur primum, quibus literis sonum *υ* ante significauerint. Offertur statim *ο*, quod in permultis iisque antiquissimae aetatis inscriptionibus loco *ου* reperitur atque etiam loco *υ* [25]. Possit hinc aliquis concludere, *ο* initio non solum *o*, sed etiam *u* singnificasse Graecis, quod oppido falsum esset. Quamquam enim ad hanc sententiam probandam afferri possit, quod Phoenices, Hebraei, Syri aliique idem fecerunt, quod epigramma Thrasymachi literae *ο* sonum *u* tribuit, quod denique Victorinus et

---

25) Ex inscr. Herodis Attici: *οδενι* pro *οὐδενι*, *το* pro *του*, *ο* pro *οὐ* al. Ex inscr. Sigea: *Φανοδικο* pro *Φανοδικου*, *το* pro *του* al. Ex insc. Att. (Boeckh Staatsh. II. p. 276) *χσυναρχοσι* pro *ξυναρχουσι*. Ex inscr. Amycl. (Histoir. de l'Acad. Tom. 8. N. II. III.) *το Αγεσιλαο* pro *του Ἀγεσιλαου* al. Ex inscr. Amycl. (Memoir. de l'Ac. T. 39. p. 123.) *σεκολα* pro *σκυλλα*, *αμομονα* pro *ἀμυμωνα*, *αμοκελας* pro *ἀμυκλας* al. Idem obseruatur in aliis titulis lapidum et numorum plurimis.

Athenaeus diserte tradunt, veteres *o* pro *ου* scripsisse [26]; obest tamen, quod in lapidibus illis *υ* reperitur [27], quod ibidem singularis litera V, de qua statim videbimus, exstat, quod denique in nonnullis inscriptionibus et *ου* et *o*, cuius loco serius demum aut *ου*, aut *υ* adhibuerunt, adest [28]. Cum enim illis in monumentis et *o* et *υ* reperiatur, potuisset et debuisset *υ* loco *o* scribi, quod postea factum est; deinde, cum *o* illud, hodie *ου* scriptum, subinde tantum in *ου* mutatum sit, ita vt in epigrammate habeant verba alia *o*, alia *ου* iamiam scripta; hoc etiam clarum est, *o* ab *ου* diuersum fuisse neque *o* nunc *o*, nunc *u* apud Graecos valuisse. Est itaque vsus *o* pro *ου* antiquus siue archaicus neque

---

26) Victorini verba sunt: *priusquam Graecis inter vocales repertae essent η et ω, vicem earum tam apud illos, quam apud nos expleuerat ε et o. O etiam scribi solita pro syllaba ου, ε autem pro ε et ητα.* Thrasymachi versus vid. sup. p. 55. Athenaei sunt: *παντες οἱ ἀρχαιοι τῳ ο ἀπεχρωντο, οὐ μονον ἐφ᾽ ἡς νυν τaττεται δυναμεως, ἀλλα και ὁτε την διφθογγον διασημαινει, δια του ο μονον γραφουσιν.* (Deipn. L. XI. p. 466.)

27) Insc. Herod. Att. *μαρτυς* (*ΜΑΡΤVΣ*) Inscript. Sigea. *σιγευευσι.* Insc. Att. (Boeckh. p. 276.) *χσυναρχοσι, ευφεμος.* Insc. Amycl. II. *Δορυσσο* III. *Δευκσιδαμο* al.

28) Insc. Amycl. (Mem. de l'Ac. T. 39.) inde a linea 18. (Cf. Hug. Erfind. d. Buchstab. p. 66), in qua permultis in verbis *ου* loco o iam reperitur; in aliis autem adhuc *o* pro *ου* et *υ* exstat. Idem obseruauit Boeckh. l. c. T. II. p. 327., qui in monumentis nonnullis et *ου* et *o*, pro quo quidem postea demum *ου* reperitur, inuenit, velut *ουκ*, *ουν* iuxta *αυτο* (*αὐτου*), *χρυσος* (*χρυσους*), alia.

vix dubium est, quin veteres Graeci *ο* pronunciauerint *ο*, quo loco recentiores scripserunt et pronunciarunt *υ* atque *ου* siue *u*. Praeterea Graecos veteres rudes illos *ο* pronunciasse, quo loco recentiores *ου* habent, testis adest grauissimus Aristophanes, qui in *Θεσμοφοριαζουσαις* Scythas, quippe adhuc rudes, veluti homines prisca fide, producit loquentes: *ἐκ' ὤδεν* (v. 1209) *πανουργο* (1122) *καλο*, *γλυκερο* (1198), alia. Iam vero cum Graeci *υ*, quod dudum aderat, loco *ο* scripserint et pronunciauerint subinde, non potuit *υ* nisi duplicem, quod ex superibus constat, sonum significasse scilicet *u* et *ü* vocali *ο* affinium. Atqui *ο* — pergimus enim concludendo — priusquam *ω* inuentum esset, non solum corripiendum, sed etiam producendum *ο* significauerit, necesse est; qua de re, cum *ο* alias in *ου* producendum alias in *υ* corripiendum mutatum sit, cogitur *υ* solum neque cum *ο* coniunctum *u* breue valuisse. Quemadmodum enim Graeci *α in ε*, *η* in *i*, *οι* in *ü*, quae sunt vocales earundem classium faciliores, temporum lapsu mutarunt pronunciando, ita etiam *ο* cum producendum, tum corripiendum in *u*, sonum faciliorem, secundum certas leges conuerterunt. Eo autem tempore, quo *ο* producendum ad *ου* siue *u* producendum abiret iisque literis significari inciperet, necesse erat, vt *υ* nomine etiam distingueretur ab *ου*, qua de re Graeci *υ* vocarunt *ψιλον*. Porro vidimus denuoque videbimus, *υ* in *αυ*, *ευ*, *ωυ* pronunciatum fuisse *ŭ* atque ante vocales *w*,

quo denuo confirmatur, *v* initio *u* idque corripiendum significasse. Absonum enim fuisset, si Graeci ad sonos *au*, *eu*, *ou* adhibuissent literam, quae *ü* aut *i* proprie valeret, nec vllo pacto *v* ante vocales *w* pronunciari potuisset, si non *u* idque correptum valuisset, nec, quod summum est, *v* sonum *w* in diphthongis, quem nunc obtinet inter Graecos, subire potuisset, si non *u*, quod *w* fit suppressa voce, initio significasset. Porro Latini innumeris fere in verbis *u* habent loco *ὐ ψιλον* Graecorum [29], vnde clarum est, Latinos etiam *v* tamquam *u* a Graecis pronunciari audiuisse. Contra quidem possit moneri, Latinos illud *u* vti ü pronunciasse aut Graecorum *v* in *u* mutasse. Sed cum Latini *y* = ü habuerint atque passim pro *v* scripserint, non dubium est, quin *u* istorum verborum *u* valuerit [30]. Deinde sonum *v* Latinis in *u* conuersum

---

29) Huius generis sunt: apua = *ἀφυα*, super = *ὑπερ*, sus = *ὑς*, mus = *μυς*, superbus = *ὑπερβιος* (Inde Erasmus *v* apud Graecos *ü* sonuisse concludit. Hauerc. Syll. II. p. 84.) trutina = *τρυτανη*, genu = *γονυ*, stupa = *στυπη*, guberno = *κυβερνω*, duo = *δυο*, fucus = *φυκος*, musso = *μυζω*, lupus = *λυκος*, nunc = *νυν*. (His verbis Velasti l. c. p. 88. 102. probare studet, a Latinis pronunciationem *ὐ ψιλου* disci non posse.) tu = *συ* Amphitruo (ap. Plaut.) = *Ἀμφιτρυων*, sub = *ὑπο*, ruo = *ῥυω*, luo = *λυω*, spuo = *πτυω*, fuo = *φυω*, tumba = *τυμβος*, purpura = *πορφυρα*, botrus = *βοτρυς*, turba = *τυρβη*, susurro = *συριζω*, cubus = *κυβος*, cutis = *κυτος*, culingna = *κυλιχνη*, cuprum = *κυπριον*.

30) Exempla sunt thynnus = *θυννος*, cytisos = *κυτισος*,

esse, duabus de caussis vix ac ne vix quidem probabile est. Primo enim Latini, serius demum exculti politique, sermonem ac pronunciationem mutandi initio nullam habuerunt caussam. Porro ex inscriptionibus atque veterum inprimis Ciceronis constat testimoniis, *u* subinde in *y*, hinc in *i* mutatum esse [31]), ex quo cognoscitur, *u* in verbis Latinis origine Graecis genuinum esse. A Latinis itaque etiam cognoscitur, *v* initio neque ü neque i, imo *u* significasse. Deinde haud pauca verba Semitica antiquitus in Graeciam illata reperiuntur, in quibus *v* loco *u* scriptum est [32]). Quamquam litera illa *u* sonum ü etiam habere potuit, tradit tamen Iosephus diserte, illud *v* in verbis certe nonnullis *u* pronunciatum fuisse [33]). Deinde verba sunt Graecorum nonnulla *ὀνοματοπεποιημενα*, *βυεις* (bubo) *βυζω* (bubulo) *κοκκυξ* (cuculus) *κοκκυζω* (cuculo) *γρυζω* (grunnio) *μυκασθαι* (mugire), quae omnem hunc locum egregie illustrant. Nemini

---

adytum = *ἀδυτον*, cymba = *κυμβη*, myrtus = *μυρτος*, asylus = *ἀσυλος* al.

31) Exempli c. Erucina in veteribus insc. pro Erycina. lacrumae, lacrymae, lacrimae al. Verba Ciceronis hanc rem egregie illustrantia sunt: *Purrhum semper Ennius nusquam Pyrrhum. Vi patefecerunt Fruges, non Phryges, ipsius antiqui declarant libri.*

32) Nonnulla attulimus ex hoc genere supra p. 55. n. 8.

33) Verba Iosephi sunt: *Ἀσσυρας δε Νινου οἰκιζει πολιν και τους ὑπηκοους Ἀσσυριους ἐπωνομασεν.* Et paullo post: *οὑς δε Λυδους νυν καλουσι, Λουδους δε τοτε, Λουδας ἐκτισε.*

enim facile aliquis persuadebit, mutasse boues, cuculos, bubones, sues Graecorum et Latinorum vocem, tuncque temporis *mygiisse* vel *migiisse*, *cycylasse* vel *cicilasse*, *bybylasse* vel *bibilasse*, *grynniisse* vel *grinniisse*, aut Graecos Latinosque homines obtortis auribus incessisse. Praeterea Graecos loco *υ* sonum *u* habuisse M. Verrius Flaccus etiam aetate Tiberii confirmat verbis: *Antiqua consuetudine, qua Graeci Βυῤῥον Burrum, πυξον buxum dicebant.* Concludendum itaque est, *υ* initio ad sonum *u* eumque breuem a Graecis adhibum fuisse. Recte quidem, sed heus tu dic mihi sodes, inquies, quid est, quod Graeci et vetustissimi et recentissimi *υ* passim produxerint in carminibus conscribendis? Audio. Concedes ante omnia, *υ* secundum poetas plerumque corripiendum, rarius producendum esse. Nam *υ* breue habes in diphthongis *αυ*, *ευ*, *ωυ*, breue etiam in omnibus fere verbis, quae apud Latinos *u* pro *υ* habent, breue denique ante consonas geminas, vbi positione sponte corripitur. Sed redeamus ante omnia ad veterum inscriptiones. Quod scilicet traditur, *υ* duplicem olim formam habuisse Y atque V, hoc oppido falsum videtur. Primo enim in eo omnes vetrum scriptores consentiunt *υ*, literam Pythagorae, similem esse figura aut aui volanti, aut biuio, aut arbori ramis patenti, quod quidem in V minime cadit. Deinde vtriusque signi figurae adeo inter se diuersae sunt, vt neutiquam vix caeco pro vna

eademque haberi possit litera. Constat enim V e duabus lineis conuergentibus siue angulo vno, Y autem e lineis tribus siue angulis tribus. Quemadmodum vero Latini Y ab V, qui vtramque literam singularis soni signum adhibuerunt, distinguere nouerunt, ita etiam, quin Graeci literas illas confundere non potuerint, vix dubium est. Deinde in inscriptionibus vetustioribus discrimen inter Y et V, quod in oculos incurrit, statuitur. Sic in inscriptione Sigea V est in verbo *ΠΡVΤΑΝΕΙΟΝ*, Y vero in *ΣΙΓΕΥΕΥΣΙ*, Dorica quaedam *ΤΑVΤΑ* atque etiam *ΥΜΕΝ* habet [54]; columna Herodis Attici nonnisi *V* in verbo *ΜΑΡΤVΣ*; *ΡΑVΚΙΟΙΝ* (non *ΡΑΙΚΙΟΙΝ*) numus sextus, *ΤVΧΗ* (*τυχη*) numus vicesimus sextus apud Hauercampum. Idem obseruarunt Hauercampus, Montefalconius, Potterus, *υ* passim a Graecis V scriptum exstare, siue, quod rectius se habet, V aliam

---

54) Non ignoro inscriptionem Sigeam ab Osano (Proleg. ad inscrip. Gr. et Lat. Fasc. I.) aliisque serioris acui, quam ferunt, facere. Cum vero in lapide illo *η* et *ω* non reperiatur, Y vero Pythagorae exstet; videtur instriptio illa, cum Pythagoras literae Y auctor est, certe post saeculum VI. atque ante V. orta esse. Sed haec obiter. — Inscriptio Dorica, quae exstat apud Henselium (Synops. vniuers. Philolog. p. 92), vnde depromta sit, ignoro. Inscriptio haec est: *ΤΑVΤΑ ΔΕ ΕΙΝΑΙ ΕΦ ΥΓΙΕΤΑΙ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙΑΙ ΤΑΝ ΠΟΛΕΩΝ ΑΜΦΟΤΕΡΑΝ ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ |ΦΑΙΝΕΤΑΙ ΥΜΕΝ ΠΡΟΣΘΕΙΝΑΙ Η ΑΦΕΛΑΙ ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΜΕΝ ΕΡΩΣΤΕ.*

fuisse literam, quam Y [35]. Nemo enim facile eo adducetur, vt credat, Graecos negligentia et incuria ductos iisdem in marmoribus alias V alias Y exarasse, cum tempus huic operi suppeteret haud breue. Porro cum *O* apud Graecos *o* quidem et producendum et corripiendum significauerit neque vero *u*; quae fuit, rogo, litera ad sonum *u* innuendum? Denique V et Y literas diuersas fuisse atque V aut a Cadmi, aut Palamedis inde aetate Graecis vsitatam, optime discitur a Latinis. Cum enim Latini saeculo VIII. literas e Graecia in Italiam secum traiecerint atque V apud Latinos reperiatur; cogitur, Graecis etiam tunc temporis V in vsu fuisse, neque vero Y, serius inuentum. Moneri quidem possit, Gracos Italiam occupantes literis suis addidisse nouum signum; sed, cum inter Graecos Graeciam maiorem et minorem inhabitantes constans commercium fuerit, necesse sit, dubitari vix potest, quin Graeci Peloponnesiaci atque reliqui, cum ad literas nouas easque aptas recipiendas vsque promti paratique fuerint, V etiam ex Italia retulissent, si litera, vel barbaris ad scribendum necessaria, antea caruissent. Clarum est itaque, Graecos ante literam Y natam in vsu habuisse V. Iam vero a Pythagora Y serius adhibita traditur, vnde factum est, vt inscriptiones veteres vtramque literam habeant,

---

35) V. Hauerc. Syll. I. Dissert. de litt. Gr. figur. p. 265. 285. col. Tab. 189. Potter. Archaeol. T. III. Tab. V.

atque Latini etiam V ab Y distinxerint hancque literam serius quidem suis addiderint. Hoc quidem serius accidisse, ex eo cognoscitur, quod apud Latinos post legitimum literarum vsque ad V ordinem X, hinc demum Y, hinc demum Z sequntur. Ex his itaque intelligitur, partim literas Graecorum *ξ*, *υ*, *ζ* serius inuentas esse, quod aliunde etiam constat, partim Latinos Y post X (ξ) demum progenitum, de cuius aetate constat, suum in vsum convertisse. Hoc enim facile quiuis concedet, ordinem literarum Latinarum cum Graeco fere conuenientem non forte fortuna, sed certis quibusdam de caussis confectam esse. Itaque peruenimus iam eo, vt respondere possimus iis, qui quaesiuerint, quam vim Pythagoras literae *υ* tribuerit atque quo modo factum sit, vt *υ* dixerint *ψιλον*, hoc est corripiendum prae vocali *ου* producenda, neque vero vbique a poetis correptum. Vidimus nimirum, Latinos ita mutasse verborum pronunciationem, vt *u* subinde in *y* hinc in *i* conuerterent, ex quo intelligitur, *y* inter *i* et *u* sono medium fuisse atque *ü* significasse. Cum vero *υ* et figura et ordine et scriptura etiam respondeat *ὐ ψιλῷ*, sequitur, *υ* initio *ü* valuisse. Possis quoque, si malueris, ita concludere. Cum Graeci literarum sonum ita commutauerint, vt vocales quasque in minores atque sono *i* proximas verterent; sequitur, *υ*, cum inde a Pythagorae tempore loco V siue *u* scriptum atque subinde *i* pronunciatum sit, initio *ü* significasse.

Attamen hoc quidem de eo tantum tempore valet, quo Graei vtramque literam et V et Y in scribendo adhibuerint, veluti in inscriptione Sigea et Dorica; serius enim, quod mirum est sane, V periisse videtur nec nisi Y adhibitum, veluti in inscriptione Atheniensi apud Montefalconium, Nemea apud Bimardium aliisque [36]. Quamquam vero hoc non accidisset, nisi V subinde pluribus in verbis sonum *ü* subiisset, vix tamen est, quod dubitemus, quin Y post ea etiam tempora, quod de diphthongis *αυ*, *ευ*, *ωυ* et *ου* pro certo constat, *u* idque correptum pronunciatum sit. Ac ne quis putet, V tantum ad *ü* abiisse, idem enim accidet etiam vocali *ου*, quod ex numo Hyrinae perspicuum est [37]. Ex his, quae adhuc disputauimus, iam clarum est, quomodo *υ* potuerit *ψιλον* vocari atque passim produci. Cum enim Graecorum aeque atque Latinorum V anceps fuerit atque Graeci pro V subinde Y adhibere, pro V producendo autem postea OV et OY non dubitauerint; accidit, vt V anceps Y (*ü*) anceps euaderet. Denique hinc etiam clarum est, *υ* ante vocales *w* hac aetate pronunciatum fuisse. Cum enim V Graecum cum Latino conuenerit atque Latini V sequentibus vocalibus corripiendum — quod quidem non solum e carminibus,

---

36) V. Montefalcon. Palaeogr. Gr. p. 135. 144. V. Fischer. ad Welleri Gr. T. I. p. 24.

37) Cf. Hauercamp. Syll. I. p. 213. ss. col. p. 185. n. 3.

quibus fides hac in re habenda est, sed etiam ex inscriptionibus constat [38] — tamquam consonam *w* pronunciauerint; cogitur Graecos etiam literae Y, vbi pro V illo ante vocales corripiendo scripta esset, consonae *w* potestatem tribuisse. Idem probatur dialectis verbisque archaicis, in quibus *υ* instar v Latini adest, quod non nisi tamquam consona excidere potuit [39].

Saec. V.

Aristophanes in Pluto quinquies repetit ῦ ῦ ad sonos olfacientium describendos [40]. Cum autem sonus *ü*, aëre per nares immisso, oriatur; apparet, Aristophanem literae *υ* sonum *ü* tribuisse pro more huius aetatis. — Tradit scholiasta: *ἐν νεφελαις τρεις μναι διφρισκου και τροχοιν Ἀμυνιᾳ· τοτε γαρ ἠρχεν Ἀμινιας Προναπου*

---

38) Poetas Latinos et vetustissimos et recentiores *v* ante vocales pro consona *w* habuisse, demonstratu non eget. Id quidem cognoscitur etiam ex eo, quod inscriptiones pro V ante vocales digamma habent, veluti Romana ex Claudii aetate: POMOERIVM TERMINAꟻIT AMPLIAꟻITQVE; numi: OCTAꟻIA DIꟻI AVGVSTI. Hanc literae V pronunciationem genuinam esse, ex eo clarum est, quod locum digammatis apud Graecos obtinet: Dauus = *ΔαFος*, sylua = *ὑλFη*, ouum = *ὠFον*, quod quidem passim etiamnum in numis pro V scriptum reperitur.

39) Huc spectant *ευαδεν* pro *ἑαδεν*, *θραυω* pro *θραω* al. In vanum itaque torsit *υ* Grammaticos, qui ex digammatis Aeolici vsu rem explicare frustra tentarunt.

40) V. Hauerc. Syll. I. p. 93.

υιος. εκεινον ουν επισκωψαι θελησας, παρετρεψε το ι εις το υ κ. τ. λ., quo ex loco cognoscitur, *ι* ab *υ* diuersum fuisse atque etiam *υ* sonum *i* affinem (*ü*) habuisse [41]. — Tradit Athenaeus, Sophoclem peculiari quadam scribendi ratione pro *κυναρα κιναρα* vsurpasse, quod quidem non accidisset, si non *υ* significasset *ü* in illo verbo atque in aliis [42].

Saec. III.

Scripsit Ennius, vti monuit Cicero, Purrus pro *Πυῤῥος*, Fruges pro *Φρυγες*, quo hoc tantum efficitur, illa nomina antea *u* loco *ü* habuisse [43]. Eadem ratione est nomen Erucina, quod in numis et inscriptionibus vetustissimis exstat pro Erycina.

Saec. II.

Terentius, Plautus aliique *v* ante consonas, nisi si in diphthongis esset, *y*, quod *ü* significasse vidimus, reddiderunt, ante vocales *v* consona in diphthongis *u* vocali. Literam autem v Latinis ante vocales *w* fuisse, vel ex Ouidiano: *sub aqua, sub aqua* intelligitur. Scibit vero etiam Terentius sic: *an in astu* (*ἀστυ*) *venit,* quo sane probabile redditur, *v* sonum *u* adhuc non solum in diphthongis, sed passim alias etiam

41) V. Hauerc. Syl. II. p. 539.

42) Loc. Athen. est L. II. dipn. c. 23. Cf. Placentin. l. c. p. 17.

43) Vid. Placentin. l. c. p. 81. Hau. S. I. p. 95.

habuisse [44]. — Huc spectant haud dubie numi duo Veliorum (Hauerc. Syll. I. p. 991. n. 42. et 43. col. p. 285 s.), in quibus bis *ΥΕΛΗΤΩΝ* reperitur, e quibus cognoscitur, Υ aeque atque V ante vocales hac etiam aetate *w* valuisse. Scribitur enim hoc nomen alias *Οὐελια*, *Βελια*, Velia.

Saec. I. a. Ch.

Litera υ, inquit Dionysius Halicarnassensis, *quam ω exilior est et cum contractione quadam labiorum notabili sonus angustus est ac paene suffocatus exit ex ore, quum in ἰωτα contra ore paullulum dilatato sonus nequaquam in labiis resplendeat, sed dentes spiritu feriat et pulset* [45]. Idem alio loco, *inter vocales*, inquit, *longas α sonantissimum est; profertur ore dilatato plurimum, spiritu sursum versus palatum sublato. Proximum η, quod infra circa basin linguae sistat sequentem sonum, non sursum versus et os mediocriter aperit. Tertium ω; rotundatur enim os in illo labraque contrahuntur, spiritus summos oris margines ferit. Minus hoc υ est; nam labiorum notabili contractione facta profertur et angustus incidit sonus. Extremum omnium ι; nam circa dentes percutitur spiritus ore parum aperto, neque quidquam labra sonum illuminant* [46]. — Tradit Ouidius, (lib. II.

---

44) Hauerc. S. II. p. 293.

45) Hauerc. S. II. p. 93. s.

46) Vid. Hauerc. Syll. II. p. 537. 291. I, 94.

Remed. amor), verba *Chryseis* et Briseis prima tantum litera differre, ex quo cognoscitur *y* et *i* in illo verbo parem sonum retulisse atque *v* etiam, quod apud Latinos y scriptum erat, passim iamiam, vti postea accidit, *i* pronunciatum esse [47]. Quod attinet Latinorum *u*, quo *v* inter vocales scriptum est, e Gellio constat, eam literam ante vocales *w* valuisse. Dicit enim Nigidius (Gell. L. XIX. c. 14.): *Si quis putat praeire u in his verbis: Valerius, Vannonius, Volusius; aut i in his: iampridem, iecur, iocum, iucundum, errabit, quod hae literae, cum praeeunt, ne vocales quidem sunt.*

Saec. I. p. Ch.

Ex loco Quintiliani: *Iucundissimas ex Graecis literas non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullae apud illos dulcius spirant, quas mutare solemus, quoties illorum nominibus vtimur, vt in Zephyris et Zopyris, quae si nostris literis scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient et velut in locum earum succedent tristes et horridae, quibus Graecia caret* [48]; id primum de *ὐ ψιλον* sono cognoscitur, *v* et y diuerse pronunciata fuisse. Cum vero Latinorum y, quod ex Ouidio atque Latinorum aetate Ciceroris consuetudine, y otiosum expellendi, cognoscitur, tunc tempo-

47) Vid. Hauer. S. I. p. 327.

48) Vid. Hauer. S. I. p. 410. 316. Neidlinger l. c. p. 32.

ris ad *i* abierit; cogitur, *v* Quintiliani aetate *ii* sonuisse. — Verba Iosephi: *'Ασσουρας δε Νινου οἰκιζει πολιν και τους ὑποκοους 'Ασσυριους ἐπωνομασεν,* atque: *οὓς δε Λυδους νυν καλουσι, Λουδους δε τοτε, Λουδας ἐκτισε·* [49] probant id, quod repetere nolumus, *v*, ex *u* more Graeco ortum, proxime *ii* significasse. — In numo Augusti *αὐγυστος* conspicitur, pro *αὐγουστος* [50]; quod, nisi si *v* ibi V scriptum sit, eo tantum explicari potest, vt statuatur, Y illud, subinde pro V exaratum, passim pro *u* correpto adhibere adhuc licuisse. — Strabo aliique *ν* Latinorum *v* reddiderunt, quod, si *v* ante vocales non *w* valuisset, facile eo euitare potuissent, vt *β* pro *ν* scriberent. Idem cadit in N. T. scriptores. Latinorum vero v consonam *w* tunc etiam temporis valuisse, ex inscriptionibus constat [51], egregie vero loco Fabii (Or. I. c. 4.) confirmatur: *Atque in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus vsus acceperit, quia* Iam *sicut* Tam, *et* Vos *vt* Cos. *Quaeret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla, nisi alteram frangat* (*i* et *u* fiant j et v). *Atqui litera I sibi insi-*

---

49) V. Hauerc. S. I. p. 99.

50) Ios. Scalig. Anim. ad Chron. Euseb. p. 119.

51) Sic b pro v exstat in inscriptione ex aetate Augusti: D. M. MARCO. SALBIO. ROMANO. AUGUSTI. rel. vid Placent. l. c. p. 40.

det; coniicit enim est ab illo iacit: et V quomodo nunc scribitur vulgus et seruus. Quid denique luculentius, quam quod numi Titi, *Φλαβιος, Φλαυιος* et *Φλαουιος* atque *Ὀκταβια* inscripti, produnt [52].

Saec. II.

Nobilissimus adest Terentiani Mauri locus, qui de literis A, I, Y tradit haec:

Tertiam Romana lingua, quam vocant Y, non habet.
Huius in locum videtur V Latina subdita,
Quae vicem nobis rependit interim vacantis Y,
Quando communem Latino reddit et Graeco sonum [53].

Quaeritur primum, quid sibi velit Terentianus dicens, Latinos Y non habere. At habuerunt Y. Clarum ergo est, Y Graecum a Latino tunc distulisse *sono.* Iam vero Y Latinorum, quod ex superioribus constat, ad *i* merum iam abierat; ergo Y Graecum tunc temporis *ü* pronunciatum est. Deinde tradit grammaticus, cerni V loco Y Graecorum, quo loco vtraque litera idem valeat. Iam vero V loco Y Graecorum conspicitur in diphthongis *αυ* et *ευ*

52) Cf. Wetst. l. c. p. 213. Placent. p. 27.

53) V. Placentin l. c. p. 16. col. Sarpedon. l. c. p. 37. s. Hoc ex loco, quo modo Placent. colligere potuerit, *υ* sonuisse *i*, atque Sarpedonius, *υ* sonuisse *u*, non video profecto. Mekerchus vero (Hauerc. S. II. p. 96.), quamquam attulit locum, nihil inde concludit, atque apud Wetsten. (l. c. p. 72.) hoc loco probatur, *υ* sonuisse *i*.

atque ante vocales; ergo *ὐ ψιλον* tunc temporis in diphthongis *u*, ante vocales *w* sonuit. Iam vides, quid sibi velit: Y *vacans.* Scilicet Latinorum Y tunc temporis apud Romanos neque *ü*, neque *u*, neque denique *w* valuit, quod in Graeco tantum Y obseruatum erat. — Sonum *ὐ ψιλου* fuisse *ü*, idem Terentianus egregie describit:

> *Hanc* (*v*) *aedere vocem quoties paramus ore,*
> *Nitamur vt* u *dicere, sic citetur ortus.*
> *Productius autem coeuntibus labellis*
> *Natura soni pressior altius meabit* [54]).

Q. Terentius Scaurus: Y *literam*, inquit, *superuacuam Latino sermoni putauerunt, quoniam pro illa V cederet; sed quum quaedam in nostrum sermonem Graeca nomina admissa sint, in quibus euidenter sonus huius literae exprimitur, vt hyperbaton, vt hymnus et hyacithus et similia, in eisdem hac litera necessario vtimur.* Quo ex loco sane cognoscitur, Latinorum y, quod non mirandum est, passim *ü* adhuc pronunciatum fuisse. — His denique accedit Plutarchus, qui *v* Latinum haud raro *υ* reddidit [55]). Latinorum autem *v* hac etiam aetate consonam ante vocales significasse, testantur numi Traiani, in quibus nunc DANVVIVS nunc DA NVBIVS exstat [56]). Reddidit vero etiam Plu-

54) V. Hauerc. S. II. p. 540.

55) V. Hauerc. S. I. p. 447. Huius generis sunt: *Κυιντος* = Quintus, *Κυαισιωρ* = Quaestor.

56) Wetsten. l. c. p. 95.

tarchus v litera *β* tunc temporis passim iam *w* valente [57]; qua de re *v* et debuisset et potuisset *β* scribi, si non *υ* parem cum *v* illis in locis habuisset potestatem. Exstant vero etiam apud Plutarchum atque aetate superiores Dionysium Halicarnassensem, Dionem Cassium, Strabonem verba, quae *ου* habent loco *v* consonae [58], quod iis dictum esto, qui adhuc dubitauerint, *u* ante vocales ad *w* abire potuisse. Cum enim *β* et *υ*, si a Graecis in fronte verborum atque post consonas loco *v* Latini adhibita fuissent, lectores in ambiguo reliquissent atque consonae *v* aut sonum *b* aut *ü* indidissent; recte egerunt Graeci, quod pro *v* in fronte verborum atque post consonas plerumque *ου* adhibuerunt. Cum autem vocalis *ου*, quippe producenda, soluere videretur consonae *v* vim; ne hoc quidem offendit, Graecos necessitate coactos *v* passim *β* scripsisse. Denique Graeci inprimis Plutarchus *u* Latinorum correptum solo *υ* saepe numero expresserunt [59], quae quidem res triplici aut qua-

---

57) Veluti *Σερβιος* = Seruius, *Ναιβιος* = Naeuius, *Σεβηρος* = Seuerus al.

58) Huc spectant: *Οὐαλεριος* alias *Βαλεριος*, *Οὐαῤῥων* als. *Βαῤῥων*, *Σερουιος* (Plut.) als. *Σερβιος* (Plut.), *Ἑλουετιοι* Plut. *Ἑλβετιοι*, *Ναιουιος* als. *Ναιβιος* (Hauerc. S. I. p. 100. s. 154. s. 447.) *Οὐελια* (Dion.) = *ΥΕΛΙΑ* = Velia.

59) Veluti *Ρωμυλος*, *Τιγυρινοι*, *Ἀπυληϊος*, *Τυλλιος*, *Φαυστυλος* (Plut.) Apud Dion. Halic. *Φρυγι* (Frugi). Aliter se habent apud Dionem *Καλπουρνιος Φουριος*. Item *Τουλλιος*, *κουσιωδια*.

druplici modo explicari petest. Ad codicum errores vix ac ne vix quidem potest, prouocari quam ob caussam probabile est, aut *v* passim solum tamquam *u* corripiendum adhibere Graecis licuisse, aut *u* Latinorum passim *ŭ* iam pronunciatum fuisse. Vtramque sententiam refutare videtur Terentianus, eiusdem aetatis scriptor, his verbis:

Quam (vocalem *u*) *scribere Graius, nisi iungat u, nequibit.*

Et alias:

Graeca diphthongus sed ov literis nostris vacat,
Sola vocalis quod u *complet hunc satis sonum.*

Praeterea huic quidem sententiae obest, quod eadem nomina nunc *ov* nunc *v* scripta sunt. Probabile est itaque, Plutarchum et reliquos pro *u* breui suum V initio anceps, hinc correptum, quod viris illis in numis et marmoribus scriptum ob oculos versatum esset, adhibuisse, neque mirandum, librarios, legitimam nominum Latinorum pronunciationem ignorantes neque literae V vim intelligentes, subinde *v* substituisse. Attamen non offendit, Graecos *v*, sentientes, hanc literam in diphthongis *ŭ* valere, passim pro *u* breui de consilio scripsisse.

Saec. V.

Martianus Capella tradit, *v* appressis labiis spirituque procedere [60]). — Victorinus de enun-

---

60) Vid. Hauerc. S. I. p. 94.

ciatione literarum: *Loco Υ V literam aptam nostris vocibis finximus, quam nisi per Υ coniunctam Graeci scribere ac pronunciare non possunt.* Idem de orthographia: *Quae voces Υ literae sonum exigunt, eas per y potius, sicut exigit ratio, quam per u scribere debemus, vt Eutychus, Hylas* [61]. Idem: *apud Graecos esse κυω cum ι et ο non dubito;* e quibus rectius Placentinus colligere potuisset, *υ* tunc temporis passim *i* pronunciatum esse [62].

Saec. VI.

Diserte Priscianus testatur, eundem sonum in *υ* esse, qui in *u* Latino est, quando inter *q* et *ae*, i, aut *g* et *ae*, e, i interest vt in his verbis: *quisque, quaeque, linguae, pingue, sanguis* [63]. Cum vero hoc loco *u* commemoretur vocales praecedens, quod vnum illud: *sub aqua, sub aqua,* consonam fuisse testatur; sequitur, *υ* etiam nonnisi ante vocales positum ex Prisciani sententia *w* sonuisse. Idem grammaticus, *Υ*, I et V *certis in locis eundem sonum habere,* tradit, quibus ex verbis apparet, *υ* passim iam *i*, quod nouum est, pronunciatum tunc esse, passim *w*, quod non solum in *υ* ante vocales, sed etiam ante consonas, vt in diphthongis *αυ* et *ευ*

61) Cf. Hauerc. S. I. p. 96.

62) Cf. Plac. l. c. p. 17.

63) Cf. Hauerc. S. I. p. 94. II. p. 291, 540. Perperam hic, *υ* fuisse *u* vocalem, contenditur.

cadere potuit [64]. Inde autem concludendum est, *v*, cum haud paucis in verbis *i* valuisse iamiam hinc clarum sit, nonnullis saeculis ante *i* pronunciari coepisse.

Saec. VII.

Prouocat Andreas Hey [65], ad Psalterium Papae Gregorii, in bibliotheca collegii Benedictini apud Cantabrigienses asseruatum, in quo fidei symbolum Graecum literis Latino-Gothicis atque Psalmi primum Latino, deinde Graeco idiomate literis Latinis delineati conspiciuntur. Licet codex ille non ad manus sit, persuasissimum tamen nobis est, eum post saeculum decimum vel vndecimum conscriptum esse, atque magnopere verendum, vt Vsserus in describendis exemplis falli se passus sit. Scripsit enim *ümon*, contra yos, quod Gothi ne potuerunt quidem aliter, quam litera *ü* (*v*) scribere atque discrimen statuit inter *u* et *v*, in quo, cum alias *autu* alias *avtu* scriptum sit, ne constitit sibi quidem. In hoc codice Gothus *v* in verbis *υἱος* et *ὑμων* tantum *ü*, alias in verbis *συλληφθεντα*, *παντοδυναμον* *i* pronunciauit atque Latinus *i* in verbis *κυριος*, *ὑδορ*. Hoc tantum inde pro certo constituerim, *v* tunc temporis passim *ü* adhuc sonuisse.

---

64) Wetsten. l. c. p. 35.

65) Wetsten. l. c. p. 118. col. Vsseri Diatrib. de symbol. Apostol. p. 8.

Saec. VIII.

Symbolum Graecum regis Aethelstani verba *υἱον* et *κυϱιον* scripta habet *yon* et *quirion* [66]. Videtur autem lectio *quirion*, licet *q* significet *k*, *u* vero *u* breue, corrupta.

Saec. XI.

In hanc aetatem incidunt fortasse codices, in quibus *υ* cum *η* et contra commutatum est [67]. Recte inde concluditur, *υ* tunc temporis plerumque i pronunciatum esse ita, vt cum *η* siue *i* confundi potuerit.

Saec. XII.

Adest denique Eustathius, *παϱηχησιν* inesse verbis *μυλη* et *μηλοψ*, *ἀλυω* et *ἀλητης*, *μεινα* et *μυνες*, *ἠτοι* et *ἰτυς*, quae quidem haud minoris momenti sunt, quam quae e codicibus afferuntur [68].

Nihil itaque pugnant argumenta, quibus ad pronunciationem Graecam emendandam aut vindicandam in vtramque partem vsi sunt viri docti, cum iis, quae S. S. interpretes suppeditarunt,

---

66) Wetst. l. c. p. 117.

67) V. Velasti l. c. p. 58. ss. Huius generis sunt: *ἀθυναιου* pro *ἀθηναιου*, *κινδηνῳ* pro *κινδυνῳ*, *ἡμεις* pro *ὑμεις*, *φησιν* pro *φυσιν* al.

68) V. Wetsten. l. c. p. 155. Haueic. S. I. p. 644. Plac. l. c. p. 17.

neque lites hac de re adeo productae fuissent, si temporis iusta habita fuisset ratio, aut Eustathius non maioris factus, quam grammatici aetate superiores. Itaque a Latinis et Graecis etiam discitur, *ὖ ψιλον* ante vocales ab antiquissimis inde temporibus *w* valuisse, alias, si a diphthongis discesseris, *ü*. Hinc vero *υ* sonum *i* subinde pluribus in verbis subiit ita, vt saeculo V. et VI. maxime, quamquam desint apud Graecos et Latinos satis certa et multa huius rei testimonia, vbique fere *i* pronunciaretur.

§ 5. *AI.*

Venimus nunc ad literas *αι*, *ει*, *οι*, quae, verendum est, ne initio diphthongi fuerint. Potest enim saluis pronunciationis variantis humanae legibus *e* vel *ä* ex *ai*, *i* ex *ei*, *i* ex *ü*, *ü* ex *ö*, *ö* ex *oi* oriri. Deinde *αι*, *ει*, *οι* in vetustissimis literarum Graecarum monumentis reperiuntur, in quibus neque *υ*, neque *η*, neque ω, neque *ου* conspiciuntur. Quid? quod Homerus illas literas nouisse videtur; alioquin enim diuellere eas versuumque numerum seruare parum potuisset. Admodum autem difficile est creditu, Graecos imperitos et rudes adhuc adeo subtiles fuisse, vt antiquissimis iamiam temporibus vocales breues et longas, quod in *ει* tamquam *ī* cadit, distinguerent atque vocalium minuta inter se discrimina, quod *αι* tamquam *ä* et *οι* tamquam *ö* attinet, perciperent et significarent. Saeculo VI. et V. demum, vti vidimus,

literis ε et η, ο et ω, V et ου Graeci vocales productas a correptis discreuerunt, neque probabile est, antea ει ab ι, praesertim cum ι anceps sit, temporis quantitate distulisse; saeculo VI. demum inuenerunt literam vocalem inter *u* et *i* mediam ü designantem, neque credibile, Graecos antea sonos inter *a* et *e*, *o* et *e* scilicet *ä* et *ö* distinxisse, quae difficilius adeo, quam *ü* internosci possunt. Hoc tantum quaeritur, quo tempore αι, ει, οι, cum nunc vocales sint, diphthongorum naturam exuerint. Attamen nihil prorsus hac argumentatione efficietur. Praemonere liceat, αι, ει, οι, si diphthongi significarunt, antiquissimis temporibus periisse, quoniam neque apud Latinos, neque apud alias gentes vlla vox exstat, quae, si a verbo καϊσαρ discesseris, quod apud Germanos et Armenios nunc valet, diphthongorum istarum potestatem seruauerit. Deinde probe tenendum, omnem hanc rem alio modo explicari posse. Nam heus tu dic mihi sodes, quid opposueris, si quis coniecerit, Graecos literae I vsum fecisse eum, quem Latini, Germani aliique literae *e* fecerunt? Germani enim postquam senserunt, esse vocales quasdam praeter quinque illas primarias in triuiis recoctas, quae neque *a* neque *e*, neque *u* neque *i*, neque *o* neque *e* sonarent, sonos medios illos vtraque litera significarunt atque *e* inscripserunt vocalibus sic: ů, ŏ, ă, postea puncta imposuerunt sic: *ü*, *ö*, *ä*. Idem egisse videntur Latini, cum *e* adscriberent sic: *ae oe*. Atque

Graeci etiam mature sensisse videntur, esse sonos quosdam fere *α*, *ο*, *υ* (*u*) sonantes eosque eo tantum ab his diuersos, vt ad vocalem *i* quippe tenuissimam paullo propius accederent. Has quidem esse *ä*, *ö*, *ü* facile aestumatur. Hinc Graeci literis *α*, *o*, V addidisse videntur *ι* sic: *AI*, *OI*, *VI*, quo innuerent, illis in locis *A*, *O*, *V* non mera *a o u* valere, sed paullo propius ad *i* accedere, siue *ä*, *ö*, *ü* significare. Iam vero Pythagoras literarum VI compendium fecisse videtur ita, vt I literae V subscriberet sic: Y, vnoque signo sonum *ü* significare studeret. Postea *Υ* quidem in locum V, vti nouimus, successit, mansit autem, quod ab eo inde tempore otiosum fuit, I, vnde explicandum est id, quod *υι*, verbi caussa in *υἱος*, *Ἁρπυια*, non solum apud Latinos, sed etiam apud Graecos in marmoribus antiquissimis mero *v* et *y* scriptum est. At quid de *ει* stratuendum sit, non video. Literam *E* Graecis initio non solum *e*, sed etiam *ä* significasse dicimus. Quemadmodum enim Syri aliique, qui quinque tantum vocales habuerunt, non potuerunt *e* ab *ä*, *u* ab *ü* et sic porro scriptura distinguere, ita etiam Graeci, quin cum *E* et *e* sonum et *ä* coniunxerint, non dubium est. Iam vero ne *E* passim *ä*, sed *e* pronunciaretur, Graeci literam *I* addiderunt, qua studuerunt innere, *E* certis in locis vocalem inter *ä* et *i* mediam hoc est *e* fortasse producendam significare. Hinc intelligitur, cur Graeci *ἐ ψιλον*, quod a Plutarcho et Coptis, quippe qui inde ab

Alexandro *ἐ ψιλον* vocant ΕΙ, discitur, *ει* dixerint; cur Latini, quod ex nominibus Alexandrea, Antiochea, omnes (omnéis), Medea, Helotes, Museum aliisque constat, *ει* initio e pronunciauerint, neque mirari nunc licet, *e* apud Graecos subinde *i* euasisse atque *ι* apud poetas anceps esse. Neque hoc mirum est, Graecos veteres aequitate quadam ductos singulis quibusque vocalibus praeter *ἰωτα* tunc vsitatis *α ε ο υ* addidisse *ι*. Praeterea demonstrari minime potest, Homeri aut Palamedis aetatem sonos *ä*, *ö*, *ü*, a solitis adhuc *a*, *e*, *i*, *o*, *u* discernere atque singularibus signis significare aut nequiuisse, aut noluisse. At vero quid est, inquis, quod *αι*, *ει*, *οι*, *υι*, si vocales sunt, constanter producantur? Haec quidem poëtis danda, cum quibus rixari nolumus. Monere tamen liceat, praeter omnem orationis humanae indolem omnemque linguarum naturam esse, in vno verbo trisyllabo aut quadrisyllabo tres syllabas aut quatuor producere in vita et vsu. Quaeuis enim vox duabus syllabis constans vnum tantummodo habet accentum eamque ob caussam vnam tantummodo vocalem productam, atque verba tribus aut quatuor syllabis composita nonnisi duas habere solent vocales attollendas. His quidem cum legibus pugnaret orthographia Graeca, nisi si statuere velis, *αι*, *ει*, reliqua vocales easque ancipites antiquitus significasse. Illud autem, quod obiici possit, ridiculum videtur, dicere, Graecos in vita vulgari et vocalium et accentuum po-

testatem pronunciando seruasse. Qua de re admodum probabile videtur, poetas Graecos numerasse literas, non ponderasse. Praeterea addere liceat, quod ab aliis iam monitum est [69], *αι*, *ει*, *οι*, si fuissent diphthongi, ab *αϊ*, *εϊ*, *οϊ*, quae dissyllaba fuisse dicunt, discerni non potuisse. Quod qui senserunt, verbum *παις*, vt hoc vtamur, e sententia Erasmi recte quidem *pais*, *παϊς* vero, ne cum *pais* congruat, *pāis* aut *paīs* pronunciant, quod plane est contra diphthongi *αι* naturam atque literarum *α* et *ι*, si dissoluuntur, quantitatem. Hac in re monendum, ne falli se patiantur, qui negent. Profertur enim diphthongus *ai* in Germania plerumque non *ai* sed *ae*, quo qui non obseruauerit in eam sententiam adduci possit, vt iudicet, inter *παις* et *παϊς*, legitimo, quem dicunt, modo pronunciata, discrimen esse. Videamus de singulis.

Homeri aetate

vtique *αι* in carminibus pro duabus syllabis adhibere licuit [70]. Cum vero poetae Graeci lingua liberius vsi sint, inde, *αι* diphthongum fuisse, non probatur. Contra *αι* vocalem significasse, eo probabile redditur, quod verbis demitur atque ante vocales corripitur [71], quod,

69) Cf. Neidlinger l. c. p. 53. ss.

70) Hauere. Syll. I. p. 124. II. p. 297. Matthiae l. c. p. 14. Buttmann. l. c. p. 24. aliique.

71) E. g. *θεραπναις* pro *θεραπαιναις* col. *ἐγρομαι* pro *ἐγειρομαι*, *ἀγομαι* pro *ἀγαιομαι*.

qui in diphthongum cadere potuerit, non satis intelligitur. Cum vero *αι* mediis verbis apud poetas exciderit ante vocales, *ι* autem correptum, quod accidit in diphthongis, ante vocales consona et natura sua et Graecorum consuetudine euadere debuerit; non potuisset quidem, nisi *ι* primum elidi. Quemadmodum enim poetae non integras diphthongos *αυ* et *ευ*, sed *υ* tantum, quo denuo huius literae vt consonae *w* natura describitur, eiecerunt [72]), ita etiam *αι* non expellere potuissent, sed *ι* (= j) tantum, si *αι* diphthongum valuisset. Haec quidem non solum de *αι*, sed etiam de *ει*, *οι* et *υι* valent. Praeterea hoc maxime vrgendum, *ι* et *υ* ante vocales correpta apud Graecos j et w sonuisse. Quodsi itaque *αι*, *ει*, *οι*, *αυ*, *ευ*, *ου* diphthongi fuissent poetis, non potuissent ea ante vocales corripere. Literas enim consonas *ι* et *υ* praecedentes Graeci producere consueuerunt. Quae e dialectis de pronunciatione literarum *αι* colligi possint, haec fere sunt. Literas *αι*, quod praemonere liceat, longe frequentius apud Graecos olim *ăi* siue *aï* sonuisse, subinde autem magis magisque in vocalem mutatas esse, vix dubium est. Apud omnes enim gentes obseruatur, diphthongum *ai* subinde *ä* et *e* euadere, quo magis artium et literarum humanitate erudian-

72) Veluti in verbis *ἀλευομαι* (*Ἰλ. π.* 711.) *ζητευω* (Hym. in Ap. 215.) *ἰδευησα* (*Ὀδ.* 483) aliisque sexcentis, in quibus *υ* alias deest.

tur ciues [73]. Huius generis verba sunt, in quibus *αι* e diuersis syllabis veluti ex *α* et *ι*, *α* et *ει* orta sunt [74]. Deinde Aeoles pro *αι* saepenumero *αϊ* habent diphthongum [75]. Cum vero Aeoles, vel ipsi rudiores, quod antea ex eorum orthographia demonstrauimus, Atticis atque reliquis Graecis gentibus, *αϊ* habeant pro *αι*; concludendum est, Atticos etiam antea pluribus in verbis *αϊ* pronunciasse. Praeterea hac in re cautione opus est, quia puncta et accentuum signa serius literis Graecis addita sunt. Iam vero *αι* vocalem *ä* valuisse, parum recte ex eo probari potest, quod Aeoles *αι* pro *η* habent [76]. Scilicet cum Aeolica dialectus inprimis rudis sonos grandiores et pleniores pro exilibus velut *α* pro *ε* habeat; possit quidem inde concludi, *αι* sonuisse *ä*, quae vocalis proxima est vocali *η* ex eadem classe: sed, cum *e* ex *ai* etiam oriatur, quid impedit, quominus statuat aliquis, *αι* sonuisse *ai*? Neque maioris momenti est eandem ob caussam, quod Graeci *γαια* atque *γεωμετρια*

---

73) Hunc referendi sunt Galli, Germani, Armenii (Cf. Schroed. Thesaur. ling. Armen. p. 304) aliique, qui diphthongum *ai* subinde pluribus in verbis in vocalem *e* et *ä* mutarunt.

74) V. c. *αἰστος*. Cf. Hermann. de em. rat. p. 53. *ἀιρω* pro *ἀειρω* vel *ἀερω*, *δαιρα* (Apoll. Argon 3. v. 846.) pro *δαειρα* (Lycoph. v. 710).

75) Vti *δαΐς παΐς* V. Syluae Cratyti. p. 64.

76) Huius generis sunt *θναισκω* = *θνησκω*. *μιμναισκω* = *μιμνησκω*. Cf. Matth. l. c. p. 15.

scripserunt [77]). Ex eo autem, quod Attici habent *αι* loco Boeotico *η*, atque Iones rursus *α* loco *αι* Atticorum quodque Dores et Aeoles *αι* scribunt pro *α* [78]), vtique sequitur, *αι* apud Graecos ä valuisse. Inde enim nemini concludendum est, Baeotios, quoniam *η* habent loco *αι*, solos e Graecis *αι* vti ä pronunciasse. Imo, cum Attica pronunciatio cultior Boeotica non possit diphthongum *ai* habere pro vocali ä; sequitur, literas *αι* apud Graecos ad vocalem designandam inseruiisse vniuerse. Porro quod Attici et Dores adeo passim *αι* habent pro *α*, ex eo clarum est, quod Hermannus statuit, *α* more Brittanorum in *αι* siue ä mutatum esse. In primis vero hoc loco tenendum, saepissime veteres *α* loco *αι* recentiorum adhibuisse [79]). Quemadmodum enim Graecorum gens subinde *α* in *ε*, *ε* in *ι*, *ο* in *u*, *η* in *i*, *οι* in ü pronunciando mutauit, ita etiam *α* subinde minuit ita, vt ä eius loco audiretur. Huic rei tanta vis inest, vt,

---

77) Cf. Neidlinger l. c. p. 27.

78) Cf. Hermann l. c. p. 52. Matth. l. c. p. 14. Neidlinger. l. c. p. 28. Huius generis sunt *λεγομενη*, *ποιουμενη* Boeot. pro *λεγομεναι*. *θναισκω*, *μιμνησκω* Aeol. pro *θνησκω*· *τιμασαις*, *δρεψαισα* Aeol. Dor. pro *τιμασας*. *ἑταρῳ* Herod. pro *ἑταιρῳ*. *Ἀχαος*, *ἀμυξαι* Ion. et Att. pro *αἰμυξαι*.

79) Veluti *Πειραευς* (Arist.) *Πειραιευς* (Xenoph.), coll. *τραφω* (Megar. ap. Arist.) pro *τρεφω*, *ἐλαα* (Arist.) *ἐλαια* (Mich. Rom.), *ἑταρας* (Sappho) *ἑταιρας* (rec.), *ἀγαθᾳ τυχᾳ*, *τᾳ φιλιᾳ*, *τᾳ βουλᾳ* (Marmor. Oxon. III. l. 2. 8.) pro *ῃ*.

qui statuat, diphthongum *ai* ex *α* prodiisse, statuere etiam debeat, veteres Graecos cultiores fuisse recentioribus, vel linguam Graecam in dies rudiorem euasisse. Quamuis itaque non abhorreat a vero, Graecos initio frequentius *αι* diphthongum [pronunciasse — e punctis enim serius additis nihil certi cognoscitur, — rarius vocalem; intelligitur tamen e dialectis atque vsu Graecorum antiquo, *αι* ad vocalem *ä* innuendam adhibitā fuisse ab antiquissimis inde temporibus. Parum enim valet, quod contra monitum est, non potuisse *ᾳ* et *α* ex *αι* oriri, nisi *αι* antea diphthongum valuissent. Non impedit enim credere, his ipsis in verbis *αι* fuisse *αϊ* scribendum atque *ai* pronunciandum, contra *αι* alias, quod e formis archaicis potissimum cognoscitur, vocalem ä designasse. Praeterea, quo iure *a* apud Graecos ad *ä* abire potuit, eodem etiam nonnullis in vocibus *ä* euadere *a* potuit, vincente dialecto Attica, atque *ι* in verbo *κλᾳειν* secundum Graecorum vsum aeque atque *υ* (*w*) optuma caussa eiicere licuit, si consonam valeret [80].

Saec. VIII.

Hac aetate literarum *AI* vsus a Graecis ad Latinos transiisse videtur, ex quo male statim colligitur, *AI*, cum pro Graecorum *αι* scriptum sit, diphthongum *ai* valuisse [81]. Hoc enim

---

80) Matthiae l. c. p. 16.

81) Cf. Hauerc. Syl. I. p. 127. al. Matth. l. c. p. 15.

primo inde concludendum est, Latinorum *ai* et Graecorum *αι* tunc temporis parem sonum habuisse. Quemadmodum vero apud Graecos *αι* frequentius olim *αϊ* sonuisse videtur, ita etiam Latinorum *ai* non dubium est, quin olim frequentius diphthongum significauerit. Iam vero Latini seriores *ai* *constanter* *ae* scripserunt, ex quo intelligitur, *ai* antea sonuisse, quod postea *ae* scripserunt, in quo quidem nunc paullulum acquiescamus. Etenim *ai* Latinorum, si alium sonum, quam *ae* habuisset, non potuisset omnibus simul in verbis sonum *ae* subire, sed debuisset passim, quod Graecis aliisque gentibus accidit, passim sonum *ai* retinere. Prouocant quidem ad verba *Maia*, *Aiax*, *Achaia*, *Troia*, *Graius*, alia [82]; sed in eiusmodi verbis *ai* nihil minus est diphthongo, cum *i* inter vocales correptum non solum sponte consona *j* euadat, sed etiam a Graecis atque Latinis, vti vidimus, *j* pronunciatum sit. Neque prouocandum ad Ennium, Lucretium, Virgilium, Martialem, qui *ai* pro duabus syllabis vsi sunt, cum metri caussa vulgarem consuetudinem tollere poetis licuerit [83]. Praeterea obseruandum est,

---

Thiersch. l. c. p. 25. Neidlinger l. c. p. 45. Buttm. l. c. p. 23. s.

82) Thiersch l. c. p. 25. Buttmann l. c. p. 23. Hauerc. Syl. II. p. 297. 605. ss. Syl. p. 129. 342. Mirtisb. l. c. p. 40.

83) Thiersch l. c. p. 25. 3. Buttm. l. c. p. 23. 6. Hav.

istis in locis non solum *e* in *i* mutatum esse, sed etiam, quod plane est contra diphthongorum naturam, *a* et *i* passim producta, imo adeo alias correpta, alias producta. Tenendum itaque, *ae* atque *ai*, nisi quo loco *i* esset consona, apud Latinos pari potestate fuisse.

Saec. V.

Vsitata est Graecorum particula *αἰ* atque verba inde orta *αἰάζω, αἴλινος, αἶβοι* apud Homerum, Sophoclem, Moschum, Bionem, Callimachum aliosque reperiunda [84]). Quamquam vero ex eo, quod lugentium soni in omnibus fere linguis non *ai* sed *ä* vel *e* sunt atque Euripides etiam *ἒ ἒ* scribit [85]), probabile est, *ai* ad sonum *ä* innuendum a Graecis adhibitum esse; a Simonide tamen Ceo potissimum discitur, *ai* vocalem designasse. Is enim naenias primus *ἐλεγειας*, quod verbum ab *αἰ αἰ*, vel *ἒ ἒ λεγειν* deriuandum est, dixit. Non potuit enim

---

S. I. p. 127 136t al. coll. Neidl. l. c. p. 45. Huius generis exempla sunt:

Lunaï portum (est operae) cognoscite ciues. (Ennius.)
Albaï rex longaï. (Ennius.)
Ignoratur enim, quae sit natura animaï. (Lucretius.)
Gelidaï stridor agnaï. (Lucretius.)
Attonitusque legis terraï frugiteraï. (Martialis.)
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi. (Virgilius.)
Diues equûm, diues pictaï vestes et auri. (Virgilius.)

84) Od. 8, 313. Cf. Hav. S. I. p. 130. ss. Neidl. l. c. p. 46.

85) Eurip. Iphig. in Taur. V. 146.

aï diphthongus e vocali *ε* vti vidimus, apud Graecos oriri.

Saec. IV.

Reperitur in inscriptionibus *Ἀθηνεον* pro *Ἀθηναιον*, *κε* pro *και* eiusque generis alia, quae, cum Athenienses, nisi si in dies rudiores euaserint, *ai* pro *e* eloqui non potuerint, superiorem sententiam egregie confirmant [86]. Praeterea verbum *Ἀθηνεον* vrgendum est. Etenim si *αι* fuisset diphthongus, non potuisset non *ι*, nimirum inter vocales correptum, consonae *j* sonum habere, vnde *e* nullo pacto oriri potuisset. — Obstare dicunt locum Platonis in Cratylo, quo verbis *δικαιον* et *διαϊον* luditur [87]. Sed constat Platonem in Cratylo sexcenties mirificas verborum origines describere atque eodem ex loco, in quo verba *ἀνρια* et *ἀνδρια*, *θηλυ* et *θηλη* comparantur, possit aliquis demonstrare, *δ* apud Graecos non sonuisse atque *υ* et *η* eundem sonum retulisse. Eas ob caussas Platonicis hallucinationibus istis nihil ponderis tribui potest.

Saec. III.

Λυσανιη, συ γε ναιχι καλος, καλος· ἀλλα πριν εἰπειν
Τουτο σαφως, ἠχω φησι τις, ἀλλος ἐχει [88].

---

86) Vid. Gruter. Inscript. n. XXI. 1. Salmas. Not. in Spart. 166.

87) Buttm. l. c. p. 24. n. **. Plat. Crat. p. 314. ed. Steph. p. 279. ed. Splend. Beckii.

88) Hermann. l. c. p. 52. Buttmann. l. c. p. 24. n. **. Thiersch. l. c. p. 25. 3. Neidlinger l. c. p. 28.

Hi quidem versus, in quibus *ἐχει* et *ναιχι* idem sonant, primo id tantum probare videntur, vno in verbo *ναιχι* literas *αι* vocalem designasse. Cum vero illa aetate Graeci, quod ex inscriptionibus potissimum perspicitur, mutare orthographiam non dubitauerint, sequitur, literas *αι* vniuerse ad vocalem sonum describendum fuisse adhibitas. — De eo, quod Ennius *ai* pro duabus syllabis vsus est [89], vidimus supra. — Huc spectat, quod inscriptio Orchomenica (Boeckh. Staatshaush. II. p. 394) constanter *η* pro *αι* habet. Quum enim Boeotii cum alias vocales minores pro maioribus, cum hic etiam velut *ι* pro *ε* pronunciauerint, sequitur, *αι*, quod Boeotii mutarunt in *η* siue *e*, apud reliquas gentes Graecas eiusdem aetatis, quippe *αι* retinentes, et his in verbis et in aliis *ä* valuisse.

Saec. II.

In hanc aetatem incidere videtur Theon Sophista, qui locum exhibuit memoratu dignum eumque sexcenties repetitum ac veluti cramben recoctum: *Ἀσαφη δε την ἑρμενειαν ποιει και ἡ λεγομενη ἀμφιβολια προς των διαλεκτικων, παρα την κοινην του ἀδιαιρετου τε και διῃρημενου· ὡς ἐν τῳ αὐλητρις πεσουσα δημοσια ἐστω. ἑν μεν γαρ τι ἐστι το ὑφ᾽ ἑν και ἀδιαιρετον αὐλητρις ἐστω πεσουσα δημοσια· ἑτερον δε*

89) Hauerc. Syl. I. p. 237. col. Neidlinger l. c. p. 45.

το διηρημενον· αυλητρις παις ουσα ἐστω δημοσια [90]. Negari nequit, Laertium et Quinctilianum ita explicuisse hunc locum, vt *αὐλη τρις πεσουσα* legerent. Laertius enim in vita Zenonis, vbi ex Stoicorum sententia quid *ἀμφιβολια* sit ostendit, verbis *αὐλητρις πεπτωκεν* sic vtitur: *significatur enim iis verbis partim quidem οἰκια τρις πεπτωκε, partim vero αὐλητρια πεπτωκε.* Quinctilianus autem, vbi de ambiguitate loquitur, haec verba habet: *alterum est, in quo alia integro verbo significatio est, alia diuiso, vt ingenua, armamentum et coruinum. Ineptae sane cauillationes, ex qua tamen Graeci controuersias ducunt. Inde αὐλητρις illa vulgata, cum quaeritur, vtrum aula, quae ter ceciderit, an tibicina, si ceciderit, debeat publicari* [91]. Attamen negari etiam nequit, in codicibus *αὐλητρις παις οὐσα* legi; deinde Quinctilianum atque Laertium, cum duplex ambiguitas his verbis insit, ita locum disposuisse, vt ad demonstrandas sententias suas aptus esset; denique

---

90) In Progymnasm. c. 4. de narr. Cf. Hauerc. S. I. p. 133. II. p. 338. s. 421. s. 427. ss. 609. 637. 430. 453. 478. 528. Velast. l. c. p. 105. Male Christ. *Saxius* (Onomast. literar. Trai. ad Rh. 1775. p. 394.) tradit, Theonem Sophis. saeculo III. p. Ch. ineunde vixisse; neque assentiri possumus Neidlingero (l. c. p. 28), qui Theonem Sexti Empir. coaenum facit. Cum enim Quinctil. verba illa tamquam trita nouerit, haud improbabile est, Theonem duobus saeculis ante degisse, aut verba illa certe diuulgata fuisse hac aetate.

91) Quinctil. Instit. Orat. L. VII. c. 10.

sensum frigidum prodire, si *αὐλη τρις πεσουσα* legatur, neque nisi verbis *αὐλητρις παις οὐσα δημοσια ἐστω* Athenienses magnopere delectari potuisse. — Exstant in lapidibus plurimis verba alias *ε*, alias *αι* scripta, quae, cum eandam aetatem attineant neque *αι* ex *ε* oriri potuerit, superiora confirmant [92]. — De eo, quod Lucretius *ae* in *aï* mutauit, vidimus supra.

Saec. I. a. Ch.

Latini literas *αι*, quod antea etiam obseruarunt, *ae* reddiderunt atque Graeci contra *ae* literis *αι* [93]. Iam vero cum Latini *αι* non *ai* atque Graeci *ae* non *αε* scripserint, sequitur statim, quod caute tacuerunt ii, qui hoc argumento vsi sunt, *αι* non *ai* sed *ae*, siue diphthongi siue vocalis modo, tunc temporis a Graecis pronunciatum esse. Vtraque enim gens in seruando verborum sono religiosissima fuit. Qui ergo statuunt, Latinorum *ae* diphthongum inesse Graecorum *αι*, statuant etiam necesse est, *αι* non *ai* sed *ae*, quod est contra Erasmi sententiam, enunciari debere. Quod vero Latinorum *ae* attinet, cla-

92) Vid. Placent. l. c. p. 33. Wetsten. l. c. p. 169. 198. 202. Huius generis sunt *κε* = *και*, *πεζοντας* = *παιζοντας*, *πεζοντων* = *παιζοντων*, *κατακιτε* = *κατακειται*, alia plurima.

93) Hauerc. S. I. p. 127. 342. II. 605. ss. Buttm. l. c. p. 23. 6.

rum est, eas literas vocalem eamque *ä* significasse. Primo enim *ae* a Latinis non solum pro vocalibus simplicibus, sed etiam pro ε Graecorum scriptum est 94). Deinde Graeci *ae* non solum *αι*, sed etiam ε reddiderunt 95). Porro innumera fere sunt verba apud Romanos alias *e*, alias *ae*, passim *oe* habentia 96). Hinc in marmoribus sexcenties *e* pro *ae* et contra exaratum conspicitur 97). Quum vero serius *e* pro *ae*, *ae* pro *a* scripta sint haud raro, atque Latini etiam instar Graecorum vocales faciliores et minores in locum difficiliorum et maiorum substituerint; colligitur, *ae* apud Latinos *ä* valuisse 98). Denique huc facit, quod *ae* haud obscure a Grammaticis inter vocales numeratum est 99). Quincti-

---

94) Ex. c. *prae* = *προ* col. *ὑπαι* = *ὑπο*. Aesculapius = *Ἀσκληπιος*.

95) Ex. c. Praecocia = *πρεκοκκια* (Galen.) *Πρενεστινοι* (Dion. Hal.) = *Πραινεστινοι* (Strabo.) *Κεκιλιον* (Strabo.) = Caecilium al.

96) Ex. c. faemina, faecarius, faex, faecundus, alia sexcenta.

97) Ex. c. Egyptus, premium (Casaub. not. in Spart.) reipublice (columna Octodur.) dicta (Salmas. not. in hist. Aug. Scr.)

98) Ex. c. *Aesculapius* pro *Asculapius* col. talentum = *ταλαντον*.

99) Huc spectat Isidor. (L. I. orig. c. 26.), qui *Deum per* e *solum*, *daemonem per* ae *notare*; *equum animal per* e, *aequum iustum per* ae *scribere* iubet. Item Cassiodorus: *Antiquarii* inquit, *exinde probantur offendere, dum elocutioni Latinae linguae nesciunt servire disposite*: ae *in fine aduerbii non relinquas*, ae *iterum casui genitiuo non subtrahas*.

lianus enim *ai* inquit, *scribi non proferri, proletarii sciunt*, quo ex loco, cum in *ai* neque *a* neque *i* auditur, cognoscitur, *ai* vocalem designasse [100]). Idem alio loco haec habet: ai *syllabam, cuius secundam nunc* e *literam ponimus, varie per* A *et* I *efferebant, quidam semper vt Graeci, quidam singulariter tantum, cum in datiuum vel accusatiuum incidissent, vnde pictai vestes et aulai Virgilius, amantissimus vetustatis, carminibus inseruit* [1]). Cum enim Quinctilianus eam literarum *ai* pronunciationem singularem dicat, qua *a* et *i* diuelluntur pronunciando; clarum est, *ai* siue *ae*, sequius vsitatum, non solum Quinctiliani aetate, sed antea etiam vocalem significasse. Idem prodit Fabius de versu Varronis: *Cum te flagranti deiectum fulmine Phaeton* atque de diaeresi disputans: *hoc si esset prosa oratio, easdem literas pronunciare licebat. — Si itaque illud aulai in medio in prosa exstaret, aliter legendum non foret, quam aulai in medio; perinde, vt Phaëton exprimendum pro Phaeton.* Fuit itaque *ae* Latinorum vocalis nimirum *ä* nota, ex quo sequitur, cum Graeci *ae* scripserint *αι*, Latini *αι* vero *ae*, Graecorum literas *αι* sonum *ä* et hac et superiore etiam aetate significasse.

100) Quinctil. Epograph. c. 6.

1) Quinct. Instit. Orat. S. 1, 7. 18. Hoc loco non *Αι*, quod est in edit. Wolf. Lips. 1806., sed *AI* vel *ai* quippe Latinum legendum esse, in oculos incurrit.

Praeterea, quo nam alio modo explicandum sit, quod Latini *ae* ante vocales in carminibus eliserunt, non videmus prorsus. Sed obesse dicunt locum Gellii, in quo diserte sonus *e* post *a* in pronunciando *ae* audiri tradatur [2]). Ibi verba Nigidii exstant: *a et o semper principes sunt; i et u semper subditae, e et subdit et praeit. In Eurippo praeit, subdit in Aemilio.* Sed cum Nigidius verbis *praeit* et *subdit* vsus sit, patet, hoc loco non pronunciationem, sed orthographiam spectari, qua de re nihil inest huic loco, quod cum superioribus pugnet. Sed alium locum afferamus Nigidii, ex quo, quid de sono Latinorum *ae* senserit, satis perspicitur. *Si huius terrae,* inquit Nigidius, *scribas,* i *litera sit extrema; si huic terrae, per* e *scribendum est.* Nulla itaque pronunciationis diuersitas tunc erat inter *ae* et *ai* in terrai et *terrae*, siue vetustam et recentem Latinorum hac in re scripturam. Iam vero cum Latini saeculo octauo literarum AI vsum a Graecis petierint, AI vero saeculo secundo aut primo ante Christum, sono nihil mutato, vniuerse AE scriptum sit, *ae* vero Latinorum *ä* significauerit; concludendum est, Graecos saeculo certe octauo inde vsque ad primum certe a. Ch. literas *αι* pro vocali *ä* scripsisse. Ceterum non negatur, apud Graecos aeque atque Latinos, quod Quinctiliani etiam locus confirmat, AI longe frequentius haud dubie *aï* siue *ai*

2) Cf. Buttmann l. c. p. 24 *. Vid. Gell. 19, 14.

diphthongum valuisse. Quid vero est, inquies, quod Latini nulla re vrgente *ai* in *ae* mutauerint? Scilicet cum *ai* non solum *ä* sed etiam ante vocales *aj* significaret; ingeniose praefecto eo tollere studuerunt ambiguitatem Latini, vt, qua in re arte superarunt Graecos, pro *ai* scriberent *ae*, vbi vocalis *ä* audiretur, atque retinerent *ai*, vbi *i ne vocalis quidem esset*, Nigidii verbis vtimur, sed consonam *j* significaret. Rarissima enim sunt apud Latinos verba, in quibus *ae* sit aë legendum.

Saec. I. p. Ch.

Huc spectat locus Quinctiliani, cuius modo iniecimus mentionem. Cum enim ibi tradatur, veteres *ai*, sequius *ae* scriptum, quosdam semper vt Graeci extulisse, atque addatur, illam Virgilii verbi *aulaï* pronunciationem esse singularem; hoc etiam inde sequitur, Graecos in genere literis *αι* sonum *ä* tribuisse [3]). Tertium enim vix datur. — Plinius aliique Graecorum *αι* non solum in nominibus, sed etiam verbis reddendis constanter *ae* scripserunt, quod neu-

3) Hauerc. S. II. p. 309. I. p. 127. Wetsten l. c. p. 86. Matth. l. c. p. 15. Neidling. l. c. p. 45. Nimium omnes verba: *per A et I efferebant* vrgerunt. Scilicet opponitur hoc loco pronunciatio vulgaris singulari. Iam vides, cur *ai* Quinctilian. syllabam dixit, neque diphthongum. Etenim *ai* in *pictai* diphthongum aemutalur. Practerea *A et I* ad verbum *Graeci* referendum. Cf. alius Quinctil. locus (Epogr. c. 6): *nam AI scribi non proferri, proletarii sciunt.*

tiquam licuisset, si *αι* a Graecis non *ᾰ* pronunciatum fuisset [4]. — Huc referendi videntur numi apud Occonem *ε* pro *αι* habentes [5]. Versus Terentiani:

Alpha semper atque Iota, quem 'parant Graecis, sonum
A et E nobis ministrant. Sic enim nos scribimus.

id tantum affirmant, *αι* non *ai*, sed *ae* sonuisse [6]. — Iam in eo sumus, vt argumentum afferamus, quo ceu tridente Neptunio vsi omnes de pronunciatione literarum *αι, ει, οι, αυ, ευ*, turbas compescere studuerunt. Scilicet constat, inquiunt, veteres cum Graecos, tum Latinos istas literas diphthongos vocasse [7]. Prodeat Terentianus Maurus:

Et sonas vtrosque iungit, vnde diphthongos eas
Graeci dicunt magistri, quod duae iunctae simul
Syllabam sonant in vnam, vique gemina praeditae,
Semper effectum duorum temporum custodiunt.

Prodeat Quinctilianus, qui, *quaenam natura sit vocalium coeundi*, quaesiuit, *cum consonantium*

---

4) Wetsten. l. c. p. 202. Huius generis sunt aex = *αἶξ*, maenomenon = *μαινομενον*.

5) Occo. l. c. p. 136. 576. *Ποππεα* pro *Ποππαια*. *Ῥωμεων* pro *Ῥωμαιων* al.

6) Wetsen. l. c. p. 201. Hauerc. S. I. p. 302. Placent. l. c. p. 23.

7) Cf. Hauerc. S. I. p. 121. ss. 343. ss. 158. ss. II. p. 89. 549. 336. 632. 649., Mirtisb. p. 39. Placent. p. 26., Velasti. p. 117., Wetsten. p. 79., reliqui.

altera non nisi alteram frangat. Pauca sunt, quae contra monebimus. Primo, veteres in nominandis *αι* et *αϊ*, *ει* et *εϊ*, reliquis nullum fecerunt discrimen. Deinde parum ex nomine literis *αι*, *ει*, *οι*, *αυ*, *ευ* indito, perspicitur, quid sibi velit verbum diphthongi, cum *ι* et *υ* ante vocales posita consonantium potestatem in illis, quas dicunt, diphthongis apud Graecos obtinuerint. Denique vero literae etiam *ου* in dipthongis iisque propriis numerantur. Nemini autem facile persuadebitur, Graecos inde a saeculo a. Ch. VI. litera *u* significante caruisse, aut *ου* duplicem sonum habuisse. Diserte enim tradit Terentianus:

Graeca diphthongus ου literis nostris vacat,
Sola vocalis quod u *complet hunc satis sonum.*

Clarum est itaque, Graecos Latinosque nominandis *αι*, *ει*, *ου*, reliquis non sonorum coniunctionem quandam, sed literarum numerum et copulationem, veluti nuptias spectasse.

Saec. II.

Dicunt nonnulli Philosophi, futura plura elementa vim habentia alia, quam tradi solent, vt αι et ου et quidquid est similis naturae. Elementum (στοιχειον) enim maxime iudicandum est ex eo, esse elementum, quod sonum habeat incompositum et vnicum (ἀσυνθετον και μονοποιον φθογγον), vt est sonus α et ε et ο et ceterorum. Quoniam ergo sonus αι et ει est simplex et vniformis (ἁπλους και μονοειδης);

erunt haec quoque elementa (στοιχεια). *Quid sit autem sonus simplex et vniformis, argumentum erit, quod dicetur. Nam sonus compositus non, qualis ab initio incurrit in sensus* (ἀπ' ἀρχης προσπιπτει τη ἐσθησει), *talis natura* (τοιουτος πεφυκεν) *permanet vsque ad finem* (ἀχρι τελους); *sed continuata pronunciatione fit diuersus* (ἑτεροιουται). *Qui autem est simplex et reuera* (ὀντως) *elementi rationem habet, contra* (τοὐναντιον) *ab initio inde vsque ad finem nihil mutatur* (ἀμεταβολος ἐστι). *Sic cum* ρα *sonus* (φθογγος) *profertur in extensione, clarum est, non eodem modo* (ὡσαυτως) *affici sensum* (ἀντιληψεται ἐσθησις) *in prima incursione* (πρωτην προπτωσιν) *atque in vltima* (τελευταιαν); *sed in principio* (κατ' ἀρχας) *quidem elocutione* ρ *mouetur, postea autem* (μετ' αὐθις), *ea deleta, pure et sincere literae* α *vim apprehendet* (ποιησεται την ἀντιληψιν). *Quam ob rem* ρα *non est elementum et quidquid ei est simile. Sed si dicant sonum* αι (φθογγον λεγοιεν), *nihil erit huiusmodi* (οὐδεν ἐσται τοιουτον); *sed qualis ab initio auditur vocis proprietas* (ἀπ ἀρχην της φωνης ἰδιωμα), *talis etiam in fine* (τοιουτον και ἐπι τελει). *Qua de cassa* αι *erit elementum* (στοιχειον). *Qua cum ita sint, sequitur, si quidem* (ἐπι και) *sonus literarum* ει *et* ου *etiam vniformis* (μονοειδης) *et in compositus* (ἀσυνθετος) *et immutatus* (ἀμεταβολος) *est, ea etia esse elementa* [8].

8) Placentin. l. c. p. 21. Neidlinger. l. c. p. 19. Vid. Sext. Empir. adv. Gramm. I, 5.

Nobilissimus hic Sexti Empirici locus ita comparatus est, vt plura atque grauissima inde colligi possint. Scilicet hinc clarum est, *αι* saeculo II. p. Ch. vniuerse vocalem siue, quod ex superioribus constat, *ä* valuisse. Deinde cum tria saecula, vti vidimus, vix suffecerint apud Graecos ad literae cuiusdam sonum ita mutandum, vt vniuerse nouam potestatem haberet; sequitur, *αι*, quod saeculo II. *ä* sonuit, partim saeculo V. etiam p. Ch. partim saeculo I. a. Ch. etiam vocalem *ä* significasse. Peruenimus itaque ad Ciceronis aetatem, qua *αι* constanter *ae* scriptum est. Iam vero *αι* illa aetate *ä* sonuit, qua quidem *αι*, cum a Latinis vbique *ae* scriptum sit, *vbique ae* valuerit necesse est. Quodsi ergo Ciceronis aetate *αι*,quippe vbique *ae* scriptum, vniuerse *ä* valuit; denuo sequitur, *αι* saeculo IV. a. Ch. etiam *ä* significasse. Nouimus autem, Latinos *ai* et *ae* pari modo pronunciasse atque inde a saeculo octauo *ai* pro *ae* scripsisse; ex quo denuo sequitur, cum *αι* antea *ai*, hinc vniuerse *ae* reddiderint Latini, literas Graecorum *αι* saeculo etiam VIII. a. Ch. vocalem *ä* significasse. Vides, quid vnius argumenti satis certi grauitate nunc effici possit. Facianus, abesse singula illa Graecorum et Latinorum, quae attulimus hactenus, testimonia, quibus *αι* valuisse *ä* enunciatur; vnius Sexti Empirici locus atque Latinorum orthographia sufficiunt ad demonstrandam istam sententiam. — *Terentius*

Scaurus, inquit Mecerchus [9], *de Orthographia testatur: priscos Latinos diphthongum* ae *Graecis literis AI scribere solitos, quam postea mutarint in* ae, *sed ita pronunciarint, vt vtraque vocalis exaudiretur, quemadmodum etiam hoc tempore pronunciari deberet.* Ergo in pronunciianda *ae* neutra vocalis tunc temporis exaudita est. Praeterea non nisi coniecturam habes Terentii, in qua afferenda, licet liber non ad manus sit, magnopere vereor, ne non falli se passus sit Mecerchus. — Tradit Gellius: *Foenerator, sicut Mar. Varro in lib. tertio de sermone Latino scriptit, a foenere est nominatus. Foenus autem dictum a foetu et quasi a foetura quadam pecuniae parientis atque increscentis; et id circo et M. Catonem et caeteros aetatis eius foeneratorem sine* a *litera pronunciasse tradit, sicuti foetus ipse et foecunditas appellata* [10]. Paullo ante ridet Cloatium Verrium sic: *Sed in libro quarto; Foenerator*, inquit, *appellatus est quasi φανεροτερον ἀπο του φαινεσθαι ἐπι το χρηστοτερον, quoniam id genus hominum speciem ostendunt humanitatis.* Primum locum, siue foenus siue fenus *siue faenus* scripserit Gellius, ita nunc iure explicare possumus, vt Catonem non *e* sed *ä* vel *ö* in illo verbo pronunciasse dicamus. Alterum quod

9) Hauerc. Syl. I. p. 127. Wetsten. l. c. 86.

10) Gell. L. XVI. c 12. p. 132. ed. Ald. col. Hauerc. I. p. 128. II. p. 300. 605.

attinet, certo certius est, Verrium haud recte *αι* et *e* confundere potuisse, nisi *αι* sonuerit *ä* vel *e*. — Plutarchus Latinorum *ae* sexcentis in verbis *αι* scripsit, quod non potuisset sane, si *αι* non *ae* siue *ä* valuisset. Sed idem tradit: *Hermias geometra proposuit grammatico Protogeni hanc quaestionem: cur ἀλφα primum inter literas teneret locum. Is caussam attulit, quae tradi in scholis solet: vocales optimo iure mutis et semivocalibus anteire. Vocalium alias longas, alias breues haberi, alias ancipites: de quibus ancipites haud dubie praerogatiuam habeant. Rursum de ancipitibus ordine eam reliquis facile priorem, quae vtrique praeponi, neutri postponi soleat. Tale autem esse ἀλφα. Id enim neque post ἰωτα (δευτερον) neque post υ collocatum (ταττομενον) consentire (ὁμολογειν) neque obsequi (ὀπαδειν) vult, ita vt vna syllaba ex ambabus oriatur (συλλαβην μιαν ἐξ ἀμφοιν γενεσθαι), sed veluti indignans (ἀγανακτουν) et resiliens (ἀποπιδων l. ἀποπηδων) suum imperium (ἡδιαν l. ἰδιαν ἀρχην) quaerit semper. Istorum alterutri si praeponatur [ἀλφα] sequenti; illa et consonante vtitur et syllabas verborum efficit (ἐκεινων δε ὁποτερῳ ἀν βουλη προταττομενον ἀκολουθουντι και συμφωνουντι χρησθαι και συλλαβας ὀνοματων ποιειν), vt in αὐριον, αὐλειν, Αἰαξ αἰδεισθαι et innumeris aliis* [11]. Hunc locum,

11) Plutarch. Sympos. L. IX. p. 2. Cf. Hauerc. I, 126 II., 299. Mirtisb. p. 38. Placent. p. 18. Wetsten. p. 85. Neidling. p. 23.

quem mirifire alii aliter torserunt, sic explicare ausim. Scilicet vocales intelligit Plutarchus *α, η, ω, υ, ι, ο, ε* [12]. Ex his ancipites (*α, υ, ι*) praerogatiuam habere, ex ancipitibus vero *α* tradit, quoniam *α* vtrique soleat praeponi (*αι αυ*), neque vero postponi (*ια υα*). In his quidem non scripturam, sed pronunciationem spectari, demonstratione non eget. Iam vero cum *α* literis *ι* et *υ* praepositum (*αι αυ*), neque vero postpositum (*ια υα*) syllabas efficiat; quaeritur, quae notio sit vocabuli *syllabae*. Scilicet syllabae sunt e Plutarchi sententia *αι* et *αυ* in verbis *αὔριον* et *Αἴας*, siue *ai* siue *ä*, siue *au* siue *aw* pronunciauerint. Iam vero *αυ* tunc temporis *au* sonuit, ex quo statim sequitur, *υα*, quod iisdem e literis inuerso ordine positis constat, neque *ua* neque *ya* valuisse, sed *wa* (e. g. *ἀὐαλέος*). Deinde cum *αι* — faciamus interim sonuisse *ai* — sonet *ια*, inuerso ordine pronunciatum, neque vero *ια*, quod in *αι* tantum cadat, diphthongum efficiat Plutarcho auctore; hoc etiam clarum est, *ια* sonuisse *ja*. Hactenus nihil impedit, quominus statuamus, Plutarchum *αι* pronunciasse *ai*, quod adeo illud *συμφωνοῦντι* et verborum *αὔριον* et *αἰδεῖσθαι* compositio et comparatio suadent. Momentum facit verbum a Plutarcho ingeniose additum *Αἴας*. Scilicet, si Plutarchus pronunciasset *ai* in *αἰδεισ*-

12) Hic vocalium ordo apud Dion. Hal. *Περὶ συνθ. ὀν.* XIV. 95. est, qui pro praestantia sonorum ita singulas disposuit.

θαι, debuisset etiam *ai* pronunciare in *Ἄιας*, quo facto euasisset *Ajas* (*Ἀΐας*) Aeolicum. Quod quidem si egisset Plutarchus; repugnasset sibi. Cum enim verbo *Ἄιαντος* allato id demonstrare cupiat, non posse *α* cum *ι* praecedente *ὁμολογειν,* imo *αι* syllabam proficere; noluit profecto, illud *ι* verbi *Ἄιαντος* ad *α* consequens, sed praecedens potius trahi. Ergo *αι* sonuit *ä*. Iam vides, quae notio sit verbi *συλλαβης*. Syllabas enim Plutarchus dicit vocales binas, vnum sonum, siue bipartitum, velut *αυ* in *αὔριον*, siue simplicem, veluti *αι* in *αἴδισθαι*, edentes. Conuenit itaque vocabulum *συλλαβης* cum *διφθογγου* siue verae, velut *αυ*, siue falsae, velut *αι* et *ου*, notione. Quo iure autem Quinctilianus, vti vidimus supra, illud *αι*, pronunciandum *ä*, syllabam dixit, eodem etiam Plutarcho *αι συλλαβην* vocare licuit. Duplici itaque de caussa hic Plutarchi locus insignis est. Inde enim denuo confirmatur, *ι* et *υ* Graecorum ante vocales posita consonas significasse, literas *αι* vero sonum vocalem.

Saec. III.

Ad haec tempora trahendum videtur, quod Graeci *αι* signis accentuum scribendis pro vocali correpta habuerunt 13). Diphthongi enim instar vocalium breuium corripi nequeunt.

13) Ged. Hermann. de em. rat. p. 52.

Saec. IV.

In numo Constantini M. bis *κε* pro *και*, *Ρομεον* pro *῾Ρομαιων* excusum est [14]. — Codex Vaticanus saepissime *αι* et *ε* habet, vbi Alexandrinus *ε* et *αι* legit [15]. — Arius traditur, verbum *κενοφονιας* in *καινεφονιας* vertisse [16]. — Hesychius *αι* scribit passim pro *ε* [17]. — Basilius verbis a *θε*, *νε*, *τε*, *χε* incipientibus verba a *θαι*, *ναι*, *ται*, *χαι* incipientia plurima immiscet [18]. — Ausonius *αι* non solum *e* scripsit, sed etiam corripuit [19], quod quidem non leuis momenti esse videtur. Cum enim ex *αι* diphthongo non nisi *ē* longum primum oriri possit; sequitur inde, *αι* aut semper, aut dudum ante vocalem valuisse. — Grauius est, quod inde ab hoc et superiori etiam saeculo *αι* sonum *ä*, quod ab interpretibus S. S. didicimus, in *e*, qui etiamnum vsu venit apud Graecos, mutauit.

---

14) Wetsen. p. 200. 147. 174. 198.

15) Wetsten. p. 198. col. Hug. Einleit. I. p. 180. Huius generis sunt: *πεδιῳ* (Vat.), *παιδιῳ* (Al.), *ναβεωθ* = *ναβαιωθ*, *αἰλωμ* = *ἐλωμ*, *θαιμανων* = *θεμανων*, rel.

16) Hauerc. II. 637. col. 1. Tim. 6, 20.

17) Wetsten. p. 200. E. g. *παιδιον* pro *πεδιον*, rel.

18) Wetsten. p. 207. Velasti. p. 101. E. g. *θαιρος*, *ναι*, *χαιρω*, rel.

19) Wetsten. p. 203. Clytĕmnestra pro *Κλυταιμνηστρα* Phĕacas pro *Φαιακας*.

Saec. V.

Syllaba positione longa, inquit Corinthus, *minor censetur illa, quae natura longa est. Si quidem α natura longum; est maius diphthongo αι (της ἐχουσης το ι ἐκφονουμενον), ι adiunctum et consonans habente. uiQ enim facit opus duorum militum, fortior illis est* [20]. Addit Ryhinerus, *spectari hoc loco ᾳ et αι discrimen*, vel *αϊ*. Praeterea vrgendum: *duorum militum opus*. Hinc enim clarum est, *α* et *ι* composita vnum tantummodo sonum vocalem efficere instar *α*. — Huc spectant fortasse inscriptiones a Salmasio et Placentino laudatae, in quibus *ε* saepe numero loco *αι* exaratum exstat [21]. —

Saec. VI.

In codice Alexandrino *αι* locum *ε* et contra sexcentis in verbis obtinet [22].

Saec. VII.

Codex Capituli Veronensis, licet serius conscriptus videatur, e habet pro *αι*. Idem valet, de Psalterio regis Aethelstani [23].

---

20) Wetsten. p. 89.

21) Vid. Wetsten. p. 198. Placent. p. 33. ss.

22) Wetsten. 185. 147. 174. col. Walton. Proleg. in Pol. c. 19. §. 34.

23) Placentin. p. 77. Westen. p. 117.

Saec. VIII.

Huc referenda videtur inscriptio, cuius Salmasius mentionem fecit, quaedam, ε pro αι passim habens [24]. — De Symbolo Graeco, literis Gothicis conscripto, atque Psalterio Latinis [25], in quibus *e* exstat pro αι, vidimus supra.

Saec. IX.

Iohannes Drutmarus literas Graecorum αι reddidit *e* [26]. — In codice Basileensi αι atque ε haud raro inter se confunduntur [27].

Saec. X.

Idem cadit in alios quosdam codices, ad eandam aetaten hanc, vel posteriorem refenendos [28].

Saec. XI.

Suidas literis αι vtitur ad Latinorum *e* significandum, vnde non mirum est, mirari eum, maiores balatum ouium non βαι, sed βη literis expressisse [29].

---

24) Wetsten. p. 169.

25) Wetsten. p. 117. Placentin. p. 77. Velasti. p. 80.

26) Wetsten. p. 161.

27) Wetsten. p. 198. 204.

28) Wetsten. 128. 170. 199. 143. 213. 60. 67. 216. al. Velasti. p. 58. ss.

29) Wetsten. p. 204. al. Velasti p. 55. E. g. ῥαικτορ = rector.

Saec. XII.

Eustathius verba, alia ε alia αι habentia, παρηχησεως exempla profert atque κενος et καινος eundem sonum habere, diserte tradit [30].

Saec. XIII.

Narrat Glycas, *Nicetam Eunuchum, imperatori Copronymo inprimis carum, sed adeo rudem, vt nihil aliud nosset, quam edere et bibere, Patriarcham creatum fuisse et, cum aliquando euangelium in cellula sua recitaret, pro eo, quod dicendum erat: secundum Matthaeum (Ματθαῖον), pronunciasse: secundum Mathaium (Ματθαΐον). Cuidam autem ex adstantibus monenti, ne αι diphthongum diuideret, cum iracundia respondisse: diphthonga et triphthonga, binos ternosque sonos habentia, anima mea vehementer auersatur* [31]. Hinc ortus traditur cachinnus de Eunucho, notionem diphthongi ignorante.

§ 5. *EI.*

Homeri aetate

ει in vsu fuisse, eo probabile redditur, quod huius et sequioris temporis poetae ει pro dua-

---

30) Wetsten. 208. Velasti. 75. Placentin. 22. Hauerc. I., 415. ss. II., 610. 637. *Παρηχειται*, inquit, παιδι και ἐμπεδα, ἑτερωθεν ἑταιρον.

31) Wetsten. 207. Placentin. 20. Velasti. 203. Vid. Glycas. p. 4. annal. p. 284.

bis syllabis breuibus adhibuerunt metri caussa. Potest tamen haec caussa ita etiam explicari, vt dicatur, initio εε, quod in marmoribus antiquissimis reperitur pro ει, scriptum esse a Graecis. Liberarios enim in describendis veterum operibus literas serius vsitatas velut η, ω, ϑ, χ, alias subinde intulisse verbis, non est, quod demonstretur. Quodsi vero Homeri aetate adfuit ει, nonnisi duplicem sonum istis literis innuere potuerunt aut diphthongum, qualis nunc dicitur, aut vocalem. Porro ει, si vocalem designauit, nonnisi aut *i* aut *e* productum, valere potuit. Alioquin veteres ει ab ε et ι non distinxissent scribendo. Attamen cauendum, ne statim ad poetas confugiamus. Duplici enim modo vocales producuntur, ita scilicet, vt accentum tonumque verbo cuidam conuenientem habeant, aut consonae, subsequentes vocales quasdam, simplices seruentur neque geminentur eloquendo. Quando καλως enunciamus *calòs* paululum producitur α, quamuis a poetis corripiatur; quando vero dicimus *callòs* acrius paullo corripitur α, quamuis verbi accentus idem maneat. Hinc ει apud Graecas vocalem quandam longam significare potuerit, licet ι non vbique a poetis correptum sit. Videamus nunc, quid e poetis Graecis, dialectis atque grammatica colligi possit ad sonum ει siue diphthongum siue vocalem inueniendum. Ac primo ει diphthongum significasse, eo probabile redditur, quod parum credibile est, Cadmeam aetatem literae

aut ι aut ε duplicem sonum et breuem et longum distinxisse, cum idem in α, ο, υ scribendo neglexerint. Contra monendum est, veteres vtique, in quo Grammatici consentiunt, vocales breues et longas distinxisse eo, vt producendas geminarent, veluti αα, οο pro ᾱ, ō. Hinc accidere potuit, vt Graeci importunam earundem literarum repetitionem subinde negligerent nec nisi εε, aut ιι retinerent atque in ει mutarent. Facillime enim lineola (*I*) literae *E* addi poterat, atque suspicamur, illam lineolam, productionis signum, veluti Metheg (ֽ) Hebraeorum literis ο, ε, α additum fuisse, quo loco postea in ῳ, ῃ ᾳ mutatae sunt atque, licet οι, αι scriptae, parem casum et mutationem soni cum diphthongis illis οι et αι non habuerunt. Praeterea non negligendum, debuisse adeo Graecos *i* breue a longo distinguere, ne ι inter vocales positum *j* pronunciari possit. Praeterea quid impedit, quo minus credamus, inde ab eo tantum tempore Graecos ι breue a longo discreuisse, quo ε et η, ο et ω discernerent. Quid? quod hac etiam aetate α anceps reliquerunt. Potuit itaque ει ab antiquissimis inde temporibus siue *e* siue *i* productum significare, quamuis alias *ei* diphthongum, postea εϊ scriptam, valeret. — Porro ει diphthongum vniuerse significasse, ex eo sequi dicunt, quod poetae literis ει Pyrrhichios fecerunt [32]. Sed poetis hac in re fidem denegandam esse,

32) Hauerc. I., 124. 145. II. 296. al. Matthiae p. 15.

vidimus supra. — Deinde haud leuis momenti esse videtur, quod Iones, aliaeque gentes Graecorum haud raro εϊ et ηι pro ει habent [33]. Sed non negatur quidem, veteres frequentius εϊ siue *ei* pronunciasse, quod dialectis, Attica rudionibus, adeo confirmatur. Quam ob rem neutiquam inde concludendum est, ει a Graecis ad vocalem designandam adhibitum non fuisse, neque mirandum, εϊ vocalem ει euasisse, cum Graeci omnis generis literas, inprimis soni *i* proximas in *i* pronunciando subinde conuerterint. Quod vero Iones attinet, inprimis tenendum, eos literas ε et η sexcentis in verbis atque verborum formis vocalibus, apud reliquas gentes Graecas exstantibus, praemisisse et praescripsisse [34]. Hinc fit, vt η et ε ante ι in εϊ et ηι non orta ex illo ε diphthongi ει, quam veteres dixerunt, dici possit; imo probabilius est, illas η et ε vocales esse pro more Ionum nouas atque accessorias, ι autem locum ει obtinere. Quae quum ita sint, ex isto quidem poetarum et dialectorum vsu vix posse aliquem demonstrare arbitramur, Graecos literis ει vocalem quandam non designasse. Contra plurima adsunt eaque grauissima eodem ex fonte hausta, quae, ει voca-

---

33) Hauerc. I., 141, II. 606. Matthiae l. c. p. 15. Thiersch. p. 24.

34) Huius generis sunt: ἐοντες, βασιλεας, ἀδελφεος, πλευρεου, κενεη, μνεαι, Ἀιολῃς = Ἀιολις Mettaire p. 524. ss. 298. 128. al.

lem fuisse Graecis, suadere videntur. Primo enim poetae *ει* corripuerunt ante vocales, atque passim in fronte, medio et fine verborum neglexerunt [35], quod licuisset sane ne poetis quidem, si *ει* diphthongum significasset. Licuit quidem poetis, violare vsus rationem, neque vero linguae et orationis indolem adeo, vt binas vocales praesertim in compositione verborum reciderent. Deinde, si *ει* diuiso sono fuerit, non intelligitur sane, cur Graeci *ε* et *ει* subsequens, cum duo *ε* effecerint vnum *η*, non mutarint constanter in *ηι* [36]. Sexcenta enim occurrunt verba *εει* habentia. Porro *ει* paucissimis verbis exceptis in variis Graecorum dialectis non diphthongis, sed vocalibus (*η*, *ε*, *ι*, *υ*, *ο*, *αι*, aliis) commutatum exstat, ita vt singula verba adeo quatuor literis *ει*, *ι*, *η*, *ε* promiscue scripta sint [37]. Denique vero, quod summum est *ει* loco vocalium simplicium earumque affinium

---

35) E. g. *ἐπειη* (Hom.) *χαλκειαις* (Apoll.) *Πιστα* pro *Πιστειρα* (Aes.) *ἀγρομαι* (Hom.) *πρεσβα* pro *πρεσβεια* vel *πρεσβειρα* (Hom.) *ἐᾳ* pro *ἐαει* coll. *ὀσσε* pro *ὀσσεε* (Hom.) *πολι* pro *πολιι* (Epitaph.) alia plurima. *καιπε* pro *και εἰπε* (Theoc.)

36) Veluti *ἑεις*, *ἐεικοσι*, *ἐεικοστος*, *ποιεεις* (Ion.) = *ποιεις* (Att.)

37) Cf. Spl. Hermann. l. c. p. 53. *εἰκελος*, *ἰκελος ἀποδειξις*, *ἀποδεξις*. *ἡρωες*, *εἰρωες*· *Equidem existimo*, inquit Hemsterhusius, *ἐλειν*, *εἰλειν*, *ἐλλειν*, *ἰλιν*, *ἰλλειν* *nihil initio inter se discrepasse* (*Τιμαιου Λεξεις Πλατονικαι* ed. Dav. Runcenius p. 52.) Cf. Mattair. p. 158. 48. 184, 1?8. p. 527. *ει*. al. clathrum = *κλειθρον*.

ει reperitur in inscriptionibus antiquissimis, quas quidem statim commemorabimus. Quum enim apud Graecos vocales e diphthongis subinde ortae sint, neque vero contra; non potuit non *ει* vocalis cuiusdam signum a Graecis in scribendo adhibitum fuisse. Quaeritur itaque, cum *ει* nonnisi aut *i* aut *e* productum significare commode potuerit, cuinam sono inseruierit. Possit quidem haec caussa eo dirimi, vt statuatur, *ει* inter *e* et *i* sonum medium quendam habuisse [38]: sed cum sonos inter *a* et *ä*, *ä* et *e*, *u* et *ü* medios Graeci non distinxerint neque apud gentes artium et literarum humanitate vtut eruditas vocales in vsu sint, in quibus proferendis neque *e* neque *i* percipiatur; colligitur, sonum *ει* aut *e* aut *i* fuisse. Iam vero *ει* initio *e*, postea *i* longum significasse, poetarum vsu, verbis acchaicis, dialectis atque inscriptionibus vtique probatur. Homerus enim, vbi *ε* longum pro breui cupit, literae *ε* addit *ι*; vbi *ει* corripere studet, *ε*, abiecto *ι*, scribit [39]. Cum enim tunc temporis *η* non addesset, debuit *ε* retineri nec

38) Cf. Hermann. l. c. p. 53.

39) *Δεελος* (Il. κ. 466.) = *Δειελος* (Il. δ. 181.) *κεινῃσιν* (Il. δ. 181.) = *κενος*, *ὑπερ* = *ὑπειρ* *εἰοικυιαι* = *ἐοικυιαι*, *ἐις* = *ἐς*. *βαθεης* pro *βαθειης* *ἑρμεα* pro *ἑρμεια* *θηλεας* pro *θηλειας*. plura Thiersch. Gramm. p. 214. 222, 12. 212, 82. *εἱανου*, *εἰαρινη*, *εἰλατινος*, *εἰλειθυια*, *εἰνι*, *εἱνεκα*, *εἰνατος*, *εἰρος*, *εἰρωτας*, *εἰσω*, *εἰω*, *εἱως*, *δειδεκται*, *δειδεχεται*, *δειδια*, *ἀδειης*, *ἀδελφειου*, *δειους*, *νειοιο*, *ἑρμειας*, *νειοθεν*, *νηλειες*, *ῥεια*, *σειο*, *ἐμειο*, *εἱο*, sexcenta alia.

potuit $\varepsilon\iota$ scribi, si $\bar{\imath}$ valeret; $\varepsilon\iota$ autem, si valeret $\bar{\imath}$, non potuit, vbi esset corripiendum, ε, sed debuit ι scribi. Neutiquam hoc, paucissimis verbis, quae scripturae serioris haud dubie sunt, aut nullis exceptis, accidit vocali ι, quae potius, quamquam alias correpta alias producta sit[40], genuinam scripturam sibi seruauit. Nullo autem iure mutatio ε in $\varepsilon\iota$ et contra dialectis vitio verti potest, cum eiusmodi verba in oratione prosaica dialectorum non reperiantur, qua de re concludendum, $\varepsilon\iota$ Homeridarum aetate $\bar{e}$ productum significasse. Praeterea si ε in $\varepsilon\iota$ mutatum valuisset *i* productum, potuisset et debuisset ε etiam in ι mutari, quippe anceps, cuius rei nulla apud Homerum, quod nouimus, exstant exempla. Quemadmodum vero Homerus, ita etiam poetae seriores $\varepsilon\iota$ corripiendum in ε, atque ε producendum in $\varepsilon\iota$ mutarunt. Attamen cum Graecia vniuersa Homerum tamquam exemplum secuta sit; poetarum seriorem auctoritati cauendum ne nimium tribuatur. Porro cum η litera serius inuenta sit, atque vocales grandiores initio fuerint adhibitae; sequitur eas verborum alias $\varepsilon\iota$, alias ε, alias η, alias ι habentium, quorum invens numerus est, formas esse antiquas, quae antea $\varepsilon\iota$ et ε, postea η et ι continent. Hinc certo certius est, verba ante Pythagorae aetatem $\varepsilon\iota$, saeculo VI. autem η scripta literas $\varepsilon\iota$ pro $\bar{e}$ habuisse. Contra etiam hoc

40) Cf. Mettaire p. 437. al. Thiersch. p. 218. 4.

intelligitur, *ει* in locum *η*, post Pythagoram substitutum, *ῑ* significasse. — Dialectos quod attinet, ad Latinos tantum prouocare liceat. Scilicet Latina lingua, antiquissima Graecae, vti vidimus, dialectus, permultis in verbis sonum *e* eumque productum seruauit, vbi Graeci habent *ει*. Cum vero illud *ει* in verbis reperiatur apud Graecos, priusquam lingua Latina exculta esset, hoc etiam clarum est, *ει* antea *e* longum significasse [41]. Verba autem *e* scripta antiquiora esse iis, quae alias *i* habent, videbimus statim. Difficilius sane est, iudicare de inscriptionibus, cum, qua aetate ortae sint, de plurimus adhuc dubitetur. Sufficit tamen ad hanc rem probandam, quod marmora aetate superiora *ει* habent, quo sequiora *η* et *ε* [42]. Ex his enim cognoscitur, cum verba, antea *ει* habentia, non potuerint, Graecia in dies cultiore euadente, *e* pro *i* assumere, *ει* ante ea tempora, quo *η* scriptum

---

41) Exempla afferamus verba: *Hectoreus*, *Pentesilea*, *Peneus*, *Lyceum*, *Helotes*, *Polycletus*, *platea*, *Medea*, *Aeneas*, *museum*, tres (*τρεις*), super (*ὑπειρ*) meus (*ἐμειος*). Eiusdem generis sunt infinitiui Latinorum *ere*, quibus *ειρ* Graecorum respondet. Scilicet *ειν* veteres scripserunt *ειρ*, ex quo *ere* Latinorum ortum est. E. g. *ἑρπειν* = *ἑρπειρ* = serpere. Huc quidem *Alexandrea*, *Caesarea*, *Heraclea*, *Laodicea*, alia non pertinere videntur: sed cum eiusmodi verba analogiam quandam pronunciationis secuta sint; superiora potius confirmant.

42) Vid. Salmas. Inscr. Vet. p. 16. Gruter. Inscr. p. CXXV. p. CV. p. XL. E. g. *ἐπιειρανε* pro *ἐπιηρανε*, *δειναρια* pro *δηναρια*, *Ασκλει(η)πιαδης*, *σωτει(η)ρι* al.

est, ē significasse, inde autem ī. Fuit itaque *ει* a Graecis vocalis *e* nimirum productae nota primum in scribendo adhibitum. Haec quidem sententia, in quam forte fortuna incidimus, egregie iam Grammaticorum auctoritate confirmatur [43]. Tradunt enim Athenaeus: *οἱ ἀρχαιοι προσεχρωντο τῳ ει ἀντι του ε·* atque Eustathius. *το ε στοιχειον ει ἐλεγον οἱ παλαιοι, προστιθεντες το ι, ἱνα τῃ δια διφθογγου ἐκτασει δυνωνται περισπᾳν και αὐτο, καθα και ἀλλα στοιχεια.*

Quaeritur nunc, cum Graeci *ει* postea non solum *i* pronunciauerint, sed etiam tamquam vocalem *i* longam vsurpauerint, quo tempore vtrumque acciderit. Hoc loco praemonendum, literas Graecorum nouas non vbique statim receptas esse atque orthographiam a gente alia receptam, ab alia reiectam fuisse. Hinc sponte intelligitur, *ει* per longum temporis spatium alias *e* alias *i* in Graecia valere potuisse. Deinde cum literae, vti vidimus, in Graecia non protinus quidem nouam potestatem vniuerse subierint, cum ita potius linguae pronunciatio mutata sit, vt singula verba, primum conuersa, veluti agmen reliquorum ducerent; hoc etiam clarum est, in aliis verbis alio tempore *ει* vocalis *i* notam adhiberi potuisse. Denique certo certius est, librarios, vbi antiqua lectio non quadraret, sexcentis in locis ab antiquissimis

43) Vid. Casaub. Animadv. in Athen. p. 784. Eustath. ad Hom. Il. ε. *Ει βαλλει Κυθερειαν.*

inde et Homericis adeo temporibus textum hac in re mutare potuisse ac debuisse. Quae quum ita sint, perspicitur, difficillimum esse de temtempore iudicare, quo Graeci literis *ει* vocalem *i* significarunt. Videamus, quid hac in re effici possit.

Saec. VIII.

Latini, Graecorum literas et scribendi artem nocti, literis *EI* sonos intio innuerunt eos, quos sequior aetas vocalibus *E* et *I* significauit [44]. Idem testatur Terentianus:

Eitur in syluam: necesse est e et i connectere;
Principali namque verbo nascitur, quod est: eò.
Sic oueis, plureis et omneis scribimus pluraliter.

Quaeritur itaque, quae pronunciatio literarum *ei* genuina sit. Scilicet cum *ei* in plurali scriptum sit, quem Graeci scribunt *ε*; perspicuum est, *ei* Latinorum etiam initio *e* valuisse [45]. Deinde Latini etiam vocales grandiores in minores mutarunt velut *y* in *i*, *è* in *i*, ex quo cognoscitur, illis etiam in locis *ei* valuisse *ē*, quibus postea *ī* et pronunciatum et scriptum est. Atque ipse

44) Huius generis sunt verba: *omneis homineis* (quae perperam *i* scribuntur ab editoribus Salustii) omnesque formae plurales in *es*; *Tralleis*, *Sordeis*, *treis*, *parteis* aeque atque *veis*, *celeberrimei*, *preimus*, *leibertas*, *serueilius*, *eidus*, quae sunt in numis et lapidibus (Hauerc. S. I. p. 143), postea mero *i* scripta.

45) Omneis, plureis coll. *παντες*, *πλειονες*.

Quinctilianus grauissimus huius rei testis atest[46]) rogans: *Quid? non e quoque i loco fuit, vt Menerua et leber et magester et Diioue et Veioue, pro Diioui et Veioui?* Inde vero concludendum est, saeculo a. Ch. octauo non solum Latinos, sed etiam Graecos literis *EI* vocalem *e* producendam expressisse.

Saec. VII.

Antiquissima pars inscriptionis Amyclaeensis verba habet *λαοδαμεεα ματεερ*[47]), quorum alterum postea *η* alterum *ει* scriptum est. Inde concludendum videtur, cum *ει* pro *εε* non scriptum sit, hocce iam tempore *ει* significasse *i*. Sed cnm *εε* etiam, quod ex Homerico *δεελος* constat, vocalem e longam significauerint, atque inde a saeculo V. demum *ματηρ* et *λαοδεμεια* scriptum sit; sequitur, *ει* inde a saeculo V. a. Ch. haud dubie cum hoc in verbo, tum in reliquis pro *i* longo valuisse.

Saec. VI.

Inscriptio Sigea, quae, cum *υ* habeat neque vero *η*, in hanc aetatem incidere videtur, verbum *ειμι* habet, quod alia quaedam *εμι* scriptum aeque atque *βασιλες* pro *βυσιλεις* exhi-

46) Quinctil. Instit. Orat. L. 1. 4. 17.

47) Cf. Hug. Erfind. der Buchstab. p. 68. col. Memoires de l'Acad. des Inscr. T. 39. 8vo. p. 123. *Λαοδαμεεα* coll. Alexandrεa, Alexandria.

bet[48]. Etsi non constat, quo tempore illud *εμι* scriptum sit, parum tamem probabile est, hanc inscriptionem a Sigea aetate multum differre. Paucissimae enim sunt antiquiores, neque potuisset Sapphonis et Aeschyli aetate adhuc *ε* pro *ει* recte exarari. Quam ob rem probabile est, *ε* et *ει* tunc temporis eundem sonum significasse. Ceterum inscriptio Deliaca, quae parum diuersa est haud dubie aetate ab illis verbum *ειμι* habet (Potter. III. 249).

Saec. V.

Sappho, Pindar, alii, quibus Theocritus, si genuinus esset, adnumerari possit, *ει* metri causa corripiendum in *ε* mutant atque *ε* producendum in *ει*[49]. — Hoc loco commemorandae sunt plurimae inscriptiones, in quibus *η*, *υ*, *ι* pro *ει* et contra exstant[50]. — Eae enim, quae eiusdem temporis nunc *η* nunc *ει* habent, id demonstrant, *η* ab *ει* ita discrepasse, vt *ει* significaret *ῑ*, *η* vero *ē*, si satis antiquae sunt. Deinde

48) Neidlinger. l. c. p. 36. s.

49) E. g. *κλεεννος*, *φαεννος*, *κελαδεννος*, *ἀρχειαι* (pro *ἀρχαιαι*) *κεινος εἰναλιον*.

50) Vid. Gruter. p. CV. CXXV. CV. XL. CLXXIII. DCXCI. CCCXXX. CCCXV. CCCXVII. al. Salmas. Inscr. p. 16. 21. Animad. in Chron. Eus. p. 114. s. Marmor. Oxon. p. XXXVI. p. 620. Exempla sunto *Αρη(ει)ου ἐπιει-(η)ρανε*, *δει(η)ναρια*, *Ἀσκλειπιαδης*, *σωτειρι*, *πειονα*, *τειμησατε*, *πολειτης*, plurima alia, *αβδηρειτων* = *αβδηριτων* al. pl. Vid. Neidlinger. p. 37.

quae inscriptiones ex eadem aetate *υ*, *ι* et *ει* promiscue habent, probant, *ει* valuisse *i*. Porro ii lapides, in quibus *ει* pro *η* est, docent, si antiquiores sunt hac aetate, *ει* antea *e* significasse, sin recentiores, *ει* tunc *i* valuisse. Deinde ex eo, quod marmora alia *υ*, *ι*, alia *ει* exhibent, hoc cognoscitur, eos, qui *υ* et *ι* pro *ει* maiorum scripserunt, *ει* non *e* sed *i* pronunciari voluisse; qui vero *ει* in locum *ι* et *υ* substituerunt, eos, inquam, *ει* vocalis *i* notam exarasse. Quamuis itaque inscriptiones illae tempore incerto sint; fulciunt tamen priorem omnino sententiam. — Ex eo vero, quod Aristophanes *ει* pro *η* scripsit, vtique cognoscitur, *ει* hac aetate atque hac quidem in Graeciae regione iam *ει* pro *i* vsurpari coepisse [51]. Cum enim *η*, hoc saeculo natum, a Boeoticis hominibus torqueatur; non potuit non *ει* sonum *i* productum significare. Ab hoc inde tempore haud rara apud scriptores reperiuntur verba, e quibus *ει* vocali *i* inseruiisse cognoscitur [52]. Aliud denique adiiciamus verbum, quo satis confirmari videtur, *ει* ante hanc aetam sono cum *η* conuenisse. Scilicet sexcenta sunt apud Graecas nomina propria ab ouibus petita, quae quidem non *μη*, sed *μει* scribuntur [53]. Constat autem nominum scripturam

51) Vid. Arist. Acharnn. 862. 868. 914. *Θειβαθεν*, *ἀδικειμενος Θειβαθι*. *νει* pro *νη* ib. *ὑγιεις* pro *ὑγιης*. coll. *ξεινιγκι* pro *ἐξενεγκω* Aristoph. *Θεσμοφορ*. V. 1016.

52) Cf. Fischer ad Veller. Gr. p. 16.

53) Nomina huius generis maxime Boeotica sunt: *Καλλιμει-*

perstare, etiamsi pronunciatio parum quadret. Hinc nominum istorum, quae in marmoribus etiam antiquissimis reperiuntur, scriptio genuina habenda est. Iam vero oues neque *eï* neque *i* clamant, sed *me* siue *μη*, ex quo sequitur, *μει*, priusque *μη* scriberetur, *me* sonuisse atque *ει* ante s. V. *e* = *η* significasse.

Saec. IV.

Hac aetate Copti nomen *ει* vocalis *ε* a Graecis receperunt. Cum vero nomen vulgare literae *ε*, mutata literarum *ει* potestate, manere potuerit vereque, vti videbimus, manserit, cumque Copti literis *ει* sonum *ī* siue *ι* producendum significauerint; non licet inde concludere, *ει* Graecorum adhuc *ē* valuisse. — Huc, cum noua Graecorum orthographia non vbique statim recepta sit, spectare videtur, quod e dialectis de sono *ει* colligi potest [54]. — Laertio teste Diogenes Cynicus furem vestium in balneo cernens rogauit, vtrum *ἐπ' ἀλειματιον ἢ ἐπ' ἀλλ' ἱματιον* veniret? Ergo *ι* et *ει* tunc temporis assonuerunt sibi inuicem [55].

λος, Τιμομειλος, Εὐμειλος, Σαυμειλος, Μνασιμειλος. Cf. Boeckh. Staatshaush. II. p. 392.

54) Mutantur scilicet *η* et *ει* et *η* et *αι* et *ι* et *υ*. E. g. *Ῥειθρον* (Ael.) *ῥεεθρον* (Herod.), *Δαρειος* = *Δαραιος*· *εἰκα* = *αἰκα* (Theoc.) *ἀργυρεια* = *ἀργυρια* (Xen.) *Ἀκαδημια* = *Ακαδημεια*. Vid. Syluae Crat. p. 22. 49. ss.

55) Cf. Westen. p. 181. Laert. p. 317.

Saec. III.

Λυσανιη, συ γε ναιχι καλος, καλος· ἀλλα πριν εἰπειν
Τουτο σαφως, ἠχω φησι τις, ἀλλος ἐχει [56].

Nullo pacto sane Echo, bene docta 'a Callimacho, ad *ναιχι* respondere potuisset *ἐχει*, nisi *ει* et *ι* eundem sonum retulissent — Huc spectat inscriptio columnae rostratae, in qua *e* productum neque vero *ī*, si ab iis verbis discesseris, quae sonum *ē* subinde in *ī* apud Latinos mutarunt, constanter EI antiquo Graecorum more conscriptum est.

Saec. II.

Tradit Quinctilianus haec: *Semiuocales non geminare, diu fuit vsitatissimi moris, atque e contrario vsque ad Accium et vltra, porrectas syllabas genuinis, vt dixi, vocalibus scripserunt. Diutius durauit, vt* e, i *iungendis eadem ratione, qua Graeci ει, vterentur; ea casibus numerisque discreta est, vt Lucilius praecipit: Iam pueri venere: E postremum facito atque I, vt puerei plures fiant; ac deinceps idem: Mendaci furique E addas, cum dare furei iusseris. Quod quidem, cum superuacaneum est, quia* i *tam longae quam breuis naturam habet; tum incommodum aliquando. Nam in iis, quae poximam ab vltima literam E habebunt, et longa terminabuntur, illam rationem*

56) Hermann. de emend. rat. p. 52.

sequentes, vtemur E gemina, qualia sunt haec: aurei, argentei, et similia. Idque iis praecipue, qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit, sicut in Graecis accidit adiectione ι literae. Hic locus ita comparatus est, vt inde clarum sit, Latinos literis *EI* vocalem *i* longam aeque atque Graeci hac quidem aetate significasse. Sed grauis est etiam hic locus, quoniam inde epitaphium elegans elegantis quondam matronae, quod etiam linguae ratio suadet, in hanc aetatem incidere videtur 57):

Hospes quod deico paullum est. Asta ac pellege.
Heic est sepulcrum haud pulchrum pulchrai feminai.
Nomen parentes nominarunt Claudiam.
Suom mareitom corde deilexit suo.
Gnatos duos creauit. Horunc alterum
In terra linquit, alium sub terra locat.
Sermone lepido. Tum autem incessu commodo.
Domum seruauit. Lanam fecit. Dixi. Abei.

Heic literis *ei* nusquam e Latinorum longum, quod maiores obseruarunt, sed *i* producendum expressum cernitur. Concludendum itaque est, inde ab hoc et superiore etiam saeculo cum Latinos tum Graecos *i* vocalem longam diphthongo, quam illi dixerunt, *ei* significasse. Id autem vix bardo persuadebunt, Latinos vocali *i* longa caruisse contra Qunctilianum, Terentianum atque poetas. Scilicet ita ratiocinandum:

---

57) Cf. Hauerc. Syll. I. 142. Hensel. Harmon. p. 315. Quinctil. Inst. Or. 1, 7; 14.

si *ei* vocalem *i* longam Latinorum non significauit, fuerit *i* anceps necesse est. Iam vero *i* cum ista in tabula, tum in aliis monumentis non nisi correptum est, qua de re concludendum, aut caruisse Latinos *i* longo, quod ferri nequit, aut *ei* eam quidem vocalem designasse. — Tabulae Heracleenses eadem verba alias *ει* alias *ι* scripta referunt [58], vnde sequitur, Graecos hac aetate illaque in terra, cum *ει* et *ε* non commutata sint inter se, vtroque et *ει* et *ι* sonum *i* significasse. — At vero quid statuendum de vsu Boeotiorum in inscriptione Orchomenica quadam, quam haec aetas confecisse videtur, conspicuo [59]? Ibi enim *ει* plerumque pro litera *η*, *ι* pro literis *ει*, *ει* pro *ε* et *αι* exarata sunt [60]. Scilicet constat, Boeotios vocales minores pro maioribus vel grandioribus in loquendo adhibuisse, quod hac etiam tabula, quae *ι* pro *ε* atque *η* pro *αι* habet, confirmatur. Hinc clarum est, cum pro *η*, *αι* et *ε* scriptum sit *ει*, *ει* in Boeotia pro *i* valuisse, qua de re non mirum est, *ει* cum *ι*, siue *i* longum cum breui commutatum esse a Boetoiis, verborum accentum et vocalium quantitatem variantibus. — Quamquam

---

58) Boeckh. Staatshaushalt. p. 392. E. g. *εικατι* = *ἰκατι* *εικατιδειον* = *ἰκατιδειον* rel.

59) Boeckh. l. c. p. 372. ss. 392. s.

60) Exempla sunt: *ειμεν* pro *ἠμεν* (col. *κη* pro *και*), *Ἀθηνειος* pro *Ἀθηναιος*, *αρχι* pro *ἀρχει* (exc. *χειλιης* pro *χιλιης*) *φωκειας* pro *φωκεας* (coll. *Δαμοτελιος* pro *Δαμοτελεος*); rel. p. 394.

Latini ab hac inde aetate literas EI, quippe superuacaneas atque, vt ait Quinctilianus, *aliquodo importunas* expulerunt ita, vt *i* producendum vno I significarent; retinuerunt tamen *ei* ante vocales in verbis et Graecis et Latinis permultis, ex quo sequi videtur, ei siue *ει* diphthongum significasse [61]. Sed cum *i* inter binas vocales correptum sponte consona *j* euadat atque Quinctilianus et Nigidius (Gell. XIX, 14.), vti vidimus, diserte, *i* illis in locis vocalem designare, negauerit; concludendum potius, iis in locis, quo Latini EI ante vocales retinuerunt, I non solum Latinis, sed etiam Graecis, de quo supra disputauimus, pro consona valuisse. Quod vero Lucilii lusum attinet:

Mendaci furique addes e, cum dare furei iusseris;

partim e Quinctiliano (I. 7; 15.), partim ex alio eiusdem poetae versu:

Iam pueri venere, e postremum facito atque i;

confirmatur potius, *ei* Latinorum passim adhuc ad *i* producendum adhibitum fuisse.

Saec. I. a. Ch.

Latini Graecorum *ει* mero i, quod producunt in carminibus, et contra Graeci Latinorum *i* longum literis *ει* reddunt, vnde sequitur *ī* et *ει* eiusdem soni et quantitatis fuisse. Iam

---

61) Cf. Hauerc. I., 142. II., 246. Thiersch. p. 25. Verbi c. eia, Ceius, Teius.

laborant disputatores in demonstrando, Latinorum *i* longum diphthongum *ei* valuisse [62]. Sonuisse quidem *i* Latinorum productum non nisi *i*, haec habemus argumenta. Primo quid falsius et absurdius, quam credere, Latinos sono *i* longo caruisse? Cum enim lingua Itala, Gallica, Germana, Anglica, Syriaca, Hebraica, Chaldaica, Arabica, Persica, Aethiopica, Coptica, Gothica, Armeniaca, Neograeca, et, quod nouimus, quaeuis oratio *i* productum habeat; non potuerunt non Latini etiam *i* suis in locis loquendo producere, quod poetae fecerunt. Deinde Graeci *i* longum non solum *ει*, sed etiam haud raro *ι* atque *i* breue non solum *ι* sed etiam frequenter *ει* scripserunt [63]. Hinc intelligitur, non solum Graecorum *ει* et *ι*, sed etiam Latinorum *i* breue et *i* longum eodem modo nimirum *i* pronunciata fuisse hac quidem aetate. Tertio Grammatici diserte testantur, *i* Latinorum longum non *ei*, sed vocalis *i* instar sonuisse. Prodeat Quinctilianus, qui tradit, *incommodum esse ei*,

---

62) Hauerc. I. 143. 54. 203. 244. II., 602. al. Mirtisb. 40. rel.

63) Obseruauit hoc Lipsius p. 38. (Wetsten. p. 38). *Λειγηρ* (Staab.) = Lĭger (coll. *λειρις* = Līris) *Νειγρος* = Niger *Πειος* = Pius (numm.) Nīlus = *Νιλος* (num.) Piso = *Πεισω* (Dion. Hal.) = *Πισω* (Strab.) *Λατινος*, *Λογγινος*, *Κορβινος*, *Ἰουστινος*, *Μαρινος*. sexcenta alia. Posset eiusmodi verborum numerus mirifice augeri, si non mala religio sexcentis in locis nunc *ι* pro *ει* et *ει* pro *ι* scripsisset contra codicum auctoritatem, vbi aut ĭ aut ī Latinorum postulare id videretur.

quia i *tam longae quam breuis naturam habet,* eoque docet, vtroque in loco *i* vocalem significare [64]. Idem testatur Terentianus.

E deinde Iota, Graeca quod diphthongus ει sonat,
Non erit semper necesse copulatas scribere,
Seu Latina seu iugetur Graeca longa syllaba;
Iota solum, quod videmus, produci vel I.

Ergo non est *ei* scribendum, sed *i*, quod et breue et longum est idemque sonat [65]. Alias tradit Terentianus, quae luculentissima sunt:

Ἴλιον nam sic iubemur scribere et producere,
Dico, siue fide longae sunt proiores syllabae.
Nec tamen nos E necesse est post I subnectere,
Nec potest diphthongus aliter e duabus literis
Ista componi, nisi ante, principali in corpore
E subesse, ratio monstret atque origo nominis.
Sic si quando scribimus: νικος; Iota solum sufficit,
Quia nulla praecedens origo subesse monstrat ε.
Porro diphthongum notamus, quando νειχειν scribimus [66].

Porro tradit Ouidius (Rem. am. L. II.), verba *Brīseis* et *Chrȳseis* prima tantum litera differre. Quis autem crediderit, *y* siue *ὒ ψιλον* diphthongum *ei* significasse? — *Si huius amici*, inquit Nigidius, *vel huius magni scribas, vnum I facito; si vero hi magnei, hi amicei casu multitudinis*

---

64) Quinctil. Inst. Or. 1, 7; 16.

65) Placent. p. 23. Wetsten. 177.

66) Wetsten. p. 184. 41.

recto, tum E et I scribendum erit [67]. Num distulit sono *i* datiui ab *i* nominatiui, aut *i* verbi *hi* ab *i* verbi *amici*? — Cicero, eandem vocem alias obscenam esse docens, *Quum loquimur*, inquit, *terni; nihil flagitii dicimus: at quum bini (βινει); obscenum est. Graecis quidem, inquies. Nihil est ergo in verbo, quando et ego Graece scio et tamen tibi dico bini idque tu facis, quasi ego Graece non Latine dixerim* [68]. Scilicet qui statuunt, *i* Latinorum productum valuisse *ei* atque sonuisse *bini* vti *beinei*, statuant etiam necesse habent, *ι* Graecorum sonuisse *ei*. Quod cum ferri nequeat, sequitur, *ι* aeque atque *i* prius illud in verbo *bini* sonuisse *i*. Quum vero hocce *i* productum sit, qua de re veteres scripserunt *beinei*; sequitur, posterius etiam *i* in *bini*, vel ipsum productum, vere *i* prouunciatum esse atque hinc omne *i* Latinorum producendum aeque atque Graecorum *ει* Ciceronis aetate *ῑ* valuisse. Sed audiamus aduersarios. Iam vidimus, ex eo, quod Latini veteres *i* longum *ei* scripserunt, paullo citius conclusum esse, Latinos *i*, quippe productum illud, pro *ει* scriptum instar diphthongi pronunciasse. At quid est, inquies, quod Crassus Sulpicium reprehendat, quod ex diphthongo

67) Wetsten. p. 37. Gell. L. XIII. c. 25.

68) Cicero. ad Popyrium Paetum Lib. IX. exp. famil. 22. Cf. Hauerc. I, 142. II, 641. 639. Wetsten. p. 38. Velasti. p. 109.

ει tollat *ι* atque *e* plenissimum relinquat, quod non antiquos oratores, sed messores videatur imitari 69)? — At videsne vrbanitatem Ciceronianam? Scilicet messorum et rusticorum est, pro *i* enunciare *e*, quod oritur, si ex *i* Latinorum producto siue *ei* tollatur *i*, hoc est, mutetur *ei* (*ī*) in *e*. Praeterea messores omnium minime diphthongos mutant in vocales. Grauioris momenti esse videtur, quo poetae Latini *i* suum, vbi Graecorum *ει* responderet, in *ei* mutarunt 70). Sic canit Ouidius:

Prima sui coepit Calliopeïa chori. —
Flebilis indignos Elegeïa solue capillos. —
Elegeïa flebile carmen.

Sed quo iure poetae alias eï syllabas in vnam coniunxerunt atque hoc loco *ἐ ψιλον*, quippe constanter corripiendum, produxerunt, eodem etiam Graecorum poetarum, in primis Homeri vsum sequi potuerunt, vrgente metro. Quae quum ita sint, vix negabitur Latinorum *ī* (*ei*) aeque atque Graecorum *ει*, cui respondet, hac aetate *i* productum significasse. — In numis Augusi nunc *TIMAI* nunc *TEIMAI* atque in imagine Isocratis *EIΣOKPATHΣ* scripta reperiuntur 71). — Tradit Nigidius: *Graecos non*

69) Hauerc. I, 146. 344. 444. II, 303. al. Vid. Cic. De Orat. III. col. loco modo laudato.

70) Hauerc. I., 144.

71) Cf. Koray Isocrates. *Προλεγ.* p. 48. 237.

tantae inscitiae arcesso, qui ου ex ο et υ scripserunt, quantae qui ει ex ε et ι. Illud enim inopia fecerunt; hoc nulla re subacti [72]. Quodsi vero superuacaneae fuerunt et hac et superiore aetate Graecorum literae ει ad vocalem designandam, rogamus, qua litera eundem sonum significare potuerint.

Saec. I. p. Ch.

Plurimos haec aetas vel superior posteriorue progenuit numos, in quibus ι et ει promiscue excusa cernuntur, quod quidem non mirandum, cum in oratione pedestri vocalium quantitas, quam poetae fecerant, seruari non potuerit [73]. — Venimus denuo ad argumentum illud, quo omnem de literarum ει pronunciatione disputationem absoluere studuerunt. Numerari scilicet dicunt ει inter diphthongos [74]. Ita habet Terentianus:

Et sonos vtrosque iungit, vnde diphthongos eas
Graeciae dicunt magistri, quod duae iunctae simul
Syllabam sonant in vnam quodque gemina praeditae

---

72) Gell. L. XIX. c. 14. Hauerc. I., 428. II., 639. Wetst. 88. 183. Syluae Crat. p. 5.

73) Cf. Wetsten. p. 172. Occon. thes. p. 155. 81. 397. 332. 95. 167. al. pl. Exempla sunto *Σεπτιμιος* al. *Σεπτειμιος Ἀγριππει(ι)να, Σαβει(ι)νος Κρισπι(ει)να, Φαυστι(ει)να, Ἀντονι(ει)νος Μαξιμι(ει)νος Καρι(ει)νος, τειμητης* pro *τιμητης, Ἀμφιπολειτων, Τριπολειτων, Θειμοθεου, νεικη, Σεβαστου, Νεικοπολειτων, Νεικομηδεων*, sexcenta alia.

74) Hauerc. I., 112. 121. II., 292. al. Mirtisb. 18.

Semper effectum duorum temporum custodiunt. —
(E deinde Iota, Graeca quod diphthongus EI sonat, etc.)

Sed Terentianum atque magistros Graecos aliam diphthongorum notionem habuisse, docent versus:

Sic erit nobis et ista rarior diphthongus EI.
Eitur in syluam necesse est E et I connectere,
Principali namque verbo nascitur, quod est eo. —
Graeca diphthongus sed *ου* literis nostris vacat,
Sola vocalis quod *u* complet hunc satis sonum. —

Quinctilianum *ει*, quam dicit, diphthongum *i* pronunciasse, vidimus supra. — Addamus locum Terentiani insignem hunc 75):

Literam namque E videmus esse ad ἦτα proximam,
Sicut ο et ω videntur esse vicinae sibi.
Temporum momenta distant, non soni natiuitas.
Inde vertunt hanc (e) *in ἦτα, saepe in diphthongum* (*ει*) *Graii,*
Quando, quas ἱππεις solebant aut ἀχαρνεις dicere,
Laeuigant, ἱππηςque potius aut ἀχαρνης nominant.
Nosque Medeam Latine sic in vsum vertimus,
Nomen et regina gessit quod furens Amazonum.
Sic et Ἀινειαν Achaeus noster Aeneam vocat.

Scilict hoc ex loco cognoscitur, veteres Graecos *ει* pronunciasse *ē* eoque ex vsu Latinam pronunciationem verbi Medeae aliorumque repetendam esse, hinc vero, Terentiani aetate Graecos *ει* pronunciasse i, quod Latini vocali *e* seruauerint. Quid? quod tradit Apollonius

---

75) Hauerc. I., 113. Welsten. p. 177.

pater Herodiani: *Sunt qui dubitant, scribendumne sit ἑρμει, an ἑρμη,* quo probabile redditur, tunc temporis etiam fuisse, qui ει vti η pronunciarent [76].

Saec. II.

Plutarchus Latinorum *i* longum, paucissimis verbis exceptis, ει reddidit, nec nisi *ei* ante vocales literis ηι scripsit [77]. Quodsi ergo *i* diphthongum *ei* valuisset; non dubium est, quin in verbis, *i* productum ante vocales habentibus, ηι adhibuisset. Vocatur vero etiam ε a Plutarcho ει [78], ex quo id tantum sequitur, quod supra demonstratum est, literas ει initio sonuisse *ē* atque genuinum ἐ ψιλον nomen effecisse. — Huc spectare dicunt inscriptiones Herodis Attici, in quibus ι et ει confusa cernuntur [79]. — Hermogenes in dicendi formis, vbi περι σεμνοτητος loquitur, *diphthongos* (αι, οι, ει) *et vocales*, dicit, *longas* (α, ω, η) *hanc formam* (vocum venustarum) *illustrare, si in finem dictionum cadant, praeter ει diphthongum. Si enim secundum hanc* (ε) ι *ponatur* (ει); *minime venustam facit orationem, quae ea abundat,*

---

76) Velasti. p. 62.

77) Cf. Hauercamp. I., 145. E. g. Pompeius = Πομπηιος. Velasti p. 108.

78) Hauerc. II., 303.

79) Wetsten. p. 105. 171. E. g. Πειονα pro Πιονα. τειμησαται pro τιμησαται

sed contrahit magis et ad rictum diducit os et minime fauces complet. Igitur ει sola ex diphthongis granditatem orationi non affert; οι autem granditatem affert [80]. — De eo, quod Athenaeus testatus est, veteres literis ει vsos esse pro ε, vidimus supra. — Sextus denique Empiricus literas *ει, αι, ου* inter elementa *diserte* numerat, quoniam a sono incipiant eo, quo desinant pronunciando [81]. Hinc, cum aliis ex argumentis constet, *ει* sonuisse *i* longum, atque de *ει* in genere hoc loco dicatur, concludendum est, tribus certe saeculis ante atque totidem post, *ει* eum sonum habuisse, qui Sexti aetate veniret vsu.

Saec. III.

Clemens Alexandrinus atque Herodianus passim *ει* pro *ι* et contra scripserunt [82]. Huc spectare tradunt inscriptionem quandam, *ι* pro *ει* habentem [83]. — Non silentio praetereundum, *ει* tamquam vocalem longam tractari in ponendis accentuum signis. Cum enim ii, qui accentus primum adhibuerunt, siue hoc siue superioribus saeculis, *αι* et *οι* vocales breues passim pronunciauerint, contra *ει* pro sono producto

---

80) Hauerc. I., 145. II. 303. Wetsten. p. 82.

81) Placent. p. 12. Neidling. p. 19. 37.

82) Wetsten. p. 160. Syluae Crat. p. 12.

83) Placent. p. 33.

habuerint; vtique sequitur, Graecos literis *ει* sonum productum, vocali *ι* vero plerumque correptum in vita communi significasse.

Saec. IV.

Numus Constantini M. *βασιλις* habet pro *βασιλεις* [84]. — Codex Vaticanus vocales *ει* et *ι* inuicem commutatas habet [85]. — Macrobius verbum *Idus*, quod Graeci scribunt *εἰδοι*, *ab iduare* Hetrusco deriuat [86]. — Hesychius verbis abs *πι* et *κλι* incipientibus immiscet verba abs *πει*, *κλει* inchoantia, quod vero aliorum vitio factum videtur. Idem *ι* et *ει* in scribendo commutauit saepissime atque verba inde perperam explicat confusa [87]. — Basilius M. *πασα λεξις*, inquit, *ἐν ἰστος δια του ἰωτα γραφεται, οἰον χριστος· πλην του χρηστος, σειστος, ἀπειστος*, qui locus nimium probare videtur. Idem, omnia adiectiua in *ιος* desinentia cum *ἰωτα* scribere, exceptis *ῥοδειος, ἀρειος*, aliis, praecipit, nec non distinguit alias *ει* curiose ab *ι* [88].

Saec. V.

Victorinus tradit: *E et O ternas habuerunt apud Graecos potestates, vt ε esset breue et*

84) Wetsten. 200.

85) Velast. p. 108. *Λευει* = *Λευι*.

86) Hauerc. II. 640.

87) Wetsten. 163. 170 ss. 181. E. g. *κιατο* pro *κειατο*, *εἰρις* pro *ἰρις*. *εἰσης* al. *ἰσης*. *Το λειαν ἐλαβον, ἰσχυρως ἐλαβον ἡ πραιδαν.*

88) Velast. p. 107. Westen. p. 182. 160.

productum, et i longum quodammodo sonaret, cum et ε et ι iunctum esset. Alias: *quum vero eadem* i *literae* e *iuncta esset, non solum pro longa syllaba accipiebatur, sed nominatiuum pluralem ita scriptum significabat, vt amicei, bonei, doctei, Romanei et similia. At si per solum i scripta esset, eadem genitiuum singularem faciebat, vt huius amici*[89]. — Priscianus: *I apud Latinos post E ponebatur et EI diphthongum faciebat, quam pro omni I longo scribebant, more antiquo Graecorum.*[90]. En! locos inprimis claros et graues, quibus parum abest, quin disputatio de sono ει absolui potuisset.

Saec. VI.

In codice Alexandrino ει et ι confunduntur, adeo vt eadem verba alias ει alias ι habeant[91].

Saec. VII.

Theophylactus: *nonnulli per* καμηλον *non animal, sed crassum funem, quo nautae ad ancoram proiiciendam vtuntur*[92] Vides καμηλον et καμιλον confusa, cum η iam *i* sonare coeperit. Hinc non mirum erit, ab hac inde aetate η etiam et ει inter se commutari.

---

89) Hauerc. I., 143.

90) Wetsten. p. 36. Priscian. L. I. Gramm.

91) Wetsten. p. 124. Velasti. p. 108. E. g. Δευει = Λευι.

92) Wetsten. p. 160.

Saec. VIII.

Codex Basileensis ει non solum ι, sed etiam η (ῑ) et υ (i) commutata exhibet 93). — Etymologici M. auctor verbis, quae in ηρ desinentia dicit, verba χειρ, φθειρ, ἰρ, φθιρ, alia immiscet 94). — Symbola Graeca alterum literis Anglosaxonicis, alterum Gothicis conscriptum, si recte huic aetati tribuuntur, literas ει, ι, η, υ, si a verbis nonnullis discesseris, vna et eadem litera redditas continet 95).

Saec. XI.

Suidas verba η, ει, ι habentia accurate discernere praecipit atque vocali ει non solum *i* Latinorum longum, sed breue etiam saepissime scribit 96).

Saec. XII.

Ad Eustathium venimus omnium refugium, qui assonare dicit vocales ει, η, ι sibi inuicem, quod haud paucis exemplis demonstrat 97). Praeterea Eustathium tradere, veteres ει vocasse ε, vidimus supra.

---

93) Wetsten. p. 171. 128. Placentin. p. 77. Velasti p. 108. V. c. *Βιθλεεμ* pro *Βηθλεεμ*, *κηρυσιν* pro *κυρησειν*.

94) Wetsten. p. 163.

95) Wetsten. 117. Placent. 77.

96) Wetsten. 163. 175. 181. V. c. *νηφων*, *νιφομενος*, *νειφω*. *παλλαδειον* = palladium.

97) Wetsten. 155. Velasti. 51. s. Hauerc. I, 416 — 25. II, 624. E. g. *εἶτοι* et *ητοι*.

Saec. XIV.

Quaerit Constantinus Cabasilas, Dyrrhachii episcopus, *sitne vox αἰτιμινσια per η, an per ἰωτα scribenda*, cui respondet Iohannes, Citri episcopus, *per ἰωτα esse scribendum, quia sit vox gentis peregrinae* 98). Hinc explicanda mutatio η in ει et contra.

Praeter ea, quae apposuimus et disposuimus, argumenta alia etiam ad pronunciationem literarum ει constituendam apta quaedam protulerunt viri docti e codicum atque inscriptionum erroribus petita. Sed cum neque de codicum, quos laudarunt, neque de numorum et marmorum illorum origine satis constet; parum iuuauerit, praesertim cum tempora seriora longe attineant, ad eorum auctoritatem prouocare. Quamuis vero ex his, quae disputauimus, clarum sit, ει ab Homero inde vsque ad saeculum V. *e* productum significasse, hinc vero *i* productum, quod vsu interpretum S. S. antea inuentum est; adsunt tamen caussae, quae hanc quidem sententiam plane incertam et fragilem reddere videantur. Quis est enim, qui credat, Graecos, si ει significauerit id, quod η postea, vnam tantummodo vocalem productam distinxisse in scribendo? Deinde constat, inquies, veteres secundum Grammaticorum sententiam et inscriptionum testimonia vocales productas initio

98) Wetsten. p. 161.

literis geminis velut *aa* pro *ā* scripsisse; quod e diametro ei oppositum est, quod defendimus. His autem obiectionibus ita occurrendum est. Per se quidem non ineptum est, credere, Graecos litera ι vocali ε addita huius vocalis sonum accuratius describere voluisse. Cum enim inter *a* et *i* duae facillime distingui possint vocales, Graeci fortasse literis ει sonum, qui nobis est *e*, ab ε diuiserunt. Sed mittamus haec. Quaeritur potius, cum Homerus ει longum *e*, ε vero breue fecerit, cur vnam tantummodo vocalem *e* accuratius definiuerit. Ne hoc quidem offendit. Cum enim vocales producendae geminis literis scribendae essent, atque, vt hoc vtamur, δεεελος non solum *dēĕlos*, sed etiam *dĕēlos* vel *dĕĕĕlos* a lectoribus parum exercitatis pronunciari posset; non impedit, quominus credamus, ει pro εε veluti compendium scribendi, ne errari posset, a Graecis, vbi frequentia quaedam esset vocalium *e*, adhibitum fuisse. Praeterea quid facilius, literae ε addere lineolam loco ε subnectendi? Neque vrgere volumus *H* ortum esse ex *E* et *I* iisque literis constare copulatis. Itaque per se quidem non est incredibile, Graecos initio ε longum ab ε breui solum, neglectis reliquis, distinxisse atque praeter consuetudinem non εε sed ει scripsisse. Praeterea ne hoc quidem dixerim, Homerum ει primum aut solum, quamuis nihil grauius obiici possit, pro εε scripsisse; posterior aetas enim emendatrix atque librariorum malesedula manus suo iure

aut vtile protulisse solito, aut commodo potuit incommodo. At vero num Graeci lineolam I ad solum *ε* producendum adhibuerunt? Statim sese offert *ἰωτα* subscriptum. Omnes enim vocales, quibus postea *ι* veluti scabellum submissum est, non solum a poetis et accentuum auctoribus productae fuerunt, sed etiam, vocalibus longis (*ω η*) postea significatae. Illud autem *ι* subscriptum non sonuisse, plurimis et grauissimis argumentis, de quo infra accuratius videbimus, demonstrari posse arbitramur. Nullum enim verbum *ἰωτα* illo praeditum neque ad Coptos, neque ad Syros, Armenios, Arabes aliosque saeculo a. Ch. IV. sonum *i* vel similem quendam secum habuit, atque Latini etiam Graecos secuti inde a saeculo VIII. non vsi sunt illo I, nisi ad vocales quasdam longas significandas. Vides itaque, *ι* non solum literae *ε*, sed etiam vocalibus *α*, *η*, *ω* saeculo IV., VIII. atque haud dubie XII. a. Ch. additum fuisse eo consilio, vt eas producendas esse indicaretur. At vero num *ι* literis *α*, *ε*, *ο* in forma datiui aliisque nonnullis tantummodo additum fuit ad producendum? Videamus denuo Homerum nostrum. Iam vides Homerum *α* mutasse in *αι* et contra, *ο* in *οι* et contra, aeque atque *ε* in *ει* et contra, vbicunque metri ratione *α*, *ο*, *ε* productum requireretur loco correpti, aut contra 99). Huc spectat

99) Euius generis sunt *παρα* = *παραι* (Il. β. 711) *παροιφασις* (Il. λ. 792. ο. 404.) = *παραφασις*. *Ἰθα-*

etiam, quod passim *ιι* pro *ῑ* scilicet productum exstat. Caue ne dicas, haec quidem dialectis esse danda; nulla enim dialectus adeo peruersa cogitari potest, quae pro lubitu *α* mutet in *αϊ* vel *ᾰ*, *ο* in *οϊ* vel *ŏ*, *e* in *eϊ* vel *i*. Faciamus autem, quod nemini concedi potest, Homerum eadem verba alias *ο*, *ε*, *α*, alias *οι*, *ει*, *αι* pronunciasse; quis est, qui credat, eo, quod *ο* in *ŏ*, *e* in *i*, *a* in *ᾰ* mutentur, oriri vocales longas pro breuibus? Haec quidem res non leuis momenti esse videtur, imo tanti, vt ob eam caussam carmina Homeri non solum singulari modo recitari, sed etiam recenseri debeant. Cum vero Homeri exemplum secuta sit omnis Graecia, hoc etiam clarum est, inde artem criticam nouis legibus atque hactenus incognitis circumscribi. Non nostrum est officium, in hanc rem accuratius inquirere, sufficiat monuisse. Hoc tantum addere liceat iis fortasse exoptatum, qui eiusmodi in se suscipere volunt negotium, accurate cognosci posse, quo loco Homeriana *αι*, *ει*, *οι* meras vocales *ᾱ* *ε̄* siue *η*, *ō* siue *ω* nimirum productas significauerint. Scilicet quo loco scriptores Graecorum in sua quisque dialecto, vtentes oratione prosaica, prosaica inquam, *o* vel *ω*

γενης = *Ἰθαιγενεες* (Od. ξ, 203.) *ἀει* = *ἀιει* = *αἶεν*, *ναιω* = *ναω*, *κεραω* = *κεραιω* (coll. *Διωνυσος* = *Διονυσος* *ἀργετι* = *ἀργητι*. Il. λ. 818.) *ἀγκοινησιν* (Il. ξ. 213.) *φοινιος*, *πυλοιγενεες*, *ἀλοαω* = *ἀλοιαω*, *φλοιος* = *φλοος*, alia sexcenta. Plura vid. Thiersch. p. 214, ss.

pro οι Homerico, α pro αι, ε vel η pro ει habent, ibi ἰωτα ab Homero non nisi signum productionis veluti Metheg additum est. Non enim ita mutata est pronunciatio et oratio Graeca, vt, quas antiquitas enunciauit ä, i, ö vocales, aetas posterior in a, e, o conuerteret. Reliqua, quae addi possint supprimamus. Praeterea tenendum, illud ι haud dubie sexcentis in verbis, maxime cum literae η et ω iuuentae essent, periisse atque, cautione adhibita, restitui posse. Constat enim, criticos et librarios veterum miro modo carmina Homeri commutasse. Quae quum ita sint, nescio annon aliquis mirari possit, Graecos ει scripsisse pro vocali e longa. Praetera ne hoc quidem difficile est, credere, aut Homerum, aut aetatem illam, aut Iones solos ει pro εε primum, quod postea aliisque in regionibus vsitatum fuit, scripsisse; librarios saltem subinde alterum ε in εε litera ι faciliori commutasse parum probabile est. Si quis vero assenserit nobis in eo, quod diximus, Graecos initio ι ad vocales producendas addidisse, recte quaesiuerit, cur eam scribendi consuetudinem deseruerint Graeci. Scilicet cum ει, αι, οι non solum diphthongos, quas nos dicimus, sed etiam vocales quasdam nouas (ä ö) significare inceperint; ineptum sane et incommodum erat, ει, αι, οι pro vocalibus α, ε, ο producendis etiam, maxime cum η et ω inuentae essent, scribere, qua de re admodum probabile est, postea demum αα, εε, οο pro αι, ει, οι adhibita fuisse, aut nunquam.

Quod vero illud *ἰωτα* ad vocales producendas in formis datiuis aliisque nonnullis retinuerunt, hoc fecisse videntur Graeci aeque atque Latini ad distinguendos casus. Poterat enim, vt hoc vtamur, verbum *αὐτο* non solum pro nominatiuo, sed etiam genitiuo (*αὐτου*) atque datiuo (*αὐτῳ*) sumi. Hinc Latinorum *dominoi* (dat.) et *domino* (abl.). Attamen cum Graeci inde a saeculo V. vel IV. saltem vniuerse literis *ει* sonum *i* producendum innuisse videantur; denuo scrupulus iniicitur. Offendit enim, *ι* passim produci, quo loco *ει* scribendum fuisset. Hoc loco obseruandum, poetarum in vsum literas *ει* haud dubie non admissas fuisse. Praeterea accurate vocalium quantitas ab accentu distinguenda est. Audi, quando dicimus *πράττειν*, quod aut *práttĭn* aut *práttīn* pronunciamus, manente verbi accentu. Quod si ergo corripimus *ει* in *πραττειν* sic *prattĭn*, sponte geminum *ν* vel durum pro simplici et leni auditur. Porro cum *αι*, *ει*, *οι* non solum *e*, *i*, *o*, sed etiam *ăĭ*, *ĕĭ*, *ŏĭ*, neque hoc solum, sed etiam *āĭ* et *ăī*, *ēĭ* et *ĕī*, *ōĭ* et *ŏī*, nec non *aj*, *ej*, *oj*, quippe ante vocales significare possent; hoc etiam Graecis curandum fuit, vt isti soni accuratius significari possent. Hinc post saeculum quintum scripserunt *αει*, *εει*, *οει*, quo loco illud *ι* produceretur; contra *ηι*, *ωι*, quo loco illud *ι* corriperetur, aut consonam significaret. Iam ex his clarum est, *ει* duplici de caussa atque duplici non nisi in loco pro *ι* a Graecis scribi debuisse. Hinc non

est, quod miremur, aliis in locis, veteri orthographia perstante, ι remansisse anceps neque ει substitutum esse vbique in locum ι a poetis producti. Attamen hoc etiam obseruandum, eiusmodi verba admodum rara esse et pauca numero, deinde vero, eo in vsu poetas Graecos inter se ne consentire quidem. Praeterea poetas linguae rationem parum seruasse, demonstratum est. Vrgendum potius, ει ab accentuum auctoribus pro *i* longo habitum et seruatum fuisse. Itaque cum literis EI productum *i* significauerint atque Graeci ει, paucissimis verbis et verborum formis, de quibus ex parte, cum alias producantur alias corripiantur, ne certum quidem constat, exceptis, pro ι producendo inde a saeculo V. a. Ch. scripserint; vix dubium est, quin ει ab hac inde aetate non diphthongi *ei* ratione, sed vocalis ī, quod ab interpretibus S. S. didicimus pronunciatum sit. Qui itaque ει in libris post saeculum IV. conscriptis recte pronunciare cupiunt, id curabunt, vt constanter ī, vti in *ihr*, *lieb*, neque vero ĭ, in *dich*, *Licht* proferatur.

§ 7. *OI.*

Qui in versiones S. S. veteres inciderit nominumque Graecorum scripturam obseruauerit, vix eum aliter iudicare posse existimamus, quam οι a Graecis ö pronunciatum esse, hinc vero sonum *ü* et *i* ita in se suscepisse vt, inde a saeculo I. a. Ch. nonnullis in verbis *ü* valeret, saeculo VI. autem non nisi *ü* et *i* atque saeculo IX.

non nisi *i* pronunciaretur. Videamus nunc, vtrum ea sententia scriptis Graecis et Latinis confirmetur, atque quo modo *οι* ante eam aetatem pronunciatum sit.

Homeri aetate

cum neque *αι* neque *ει* diphthongorum modo pronunciata sint, sponte intelligitur, ne *οι* quidem *oï* sonare potuisse. Quemadmodum enim *ι* in *αι* ad sonum *α* in *ä* mutandum additum fuit, ita etiam non dubium est, quin *ι* in *οι* idem officium habuerit. Deinde quemadmodum Latini *αι* postea ae, ita etiam *οι* non *oi* sed *oe* scripserunt, quo illud denuo confirmatur, *ι* literarum *οι* et *αι* vnum idemque sibi voluisse. Hanc enim habes rationem: ae : oe = *αι* : *οι*. Accedit, quod Graeci, cum *ä*, *ü* habuerint, sono *ö* carere nullo pacto potuerunt. Etenim cum haec aetas vocales *ä* (*αι*) et *ü* (*υι* siue VI, hinc *v*) distinxerit, necesse est, *ö* etiam adfuisse, quod non nisi literis *οι* innui recte poterat. Ceterum non negatur, *οι* quamuis vocalem significauerit, longe frequentius initio diphthongi *oï* siue *oï* potestatem habuisse, quod plurimis adeo confirmari potest argumentis. Vocalis enim *ö* e diphthongo *oï* cum oriri solet apud alios, apud Graecos etiam profici sane potuit. Deinde plura apud Graecos verba exstant, in quibus *οι* ex *o* et *ι*, seorsim pronunciandis, atque ex *οει* et *ουι* (*owi*) ortum cernitur [100]). Denique gentes Grae-

100) E. g. *ϑοιματιον* = *το ἱματιον* (*εἱματιον*) = *τοΐματιον* *ovis* = *ὀυις* (*owis*) = *οΐς*.

corum incultae postea etiam *οϊ* habuerunt, quo loco Attici et Iones *οι* pronunciarunt [1], ex quo sequitur Atticos etiam antea diphthongum *οϊ* pro *οι* habuisse iisdem aliisque fortasse in verbis. Attamen ex his id tantum probatur, diphthongum *οϊ* olim frequentius apud Graecos pronunciatam fuisse, atque grauissimis argumentis efficitur, *οι* Homeri iamiam aetate atque sequentibus vocalem designasse. Videamus, quid in vtramque partem disputari possit. Ac primo eo, quod Homerus atque reliqui *οι* pro syllabis duabus breuibus adhibuerunt [2], parum vti vidimus, efficitur. De vsu *οϊ* gentium quarundam Graecarum pro *οι* modo dictum est [3]. Contra monendum est, poetas Graecos *οι* ante vocales corripuisse, quod diphthongis vix ac ne vix quidem accidere potest, abiecisse aut contraxisse instar vocalium cum aliis [4]. Praeterea Homerus etiam *οι* cum vocalibus simplicibus iisque a dipthongo *οϊ* alienis, vocali autem *ὄ* propinquis

---

1) *Λητοϊ* pro *λητοι*, *οϊ* pro *οι* (Arist.) *κοϊλον* pro *κοιλον*, *ὀϊστρον* pro *οἰστρον* *ὀϊδα* pro *οἰδα*.

2) Hauerc. I, 149. ss. al.

3) Hauerc. ll. cc. Matthiae p. 16. Buttm. p. 24.

4) E. c. *ἀρετην οἱος ἐσσι*, quo in verbo nullo pacto assentiri potest iis, qui statuunt, antea *οἱος* sonuisse *ϝιος*. (Il. *ν.* 275. al.), *ποιειν* (Arist.), *πολλοι ἐν αὐτῳ·* in quibus *ι*, si productionis caussa additum dicas, neglectum fuisset. *Οἰμ᾽ ὡς* (*οἰμοι*) *ὠ ᾽ζυρε*, *ᾠ νοχοος* pro *ο οι*, *ἐγῳδα* pro *ω οι*, *μουδοκει* pro *οι ε*, *οὐμου* pro *οι ε* rel. (col. *κἀλλοι* pro *και ἀλλοι*) *κῳνον* pro *αι οι* *χῳ* pro *αι οι*, *ὡ ᾽πολοι* = *οἱ αἰπολοι*.

commutauit [5]. De dialectis obseruandum, *οι* constanter fere non cum diphthongis, sed vocalibus iisque sono *ö* affinibus commutari [6]. Cum vero veteres habeant atque dialecti parum cultae *ω* et *ου* pro *οι*, recentiores autem *υ* et *ει* pro *οι*; cogitur, *οι* hac aetate vocalem ö significasse.

Saec. VIII.

Latini ab hac inde aetate literas OI nacti sunt, quas in verbis Graecis pro *οι*, ex quo non statim concludendum, *οι* sonuisse *oï*, vbique initio adhibuerunt [7]. Illud vero Latinorum *oi* vocalem ö hac aetate valuisse, ex eo clarum est, quod postea vbicunque locorum *oe*, quod ö sonuisse videbimus, scriptum est. Sufficit tamen ad hanc sententiam probandam vnum illud, quod *oi* pro sonis ex *u* subinde ortis scriptum est [8]. Etiamsi vero nihil inde probetur, inde tamen colligitur, *oi* Latinorum *ö* sonuisse, quod

---

5) Vti *ἐμοιο* = *ἐμου* coll. *Μουσα* = *Μοισα* rel.

6) Exempla afferamus, *χροισος* pro *χρυσος* (Hesiod.) *Μεδοισα*, *Κρεοισα*, *Ἀρεθοισα* (Pind. Theocr.) *ὀνοιρος* = *ὀνειρος*. *οἰκος* = *εἰκος* *ξυνος* = *ξοινος* alia plurima. *Μωσα* = *Μοισα*.

7) Hauerc. I., p. 149. s.

8) Sic *munia* et *moinia*, Poenus, Poenulus et Punicus, *vsus* et *oisus* in lapidibus inscriptis reperiuntur, cum quibus conferenda sunt verba *foetus*, *foecundus*, *faecundus*, *fecundus*, alia atque *fuo*, *φυω*. Huc spectat verbum *pomoerium* (post muros s. moiros), quod exstat in marmoribus Claudii: POMOERIVM TERMINAVIT rel. vid. Hauerc. Syll. I. p. 273. Dissert. de litt. Gr

in nominatiuis pluralis formae postea *oe* scriptum fuit. Scilicet priusquam verba in nominauis declinationis secundae desinerent in *i*, veluti *Pilumni*, *populi*, *fascini*, ante scripta sunt *Pilumnoe*, *populoe*, *fascinoe*, quae leguntur in carmine Saliari. Quodsi ergo illud *oe* diphthongus fuisset, non potuisset nisi aut *o* aut *e* inde oriri atque alterutro sono terminari nominatiuus pluralis. Cum vero ex illo *oe* prodierit *i*, sequitur, *oe* aeque atque *οι*, quod antea in vsu fuit, *ö* sonuisse, quod facillime *i* euadere potuit. Idem accidit Graecorum *οι* postea *ü*, hinc *i* prolato. Praeterea Latinos etiam *οι* initio frequentius fortasse *oï* pronunciasse, admodum probabile est.

Saec. V.

Ad hanc aetatem pertinet oraculum illud a Thucydide commemoratum:

Ἥξει Δοριακος πολεμος και λοιμος ἁμ' αὐτῳ·

quod sexcenties in hac disputatione repetitum atque varie explicatum est 9). Scilicet Graecos *λοιμος* et *λιμος* inter se comparasse, nemo inficias ire potest, vnde tamen minime sequitur, *οι* vti *i* pronunciatum esse. Quidni, inquies? Scilicet cum aliter euenisset, quam Apollo praescius vaticinatus erat; id curandum erat Grae-

---

9) Cf. Hauerc. I., 151. s. 398. II., 201. 304. 615. 644. al. Wetsten. Velasti. Placentin, Koray, Mintisb. Syluae Cr. rel. non praetereundi.

cis, ne oraculorum maiestas caderet. Explicuerunt itaque verbum *λοιμος* ita, vt aliud sono simile substituerent. Iam vero cum *οι*, quod nemini adhuc in mentem venit, non solum post ea tempora, sed etiam antea *ü* vel *υ* pronunciatum sit, vtique licuit plebeculae Graecae, quae *λοιμος* passim *λυμος* proferret, *λοιμος* et *λιμος* inter se comparare. Praeterea vtrumque verbum sono satis apud cultos diuerso fuisse, Homeri illud *λοιμος και λιμος*, saepissime ab aliis etiam repetitum, docet; alioquin alterum ab altero pronunciando discerni non potuisset. — Huc spectant fortasse inscriptiones, in quibus *υ* pro *οι* reperitur, de quo statim videbimus [10]. Memorandum autem, in antiquissima inscriptione *ΠΣΟΙΚΗΕ* pro *ψυχη* reperiri, vnde cognoscitur Graecos veteres verbum *ψυχης* initio *psöche* pronunciasse.

Saec. IV.

Inscriptiones Boeoticae plures *οι*, licet reretineant alias, saepissime *υ* scripta exhibent [11]. Videamus quid inde colligi possit. Scilicet Boeoti mutarunt *αι* in *η*, *η* et *ε* in *ει*, *ε* in *ι* ex quibus clarum est, vocales — respiciamus enim tabulam supra p. 25. expositam — eadem in

---

10) Neidling. l. c. p. 35. Syluae Cr. p. 65. Salmas. Not. ad duas Inscript. Her. 30.

11) Cf. Boeckh. Staatshaush. II. p. 355 ss. 397 ss. Exempla sunto *Εὐβωλυ, αὐτυ, καταλυπον, ἱππυς, προβατυς, τυ, τυδε, Fυ* = *Fοι* al. pl.

classe constitutas apud Boetios singulas vno gradu propius ad *i* accessisse. Si quis ergo sonum literae *η* in verbis quibusdam, vt his vtamur, Atticis cognoscere cupiat, adeat Boeotios, vbi iisdem in verbis aliam quandam literam habent scriptam. Inueniet literas *ι* et *ει* pro *η* obtinentes, ex quibus cognoscitur, *e*, quod est in secundo gradu, sonum fuisse vocalis *η* tunc temporis germanum. Eodem modo potestas literarum *α*, *αι*, *ει*, si incognita esset inueniri posset. Iam vero Boeotii *οι* pronunciarunt passim *υ*; qua de re *οι* apud reliquos Graecos eum sonum tenuisse necesse est, qui ab *ü* proximus, hoc est secundo in gradu atque eadem in vocalium classe constitutus cernitur. Illo autem loco cum reperiatur *ö*; cogitur Graecos tunc temporis literis *οι* vocalem *ö* scribendo significasse. Scilicet haec est ratio, si eam rem legibus arithmeticis subiicere velis:

$$\frac{e : i = ö : ü}{η : ι\ (ει) = οι : υ}$$

Ex his quidem omnium clarissimum est, *οι* aut nusquam aut paucis in verbis *οϊ* diphthongum valuisse. Quodsi enim in *οι* et *ο* et *ι* auditum fuisset; *οι* nullo pacto *ü* euadere potuisset, imo potius aut in *ο* aut in *ι* subinde, alterutra litera neglecta, mutari debuisset. — Aristophanes literis *κοι* suum grunnitum imitatus est [12], quod,

---

12) Aristoph. Acharn. v. Neidling. p. 33. Syluae Gr. p. 66.

cum scribitur *οϊ*, recte fecisse putandus est. Idem Atticorum *οι*, vt carpat Iones, mutat in *οϊ* atque addit *Ἀλλα τουτο γ' ἐστ' Ἰωνικον το ῥημα γε.* qui locus solus sufficit ad hanc disputationem absoluendam [13]. Scilicet *οι* Atticorum, si diphthongus fuisset, non potuisset sane ab *οϊ* discerni Ionico, quoniam vtrumque habet et *ο* et *ι* breue. Cum itaque Iones *οι* aliter atque Attici pronunciarunt; cogitur, aut *ο* aut *ι* productius sonuisse apud Iones. Quod si accidisset, Aristophanes aut *ωι*, vt in illis *Στωικοι, πρωι,* aut *οει*, vt in *λοει*, scripsisset neque vero *οϊ*, quo suum diphthongum egregie expressit, vtraque litera corripienda. — Huc spectat, quod Pindarus vocalem *ου* vocali *οι*, vti in *Μοισα*, reddidit.

Saec. III.

Hac etiam aetate in lapidibus inscriptis *υ* hic illic pro *οι* reperitur [14], ex quo id denuo sequitur, quod supra vidimus. Eandem vero ob caussam, quod addere liceat, non mirandum, *οι* pluralis notam mature apud Latinos in *i* abiisse. Facillime enim subinde *ϊι* potuit *i* euadere. — Demetrius Phaleraeus docet: *ἐν τῳ οἰῃν οὐ μονον διαφεροντα τα γραμματα ἐστι, ἀλλα και οἱ ἠχοι.* Quamuis *e* et *ö* sono sint affines,

---

13) Aristoph. Pac. 928 — 932. vbi Scholiasta addit: *οἱ γαρ Ἰωνες πολλα διηρημενως φασιν· Το οι ὀδυρομενων ἐστι ἐπιφθεγμα.*

14) Cf. Boeckh. Staatsh. p. 392. ss.

differunt tamen et literis et sono paullum, salua parechesi [15].

Saec. II.

Inde ab hoc, vel superiore etiam saeculo Latinorum *oi*, quod responderet Graecorum *οι*, *oe* scriptum est. Cum enim illud *oi* non solum *ö*, sed etiam *oï* atque ante vocales *oj* pronunciari posset, curarunt Latini, vt eiusmodi soni facile distingui possent. Hinc *oi* iis tantum in locis retinuerunt, in quibus *i* consona esset *j*. Cum itaque Latini literis *oe* Graecorum *οι* reddiderint, neque *oi*, nisi ante vocales retinuerint; sequitur, ne hac quidem aetate Graecorum *οι* diphthongum *oi* significasse, nec nisi *oj* valuisse iis in verbis, in quibus Latini *oi* retinuerint [16]. Sonuisse autem *oe* non *oë*, sed *ö* partim ex loco Nigidii (Gell. 19. 14), partim ex eo intelligitur, quod apud veteres Latinos eadem verba alias *oe* alias *ae* alias *e* scripta reperiuntur [17].

Saec. I. a. Ch.

In libris Graecis Latinorum *oe* literis *οι* atque in Latinis contra Graecorum *οι* literis *oe* scriptum reperitur, ex quo perspicuum est, vtros-

---

15) *Περι ἰδεων* § 73. Thiersch. p. 26.

16) Cf. Hauerc. I. 149. ss. 345. II. 297. rel. Matthiae p. 16. Buttm. p. 24. 6. V. c. coelum = *κοιλον* (teste Ennio) prooemium = *προοιμιον* Troja = *Τροια*.

17) Vti coelum, caelum, celum; faemina foemina, femina rel.

que sonos eosdem fuisse. Vidimus autem, neque *οι* neque *oe* diphthongum valuisse, imo *oe* vocalem ö designasse. Ad hanc rem demonstrandam vnus sufficit locus Quinctiliani, in quo tradit, *oe scribendum esse, non proferendum, omnes edocent* [18].

Saec. I. p. Ch.

Tradit Dio, Neronem duos Sulpicios, cognomine *ποιητικους*, trucidasse ob nominum *πυθικου* et *ποιητικου* ambiguitatem: *Nero* inquit *duos Sulpicios vita priuauit, quia visi sunt laudem eius imminuere, quoniam ποιητικων cognomine, a maioribus accepto, appellarentur eoque vti non cessarent, sed propter nominis similitudinem* (*ὁμωνυμιαν*) *Neronis victorias pythicas* (*πυθικας*) *laude imminuerent* (*ἠσεβουν*) [19]. Si recte se habet, quod Dio tradit, Neronem lusisse verbis *πυθικοι* et *ποιητικοι*, vtique sequi videtur, hac aetate et superiore etiam Graecorum *οι* in verbis nonnullis *ü* sonare coepisse secundum optimam Graecorum pronunciationem; sin iocus hoc loco continetur Dionis, idem inde cognoscitur. Dio enim, Graecus homo, isque eruditus et doctus, vix potuit prauam vnius verbi pro-

18) Quinct. c. 6. et 7. Velast. p. 111. col. Scaliger vterq. Pat. Lib. I. de causs. lat. ling. c. 8. Filius Notae ad Auson.

19) Wetsten. p. 189. Placentin. 25. Velasti. 113. Lipsius in diatrib. d. li. L. prou.

nunciationem sequi, qua de re *οι* aut constanter aut plurimis in verbis *ü* sonuisse Dionis aetate necesse est. Quodsi autem saeculo tertio *οι* plerumque *ü* valuit; sequitur, saeculo primo post Christum et antecedente *οι* vti *ü* pronunciari coepisse.

Saec. II.

Huc spectat locus Sexti Empirici, in quo *ει* et *αι* diserte vocales esse docetur. Quamuis *οι* non commemoretur; addit tamen grammaticus: *vt αι et ου et quidquid est similis naturae.* Esse autem *οι* similis naturae atque *αι*, neque sonare *ι* in *οι* aeque atque in *αι* et *ει*, a Latinis cognoscitur, qua de re *οι* etiam, quin ab Empirico elementis siue vocalibus adnumeratum sit, non dubium est. Quodsi ergo *οι* Sexti aetate vniuerse vocalem significaret, sequitur idem coepisse tribus saeculis ante. Cum autem *οι* Ciceronis aeuo vno tantum modo scriptum sit; sequitur, tunc temporis *οι* etiam vocalis literae eiusque, quod nouimus, *ö* potestatem habuisse. Atque sic longius inde possimus concludendo regredi. Terentiani versus:

A et E nobis ministrant; sic enim nos scribimus.
OI similiter O et E fit, ιωτα quod Graecum fit.

superiora confirmant. — Huc referendi sunt fortasse versus Castorionis ab Athenaeo, quorum singuli pedes decem literis constant, in quibus

οι pro simplici litera numeratur [20]. — Ex eo, quod Plutarchus Romanorum *oe* scripsit *οι*, sequitur, *οι* non *οϊ* sed *oe* potius siue *ö* sonuisse. Praeterea inde non patet, vtrum Graeci hac aetate *οι* passim non *ϊι* pronunciauerint, neque vrgendum, *i*, pluralis notam, *οι*, pluralis nota, redditum esse [21].

Saec. III.

Literas *οι* vocalem significasse, accentuum etiam vsu confirmatur, secundum quos *οι* pro vocali correpta passim habetur [22].

Saec. IV.

Praecipit Hieronymus: *coenomyia, non vt Latini interpretati sunt, musca canina dicitur per* y *Graecam literam, sed iuxta Hebraeorum intelligentiam per* oe *diphthongum scribi debet, vt sit κοινομυια i. e. omne genus muscarum* [23]. Vitium orthographicum habes librariorum aut verborum confusionem apud interpretes; vtrumque eo tantum oriri potuit, vt *οι* plerumque *υ* tunc pronunciaretur. Hac autem aetate passim *υ* etiam *i* valuit, qua de re *οι* passim *i* sonuerit necesse est. — Festus verbo *hodidocos* pro

---

20) Athen. Deipn. L. X, c. 20. Wetsten. p. 191. col. interpretat. Casaub.

21) Wetsen. p. 187.

22) Hermann. De emend. rat. p 52.

23) Wetsten. p. 190. Velast. 111.

ὑδοιδοκος vtitur [24]. Idem tradit, veteres *ab oloes dixisse pro ab illis*, ex quo aestumari potest id, qui potuerit *i* tum apud Latinos tum apud Graecos e vocali *ö* oriri. Eadem exhibet alius locus Festi: *loebesum et loebertatem antiqui dicebant* [25]. — Basilius *omnes voces*, inquit, *a κυ incipientes per ὐ ψιλον scribuntur*, *exceptis κοιλον, κοιλια, κοιλαινω*, atque alias: *voces a χρυ incipientes eodem modo per υ exprimuntur*, *praeter χροια*, *in quo diphthongus requiritur* [26]. — Ausonius *σολοικισμον* vertit in *solĭcismum*, corripiens *i*, atque epigramma quoddam vtitur *Idipus* pro *Οἰδιπους* ita, vt primam syllabam breuem faciat [27].

Saec. V.

Caius Sidonius Apollinaris *μοιραν* vertit in *miram*, *μετοικοι* in metici, *ἑκατομβοιον* in hecatombion [28]. — Victorinus ita iudicat: *literae peregrinae sunt Z et Y*, *quae propter Graeca quaedam assumtae sunt*, *vt Hylas et Zephyrus*, *quae si non essent*, *Hoelas Dsephurus diceremus* [29]. Ex hoc loco colligere âliquis possit,

---

24) Wetsten. p. 39. 187 Placentin. 67.

25) Wetsten. p. 39.

26) Wetsten. p. 189.

27) Wetsten. p. 187.

28) Anastas. Gregor. de Gr. pron. p. 147. Hauerc. 646. Wetsten. 186. Syluae Cr. 66.

29) Wetsten. 39. Placent. p. 67. Neidling. 35.

Graecorum *υ* tunc temporis sonuisse *ö* eamque ob caussam *οι* non *ü*, quod nos diximus, sed etiamnum *ö* valuisse; aut *oe* Latinorum *v* pronunciatum fuisse, hinc *οι* non *ö*, sed *ü* ab antiquissimis inde temporibus significasse. Cum vero *y* = *υ* altero in verbo *oe*, altero *u* scriptum sit; clarum est, noluisse Victorinum sonum *y* literis idem valentibus reddere. Haec potius est sententia grammatici. Cum *u* alias locum *ὖ ψιλον* teneat atque *oe* locum *οι*, quod conueniret sono cum *υ* = *y*; possit etiam his in verbis *u* pro *υ* atque *oe* pro *υ* = *οι* scribi. Hinc vero intelligitur, *οι* ita vbique sonum *ὖ ψιλον* Victorini aetate subiisse, vt aut nullis aut paucissimis in verbis adhuc *ö* valeret. Cassiodoris *Ὀινομαος* reddit *Inomaus* [30].

Saec. VI.

OE, *quando per διαιρεσιν profertur*, inquit Priscianus [31], *in Graecis nominibus, et Gaecam seruat scripturam; pro o enim et ι, quae tamen locum obtinet duplicis consonantis, vt Troia pro Τροια. In hoc quoque Aeoles sequimur; sic enim illi diuidentes diphthongum κοΐλον pro κοιλον dicunt.* — Codex Alexandrinus passim *υ* pro *οι* et contra habet [32]. — Ammonius verba similia vocat *ἐμοιο* et *ἐμειο*, *ἐσοιο* et *ἐσειο* [33].

---

30) Salmas. Not. ad Spart. p. 60.

31) Wetsten. 90. V. Priscian. p. 31. L. I.

32) Wetsten. p. 198. Velast. 58.

33) Velast. p. 56.

Saec. VII.

Beda Venerabilis adstipulatur Hieronymo dicens: *κυνομυια, per υ scripta, caninam muscam significat; κυνος enim Graecis c a n i s dicitur; κοινομυια per diphthongum* oe *communem m u s c a m; κοινος enim Graecis commune est, vnde coenobium a communitate nomen accepit. Quod in Exodo et in Psalterio inprimis translatum esse arbitramur, vt omnis generis musca significaretur, sed similitudine soni per incuriam contigisse, vt cynomia pro coenomia scriberetur* [34].

Saec. VIII.

In codice Wetstenii *οι* non solum cum *υ*, sed etiam cum *η*, quae nunc *i* valere nouimus, confunditur [35]. Cum vero *οι* pro *υ* et *η* scriptum sit, intelligitur, vniuerse *οι* sonum *ö* et *ü* in *i* mutasse atque saeculis antecedentibus etiam plerumque vocalis *i* potestatem tenuisse. — Huc spectat fortasse Psalterium Gregororii, in quo *ει*, *η*, *υ*, *οι* vna plerumque litera *i* reddita sunt [36].

Saec. IX et X.

Huc referendi videntur codices, in quibus *οι* literis *i* sonantibus commutatum exstat [37].

---

34) Wetsten. p. 190.

35) Velast. p. 112. E. c. *ἐκεινη* pro *ἐκεινοι*, *δικτοια* pro *δικτυα*.

36) Wetsten. p. 117. *ἀλλοι* = alli *γης* = gis exc. *yos* = *υἱος*.

37) Wetsten. 185. 91. Velast. p. 112. E. g. *κατηκουσοι* pro *κατοικουσι*.

Saec. XII.

Eustathius in proponendis *παρηχησεως* exemplis vocales *οι, η, ι, ει, υ* inuicem sibi assonare auctor est [38].

Absoluta itaque disputatione de literarum *αι, ει, οι* pronunciatione, apparebit, neutiquam eas diphongorum instar, quas nos dicimus, pronunciandas esse. Quod enim coniecit Sp. Godofredus Hermannus [39], atque ex parte probauit, *αι ει οι* propius sono accedere ad *ä i ö*, id quidem argumenta non solum e versionibus sacris, sed etiam e Graecae et Latinae linguae monumentis petita, si temporis iusta ratio habeatur, satis euincunt. Addere liceat, cauendum esse iis, qui *οι* genuina ratione sua eloqui cupiant, ne *οι* instar *e*, quod in Germania facile accidere posse videtur, proferant, quo facto egregius atque sublimis huius vocalis sonus fere periret. Sonus autem *o* inter et *e* medius, qui conuenit literis *οι*, parum auditur in *schön, Röhre*, prouti in vita vulgari proferuntur, bene autem in *röthlich*, quod longe differt a *redlich* atque in Gallorum literis *eu*.

§ 4. *ΥΙ*.

Secundum leges, quas literis *υ* et *ι* praescripsimus, *υι* aliter pronunciari non posse vi-

38) Hauerc. S. II. 647. 617. Wetsten. 155. Placent. p. 17. Huius generis sunt: *ἑηος* et *ἑοιο*, *ἰτοι* et *ἰτυς*, *Σκυλλη* et *κοιλη*.

39) De emendand. ration. Gr. Gr. p. 52.

detur, quam aut *wi* aut *ŭj* vel *uj*, praecedente vocali *α* aut *ε*. Cum enim *υ* inter vocales Graecorum *w*, atque *ι* iisdem in locis *j* fuerit; *υι*, praemissa vocali, non nisi *wi*, vti in *εὐϊος*, atque, submissa, non nisi *ŭj* vel *uj*, vti in *αὐϊαχος*, sonuisse probabile est. Quamuis recte sese haec habeant plurimis in locis, sunt tamen verba, quae, ista pronunciatione adhibita, barbari aliquid sonare videntur, neque praetermittendum, literas *υι* diserte inter diphthongos a grammaticis relatas atque in verbis, quae modo vidimus, punctis ab auctoribus apicum distinctas esse. Qua de re opus est, accuratius de potestate literarum *υι* et genuina et commutata subinde paullulum disquirere.

Homericam aetatem

duplicem literae *ι* vsum fecisse, caussae grauissimae suadent. Qua de re *υι*, cum pro VI scriptum sit, non nisi *u* aut *ŭ* productum, aut *ŭ* anceps significare recte potuit. Quemadmodum enim Homero *ει*, *οι*, *αι*, *ιι* valuerunt alias *ε*, *ο*, *α*, *ι* producta alias *ŏ* et *ă*, ita etiam VI, exceptis locis quibusdam, nonnisi aut *u* longum, aut *ŭ* significare potuit. Quamuis vero probabile sit, VI Homerum pro *u* longo scripsisse, hoc tamen e carminibus istis, qualia a maioribus seruata et recensita ad nos peruenerunt, demonstrari satis nequit. Litera enim *υ* aeque atque *υι* non solum diuersis, sed iisdem etiam in verbis nunc correpta, nunc producta cerni-

tur [40]. Hinc duo sequntur statim. Quod enim *υι* correptum est, non potuit non vocalem designare; diphthongus enim corripi instar *ε* aut *ο*, vt his vtamur, nequit. Possit quidem haec res eo explicari, vt dicatur, in illo *υι* vere valere *ι* consonam; sed ne hoc quidem ferri potest. Vocales enim ante *j* pronunciatae neque corripi possunt, vti supra demonstrauimus, nisi si *j* mutetur in *ch* (*χ*), neque a Graecis atque Latinis correpta sunt. Praeterea cum nulla lingua diphthongum *üi* habeat — quod enim dicunt, diphthongum *ui* in Gallorum *fuyez* vel *fuiez* esse, errant, quoniam *y* vel *i* ibi consonam valet [41] — atque diphthongi cum apud alias gentes, tum apud Graecos e vocalibus situ quam maxime diuersis constent; a probabilitatis specie plane alienum est, *υι* sonuisse *üi*, atque ex eo potissimum cognoscitur, *υι* significasse vocalem, quod ex mero *υ* oritur atque merum *υ* euadit in verbis coniugatis [42]. Praeterea Graecos ante

---

40) Exempla apponamus haec: *χερσιν ἀλυων* (Od. *ι*. 398.) *δινευεσκ' ἀλυων* (Il. *ω* 12) col Od. 6. 232. 392. Il. *λ*. 156. Od. *ζ*. 255. (*εἰλυω* = *εἰλῡω*) *ἐρυω*, *ῥυομαι*. *ΥΙ* anceps: *Δρυαντος υἱος* (Il. *ζ*. 130. Il. *δ*. 473.) *υἱος Ἠετιωνος* (Od. *ρ*. 575) col. 590. Il. *η*. 47. *λ*. 200. *ο*. 244. *ἀγυιαν* Il. *υ*. 254. *εὐρυαγυια* Il. *δ*. 52. *β*. 12. *Ἁρπυια* Il. *π*. 150. *μυια*, *ὀργυια*, *τεθαλυια*, al. contra *μητρυιη* (Il. *ε*. 389.)

41) Hauercamp. S. I. p. 157. 351.

42) Sic *υἷς*, *ὗς* fit ex *οἰις*, *ὑικος* = *υἱικος* *ὗος* = *υἱος* coll. *φυω* = fuo *υἱος* = filius.

saeculum quintum VI scripsisse, ex eo cognoscitur, quod Latini, priusquam Y recepissent, VI pro *yi*, vti in illo *Harpuia*, scripserunt. Quodsi vero *υι* Homero *ŭ* anceps valuit, sequi videtur, *υ* etiam ancipitem vocalem *u* significasse. Quamuis vero nihil, quod grauioris momenti sit, obiici possit, mirandum tamen videtur, Graecos, inuenta litaera *Υ*, quae valeret id plane, quod antea signis VI innuerunt, retinuisse literas *υι*, vbi vna sufficeret. Deinde hoc etiam offendit, Graecos, cum *ι* ad *ε*, *α*, *ο* producenda adhibuerint, *u* productum non VI scripsisse. Hoc loco tenendum, inde ab Homero vsque ad saeculum quintum, quo temporis spatio Cadmeae literae neque auctae numero neque multum mutatae figura sunt, verborum nisi omnium certe nonnullorum orthographiam ita stabilitam esse, vt sequior aetas non auderet mutare literas. Hoc potissimum in Homerum cadere, clarum est. Quamquam enim literae *η* et *ω* in describendis carminibus Homeri adhibitae fuerunt; exstant tamen vel hodie passim *ει*, *οι* pro *η* et *ω*. Neque offendit VI postea *ΥΙ* scriptum esse, cum V etiam in AV et EV subinde *ΑΥ* et *ΕΥ* exaratum sit. Qua de re non mirum est, quamuis litera *Υ* praesto esset, mansisse *ΥΙ*, atque admodum probabile videtur, plurimis in verbis subinde *υ* pro *υι*, aeque atque *η* pro *ει*, *ω* pro *οι*, quod nouimus, scriptum fuisse. Quid est vero, quod Homerus *u* longum non VI scripserit? Nulla enim hu-

iusmodi verba apud Homerum reperiuntur. Hoc loco obseruandum, Homerum atque Graecos post eum viuentes vbique paene *o* pro *u* pronunciasse, qua de re sonus *u* nimirum V scriptus rarius exstaret necesse erat. Hinc emendatrix posterum manus rarius omnino errare potuit in mutando VI = *ū* in *ου*. An incredibile est, subinde in carminibus Homericis vbique *ου* positum fuisse, quo loco *u* (= VI) productum audiretur? Possint tamen huc trahi verba *νεκυι*, *ὀϊζυι*, *ὀρχηστυι*, *πληθυι* alia, in quibus *υι* vnam syllabam efficit, licet duas in *ἐνιπληθυϊ μενεν ἀνδρων* (Il. *χ*. 458). Illis enim in locis conuenire videtur *υι* cum *u* Latinorum loco *ui* producto, vti in verbis *metu* pro *mutui* (Virgil. Aen. I. 261), *vestitu* pro *vestitui* (Terent. Adel. Act. 1. Sc. 1. v. 58), quae poetae Latini Graecis conformarunt. — De dialectis memorandum, Atticos *υ* et *ω* pro *υι* scripsisse aeque atque Dores [43]. Quamuis vero inde parum cognoscatur, vtrum veteres *υι* ad *u* productum adhibuerint significandum; hoc saltem clarum est, *υι*, quippe ex vocali *ω* oriundum, vocalem significasse, neque negari potest, cum *u* proximum sit *o*, probabile esse, si antiquam

---

43) Vti *μυα* pro *μυια*, *μητρυα* pro *μητρυια*, *ὑος* pro *υἱος*. Maitt. p. 12. s. Athen p. 467: Dores *παραπλησιως δε και το υ γραφουσιν, ὁταν και κατ᾽ αὐτο μονον ἐκφωνηται, και ὁταν συζευγνυμενου του ἰωτα.* Attici *υι* vertunt in *ω*: *τετυψωσα* = *τετυφυια*, *ἑστωσα* = *ἑστυια*. Maitt. p. 87.

scripturam mansisse credas, *vι* sonuisse $\tilde{u}$, quippe proximum $\bar{o}$, hinc vero, *u* apud Gracos *ü* euadente, *ü* longum. Sunt itaque *ει* ($\bar{e}$) *αι* ($\bar{a}$) *οι* ($\bar{o}$) eiusdem rationis atque *vι*. Ceterum *vï* diphthongum eamque initio *uï* significasse, facile demonstrari potest. Latina enim lingua, quae antiquissima Graecae linguae dialectus genuinam huius linguae rationem hic illic bene seruauit, *ŭi* habet pro *vï* [44].

Saec. VIII.

Quodsi Graesi ante literam Pythagorae inuentam, inde a quo tempore $\tilde{u}$ *ου* scripserunt, literis *vι* vsi sunt ad $\tilde{u}$ significandum; credibile est, Latinos etiam eam consuetudinem seruasse. Huius rei vestigia in Terentio inesse videntur, qui *u* productum scripsit *ui:*

Eius anuis opinor causa, quae est mortua.

Similia sunt apud Varronem et Nigidium verba domuis, fluctuis, senatuis, teste Gellio [45]. Dissoluit quidem Terentius $\tilde{u}$ in duas syllabas metri caussa ac debuit rectius *uu* pro *ui* scribere; sed in eo ipse aut Graecos poetas, aut maiorum exemplum secutus censendus est. Aliter quidem hanc rem explicat Gellius, ita scilicet, vt dicat,

---

44) Huc spectant datiui nominum in *ui*, qui respondent Graecorum *vï*. v. c. *ἰχθυς*, *ἰχθυϊ* col. fructus, fructui. *ἰγνὐ* pro *ἰγνυϊ* Theocrit. 26. 17.

45) Terent. Heauton. Act. 2. Sc. 3. v. 46. A. Gell. L. 4. c. 16.

viros illos *i* addidisse formis genitiuis, quoniam *i* adesset datiuis, atque addit, comperisse se, non aliter eos scripsisse quam pronunciasse. Quod quidem de Terentio etiam valere, profecto crederemus, nisi nonnullis saeculis ante vixisset. Hoc saltem negari nequit, in genitiuis verborum *domus*, *senatus* et quae sunt eiusdem generis, nihil adesse soni *i* aliquid. Sequuntur enim verba Graeca ex eodem genere, quae habent *υος* aut *εως* atque *ους* inde ortum pro *ūs*. Deinde quo iure Virgilio, antiquitatis studioso, licuit *ae* facere *ăĭ*, eodem etiam Terentius *ūs* mutare in *ŭŭs* vel *ŭĭs* metri caussa potuit, neque arguent eum, fecisse id eum maiorum vsu non ductum. Sic Homerus *νηδυϊ χαλκος*, si recte se habet lectio (Il. *υ*, 496.), pro *νηδυι* dissyllabo habet, *φοως* pro *φως*.

Saec. IV. et III.

Omissum est *ι* ex *υι*, licet alias exstet, in inscriptionibus nonnullis [46]. Quo confirmatur id, quod supra monuimus, *υι* non diphthongum, sed vocalem *ü* designasse.

Saec. I. a. Ch.

Poetae Latini *υι* non solum *yi* scribunt, sed etiam pro syllaba longa vsurpant [47].

---

46) Cf. Osann Syllog. Inscript. Fasc. II. N. 14. V. c. *ύος* pro *υίος* al. exempla v. ap. Boeckh. Staatsh. II.

47) E. g. Harpyia, Elithyia. Ouid. Met. IX. 283.

Saec. II p. Ch.

Tradit Athenaeus, veteres diphthongum *υι* solo *υ* scribere consueuisse [48]. Itaque illis in verbis initio haud dubie *u* auditum est, quod postea ad *ü* abiit. At, si Athenaeus scripta post Pythagorae aetatem in mente habuit, inde sequitur, inuento *Υ*, primum VI expulsum fuisse, hinc vero ab antiquitatis studiosis refictum quasi atque in *υι* mutatum, vt esset loco *ü* pro more maiorum.

Saec. V.

Armenii Graecorum *υ*, vbicunque non *ι*, sed *ü* sonaret, literis իւ scripserunt, quae sunt *υι* inuerso ordine velut *ιυ* positae, ex quo cognoscitur, *υι* et *υ* parem sonum habuisse [49].

Saec. VII.

Beda Venerabilis coniicit, *per incuriam accidisse, vt cynomia* (*κυνομυια*) *pro coenomia scriberetur* [50].

§ 9. *Αι*, *Ηι*, *Ωι*.

Nihil est, de quo magis dubitauerint, quam de pronunciatione *ιωτα* subscripti. Vix dantur

---

48) Wetsten. 192. Placentin. p. 26. Athenaeus. Dipn. L. XI. c. 5.

49) Verb. c. wiule = wüle = Fυλη rel. supr.

50) Placent. p. 26.

enim argumenta, quibus aut sonuisse, aut non sonuisse eam literam satis demonstrari possit. Quamuis autem repetitum sit illud, scripsisse Graecos ita, vti sonarent, verba; neglectum tamen est, addere caussas, cur Graeci ᾳ ῃ ῳ instar *ai ei oi* pronunciare debuerint. Neminem nunc offendet, ι in diphthongis *αι, οι, ει* non sonuisse, sed singulares sonos effecisse, atque vocalibus producendis additum fuisse; qua de re non est praeter exspectationem, Graecos ι alias etiam similem quandam ob caussam vsos fuisse. Et primo quidem sponte intelligitur, Graecos, si verborum non nisi sonum literis significassent, non potuisse satis initio vbique capere scriptorum sensum. Verba enim *τριτε ἱμερα* duplici aut triplici modo aliquis interpretari possit. Qua de re admodum probabile est, Graecos vel ob eam caussam literam ι adhibuisse partim ad sonos vocalium productos, partim vero ad casus verborum ambiguos distinguendos. Hinc ι adhibere etiam recte potuerunt ac debuerunt in origine verborum designanda.

Homerus

literas ᾳ, ῃ, ῳ, siue *αι*, *ει*, *οι*, cum ante vocales corripuerit instar vocalium longarum [51]), non potuit profecto pro diphthongis habere. Etenim si *Ωι*, *Ηι* diphthongi fuissent, Homerus ac reliqui non solum duos sonos, sed etiam alterum

51) Vid. v. c. Il. ε. 390. 397. 400.

ex iis natura productum corripere debuissent, quod quidem, qui experimentum fecerit, nemini quamuis arte adhibita feliciter suscesserit. Tres enim vocales, velut *ooï*, *eeï* haud facile instar *ĕ* vel *ŏ* corripiuntur. Qua de re, cum ᾳ ῃ ῳ pro vocalibus productis plerumque scripta sint, denuo confirmatur id, quod diximus, ι partim ad vocales longas, partim ad verborum casus distinguendos adhibitum fuisse. — De dialectis commemorandum, ᾳ ῃ ῳ passim e consensu grammaticorum sine ι scribi [52]. Cum vero dialectus Dorica, quae alias diphthongos seruauit, ι subscriptum non habeat, neque apud Atticos et Iones diphthongi oriri potuerint ex vocalibus, vereor vt alicui approbari possit, ᾳ ῃ ῳ diphthongos significasse. Excidit quidem ι passim inter duas vocales; sed recte valuit ibi consonam ι, quae, aeque atque υ (*w*), sexcentis in verbis excidit. Quod autem Graeci in verbis κλαειν, cui respondet *klagen*, *Ἀχαϊκος* neglexerunt ι, recte egisse videntur, ne *αι* aut *ä* aut *aj* denuo pronunciari posset more veterum, qui, vti ex Latino Laius pro *Λᾳος* cognoscitur, illud ι consonae *j* ratione pronunciarunt. Neque offendit, Graecos serius, quo ι perditum quoddam verborumque originem significarent, literam illam subscripsisse. Scilicet obseruatur, paucis

---

52) Cf. Hermann. de emend. rat. p. 33. ss. V. c. καω κλαω, ἀετος, Ἀχαϊκος, χρηζω (Attica) *Μηονις* (Boeot.) τω, τα, ὡ, ἁ (Doric.) Aristoph. Archim.

exemplis exceptis, ι istis probe in locis seruatum esse, quibus ι siue sonans, siue mutum ante verborum contractionem adesset [53]. Cum autem vocales plures, in vnam contractae aut sequente vocali priuatae, vnam sonantem longam efficiant; hoc etiam admodum probabile est, illud ι productionis signum passim initio additum fuisse. Qui vero contendent, ι subscriptum sonuisse, in eo sunt, vt negent, literas *αι, ει, οι* sonuisse *ä, e, ö*. Cum enim ι sexcentis in locis reperiatur, in quibus *ῃ, ῳ, ᾳ* ex *αια, εια, οια, αιε, ειε, οιο, ααι, αει, αοι*, et sic porro orta essent; concludendum est secundum istam sententiam, in *αι, ει, οι*, aliis vere sonuisse ι [54]. Iam vero passim ι suum non habent *η α ω*, quamquam ex istis literis orta; ex quo colligendum foret, *αι, ει, οι* alias *αϊ, εϊ, οϊ*, alias *α, ε, ο* sonuisse, quod nemini persuadebitur. Quid denique? quod Graeci *ῃ* pronunciarunt, quo loco sonus *i* audiri vix poterat [55]. Itaque dialectis etiam probatur, ι vocales partim, ne confunderentur

---

53) Exempla sunto. *χῳταν* (*και ὅταν*), *κᾳν* Pinth. *χῷστις*, *ῷ πολος*, *κῃγω*, *κῴχετ'* Theocr. *τιμῳμην*, *ῳο*, *ῳτο* (*ἀοιτο*).

54) Ex verbis supra allatis vrgendum est *χρηζω*, *χρησμῳδω*, pro *χρῃζω*, quoniam vocales non subsequuntur, atque Dorica illa; hinc verba *τῶνδρες* (*τοὶ ανδρες*) ep. Lacon. ap. Xen. Graec. 1, 1. 15.; Laco apud Aristoph. Lys. 1262. *ὥρνες*, *χὼ δωνις*, *χὡ 'κ* Pinth. *τὠντρῳ*, *κῄπε κῃφα* col. *ὥτερος* = *ὁ ἑτερος* atque Gregor. p. 86. ss.

55) E. g. *ῄ* pro *ἐσαι*, *ῇσαι*, Attici (Cf. Maittaire p. 16. C. 62. B.)

casus et modi, distinxisse. Nemo enim facile *αὐτο* ab *αὐτο* (*αὐτου*) et *αὐτοι* (*αὐτῳ*), *τιμομεθον*, *πεφιλεμεθον*, (indic.) a *τιμοιμεθον*, *πεφιλειμεθον* (optat.) *πεφιληημεθον* a *πεφιλῃμεθον* discernere potuisset, nisi scriptores *ι* addidissent, postea subscripsissent.

Saec. VIII.

Parem literae I vsum Latini initio fecisse videntur, qui datiuos *oi*, postea *o* scripserunt atque produxerunt [56]. Sed cum in verbis nonnullis postea *oe* pro *ῳ*, *ae* pro *ᾳ* reperiatur, vtique probabile videtur, *OI* antea diphthongum valuisse [57]. Contra est, quod in reliquis verbis omnibus literae *ᾳ*, *ῃ*, *ῳ* apud Latinos *a*, *e*, *o* productae valent, neque vnum verbum sexcentorum auctoritatem frangere posse videtur. Deinde Latini etiam vocales cum vocalibus tenuioribus subinde mutarunt, qua de re *ö* *ä* optime ex *o* *a* prodire potuerunt. Quemadmodum enim *munia* progenuit moenia, Asclepios vero Aesculapius, ita etiam ex *comodia* *comoedia* oriri potuit. Praeterea si *ωι* diphthongum valuisset, a Latinis non *oe*, sed *oi* scriptum fuisset. Qua

---

56) V. c. *dominoi.*

57) Buttmann. p. 22. 3. *comoedia*, *tragoedia*, *citharoedus.* Contra *oda*, *prosodia*, *rhapsodia*, *heroes* plurima alia. Hauerc. S. I. 159. Huc spectant datiui declinat. I. Latinor. Contra est *o* = *ῳ* (dativ.) declinat. II. Latin.

de re verbum *ode*, alias *oede* scriptum, nihil impedit, quominus statuamus, hac etiam aetate ᾳ, ῃ, ῳ vocales productas signaficasse atque verborum significatus accuratius descripsisse.

Saec. VI.

Inscriptio Sigea *ιωτα* subscriptum non habet, vti in verbis *ΚΑΓΟ, ΚΑΠΙΣΤΑΤΟΝ,* quod neutiquam neglectum fuisset, si *ι* aut in *και* aut in *κᾳγω* sonuisset.

Saec. V.

Atheniensium inscriptio iisdem in verbis alias I adscriptum, alias neglectum habet, qua de re ο et *οι* ibi idem sonuerint, necesse est [58].

Saec. IV.

Boeotii ῳ passim in *υ* pronunciando, teste lapide, mutarunt quod, ῳ vocalem designasse, demonstrat [59]. — Pindar etiam ac reliqui eiusdem aetatis scriptores, ᾳ ῃ ῳ ante vocales corripuerunt [60]. — De eo, quod e verbis *ιωτα* subscripto notatis ne vnum quidem apud Coptos, Armenios, Syros, Arabes, qui inde ab Alexando eiusmodi verba receperunt, sonum *ι* retinuit, vidimus supra.

---

58) V. Montefalcon. Palaeogr. Graeca. p. 135. 144. Vti *τοι* = *τῳ*, *αυτο* (ῳ) *ἐνιαυτο* (ῳ).

59) Cf. Boeckh. Staatshaush. II. 397.

60) Cf. Thiersch. l. c. p. 350 ss.

Saec. III.

Theocritus aliique ῳ in verbis contrahendis non nisi vt ω tractant [61]. — Faciamus, hac aetate, de quo dubitari potest, literas ᾳ ῃ ῳ diphthongos inproprias, vti grammatici tradunt, vocari coepisse [62]. Inde perspicitur, αι, ει, οι, quae diphthongi propriae dicuntur, ab ᾳ, ῃ, ῳ diuersa fuisse atque hinc, in his quidem ι nihil valuisse.

Saec. I a. Ch.

Inscriptiones huius saeculi saepissime ι adscriptum non habent, quod Strabo etiam confirmat dicens: *πολλοι χωρις του ι γραφουσι τας δοτικας και ἐκβαλλουσι γε το ἐθος, φυσικην αἰτιαν οὐκ ἐχοντες* [63]. Quo loco illud *ἐθος* maxime vrgendum est.

Saec. I. p. Ch.

Quinctilianus de scriptura *aurei* pro *auri* disserens addit: *idque iis praecipue, qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit. Sicut in Graecis accidit adiectione ι literae, quam non solum datiuis casibus in parte vltima adscribunt, sed quidam etiam interponunt, vt in*

61) V. c. *τἀγκιστρῳ, τὠντρῳ* col. *τἀγαθῳ* (Lac. ap. Plat. ed. II. Steph. Tom. 3. p. 94).

62) Hauerc. I. 154. Thiersch. p. 23. 2. Buttmann. 23. 3.

63) Neidling. p. 25. Buttm. l. c. Thiersch. I. c. Maittaire. p. 533.

ΛΗΙΣΤΗΙ, *quia etymologia ex diuisione in tres syllabas facta desideret eam literam* [64]).

Saec. II.

Athenaeus de ῳ haec habet: *παντες οἱ ἀρχαιοι τῳ ὁ μικρῳ ἀπεχρωντο οὐ μονον ἐφ᾽ ἡς νυν ταττεται δυναμεως, ἀλλα και, ὁτε διφθογγον διασημαινει, δια του ὁ μικρου γραφουσι* [65]).

Saec. VII.

Symbolum regis Aethelstani atque Psalterum papae Gregorii nusquam ι subscriptum litera aliqua expresserunt [66]).

Saec. VIII et IX.

Deest saepenumero *ἰωτα* illud in codicibus [67]).

Saec. XII — XIV.

Idem cadit in libros MSS. ex hac aetate neque vero in eos, quos sequens saeculum progenuit [68]).

Quodsi itaque verum est, quod orationis humanae natura, poetarum vsu, dialectorum

---

64) Quinctil. Or. S. 1. 7. 17. Velasti. 115. Fischer ad Veller Gr. p. 27.

65) Velast. 115. Syluae Cr. p. 39.

66) Wetsten. p. 117 ss.

67) Hauerc. I. 348.

68) Syluae Cr. p. 39.

ratione, inscriptionum et grammaticorum testimoniis probatur, ι in literis αι, ει, οι, siue ηι, ωι inde a saeculo quinto, siue ᾳ ῃ ῳ postea scriptis nihil valuisse, imo non nisi ad verborum formas aut vocalium quantitatem accuratius significandas additum fuisse; nescio, an nemini nunc mirandum sit, ἰῶτα eadem in caussa alias adscribi consueuisse atque huius scripturae exempla, quae emendatricem librariorum manum fugerunt, in carminibus Homericis et aliis etiamnum exstare. Inde quid sequatur, videbunt alii.

§ 10. *ΑΥ.*

Literas *αυ* non *af* vel *aw* ante consonas atque verborum in fine, sed *au* a Graecis initio pronunciatas esse, sola dialectus Ionica atque Dorica euincunt, quae haud raro ω loco *αυ* habent 69). Quemadmodum enim apud Armenios, Romanos, Gallos, Germanos, alios *o* ex *au* oriri non potuisset, nisi *au* vere diphthongum valuisset, ita etiam Iones atque sequior aetas *αυ* in ω mutare non potuisset, nisi *υ* siue V vocalem *u* significasset 70). *E* sonis enim *af* vel

---

69) V. c. *τρωμα*, *ὠλακα*, *ὠλαξ*, *κωμα*, *θωμα*, alia, in quibus omnibus ω loco *αυ* obtinet, coll. *τιμω* pro *τιμαου*.

70) Polos (Armen.) Paul (*cl. Pōl*, Gallic). pro *Παυλος* et Paulus (Latin.) coda pro cauda, codex pro caudex, sodes = si audes, lotum pro lautum, ololaria pro aulularia, plostrum pro plaustrum; robeu, lofen pro rauben, laufen.

αw nullo modo prodire potest *o*. Idem cognoscitur ex eo, quod *αυ* e literis *αου* contractius proferendis atque ex *αο* oritur [71]). Quae quidem argumenta satis certa sola nunc sufficiant. Contra autem, *αυ* ante vocales *αw* sonuisse, sufficit ad demonstrandum etiam hoc, *υ* istis in locis, quibus perperam digamma Aeolicum vocatur, sexcentis ex verbis excidisse, deinde *αυ* ante vocales in *ὠ μεγα* nusquam mutata esse atque *u* inter vocales correptum, ne posse quidem non *w* pronunciari, nisi si hiatum feceris importunum [72]). Praeter haec videnda sunt ea, quae supra de *υ* disputauimus, ex quibus patet, Graecos literam *υ* aeque atque Latinos V in genere ante vocales pro *w* scripsisse. Quod attinet illud, Graecos *αυ* ante vocales *αw* pronunciasse, hoc addendum est. Sane possunt *αυ* ante vocales etiam *au* pronunciari, si *αυ* quam maxime corripiantur atque post *au* supprimatur paullulum vox, ac si dicas *Δαυ — ιδ*. Sed Graecos hiatus abhorruisse quam maxime, constat, alioquin neque in oratione poetica neque in prosa vocales ante vocales constanter fere elisissent. Hinc contractio, hinc elisio, hinc *ν ἐφελκυστικον*, hinc crasis, hinc sinaloephe illa. Deinde Grae-

---

71) Verbi c. *γραυς, εος* = *γραος* = *γεραος* = *γεραιος*, coll. *θευς* pro *θεος* (Call.) *θευμερης* (Pind.)

72) *Ἀυαταν* (Pind.) *ἀυως* (Sapph.), coll. *χευαντες* (Hom.) *ποτιδευοσι* (Theocr.) *ἀλευομαι* (Hom.) *ζητευω, ἐδευησα, ἐυαδε, θραυω, ἐλαυω, καυω.*

cos *αυ* paullo distractius pronunciasse, clarum est. Scilicet nequeunt *a* et *u* arcte coniungi, qua in re caueant, ne fallantur ii, qui *au* aliter pronunciant, quam Itali. In Germania enim *au* proferunt *ăŏ*, quod si fecissent Graeci, *αο* pro *αυ* scripsissent. Porro si Graeci *αυ* contractius protulissent, ne potuisset quidem *αυ* subinde *aw* et *af*, vti nunc vsu venit, euadere; sed debuisset, quod raro accidit, in *o* mutari. Quodsi ergo Graeci *αυ* absque hiatu ante vocales atque distracte enunciarunt; non potuit non *υ* illis in locis *w* sonuisse. Pronuncietur modo *αυ* ante vocales ita, vt vtraque vocalis audiatur, neque vero *ao* percipiatur, quo facto *u* correptum sponte *w* euadet. Obiicitur hic, Graecos *αυ*, si ante vocales pronunciarint *aw*, ante consonas etiam pari modo proferre debuisse [73]. Memorandum vero, tantam esse soni *w* ad *u* abeundi procliuitatem, vt in fine verborum et ante consonas, nisi mutetur in *f*, aut *wĕ*, suâ sponte vocalem proficiat. Simile quidam, de quo in superioribus accuratius expositum est, cadit in *j* consonam. Hinc accidit, vt orirentur *Frau* ex *Frawe, treu* ex *trüwe*, *seu* ex *siue*, *fautor*, *lautum* (lotum) ex *fawitor*, *lauo*, *aer* et *aura* ex *ἀυηρ*, *Mai* ex *Maius*. Deinde, cum Homerus *αυ* ante consonas saepissime in *αϋ* metri caussa mutauerit, ita vt duae orirentur syllabae, vix est, quod negemus, *αυ* suis in locis diphthon-

73) Neidling. l. c. p. 41.

gum significasse. Quid vero statuendum de illo: *οὑς κεν ἐϋ γνοιην* (Il. γ. 235.), atque rursus de *ἐαδε* illo pro *εὐαδε*, ex quo eadem vocalis *υ*, in consonam mutata, excidit, nolumus repetere.

Saec. VIII.

Latini non solum literam V, quam ante vocales *w* sonuisse, ante consonas *u*, poetae, grammatici et inscriptiones testantur, sed eadem etiam verba apud Graecos *αυ*, in Italia *au* scripta, receperuut. Est autem Latina lingua profecto antiquissima Graecae dialectus, qua de re, quod in Latino sermone aeque atque in Graeco seruatum est, a Latinis ad Graecos etiam trahere nos oportet.

Saec. V.

Apud Aristophanem canes latrantes proferunt sonos *αὐ αὐ* 74). Obiiciunt Stephanus aliique, caniculorum esse *af*; sed magnopere verendum, ne non caniculorum, sed canium personas histrionibus voluerit tribuere Aristophanes. Praeterea ex hoc loco non nisi id cognoscitur, quo modo *αυ* ante consonas vel in fine verborum pronunciatum sit.

Saec. IV.

Inscriptio Deliaca, si hanc aetatem attinet, verbum *αὐτου* scriptum habet AFVTO 75). Cum

74) Hauerc. I, 137. al. II. 309. al. Neidlinger 49. rel.

75) Vid. Boeckh. l. c. II. p. 393.

vero V non potuerit post F (*w*) denuo *w* significare; sequitur, Graecos *αὐ*, quod antea *awu* dixerunt, *au* pronunciasse ante consonas. Quo modo autem sonus *w* inter binas vocales apud Graecos perire potuerit, vidimus supra.

Saec. I. a. Ch.

Latini Graecorum *αυ* scribunt *au* atque Graeci Latinorum au literis *αυ*, siue sint ante vocales siue consonantes, ex quo sequitur, au et *αυ* eiusdem soni et potestatis fuisse [76]. Nouimus autem, Latinorum *au* non potuisse *o* subinde ante consonas proferri tum apud Latinos tum apud Gallos nunc, nisi sonuerit *au*, neque potuisse *u* in *au* cum *b* et F, quod Claudii tempore accidit, ante vocales mutari, nisi sonuerit illis in locis *w*, ex quo clarum est, *αυ* = au ante consonas *au*, ante vocales *aw* valuisse. Quodsi enim Graecorum *αυ* sonuisset *aw*, debuissent et potuissent *αου* pro *au* scribere, sin constanter *au*, non dubium est, quin Graeci *αβ* pro *au* ante vocales, cum fecerint alias, exarauerint [77]. — Adest vero locus Ciceronis vexatissimus: *Quum*, inquit, *M. Crassus exercitum Brudusii imponeret, quidam in*

---

76) Hauerc. I. 138. 343. II. 200. 306. 610.

77) E. g. *Βαρρων* = Varro *Βιργιλιος* = Virgilius coll. *Βαληριος* = *Ουαληριος* = Valerius, *Ουαλης* = Valens *ΥΕΛΙΑ* = Velia. *Λαουινιον* = Lauinium (Strab.) *Σεβηρος* = Seuerus, rel. supr.

portu caricas, Cauno aduectas, vendens, Cauneas clamitauit. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caueret ne iret, non fuisse periturum, si omini paruisset. Quas si suscipiamus, pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternutamenta erunt obseruanda [78]. Quo ex loco, cum *caue ne eas* et *καυνεας* idem sonuisse tradantur, collegerunt, *αυ* Graecorum *aw* ante consonas valuisse. Sed cauendum, ne nimis ista verba vrgeamus. Denuo enim oraculum quoddam habes, quod inuitum quadraret necesse erat. Audis etiam circulatorum eumque barbarum nec dubito, quin Crassiani milites paullo crassius aut Graecam aut Latinam linguam pronunciauerint. Deinde probe tenendum, non audiri *e* verbi *căue* in *καυνεας*, quod caute tacuerunt. Iam vero tanta erat apud Latinos et Graecos procliuitas, *v* in *u* mutandi, vt, vbicunque *v* et *υ* vocali sequente destituerentur, prodiret *u* loco *w*. Hinc habes *seu* pro *siue*, *lautum* pro *lăuatum*, ex quo *lotum* non oriri potuisset, nisi *u* sonuisset *u*. Simile quiddam accidit verbo illi *Frau* pro *Frawe*. Hinc intelligitur, e verbo *căue* (*căwe*) neglecto *e* debuisse *cau* oriri, neque offendit, illud *e* aut a Romanis militibus male pronunciantibus, aut omen artificiose explicantibus, de industria suppres-

---

78) Cic. de Diuin. L. II. Hauerc. 139. II. 638. Wetsten. 92. Placent. 23. Velast. 106. Neidling. 38. Syluae Crat. p. 54. rel.

sum fuisse. Itaque tantum abest, vt hic locus, *αυ* Graecorum *aw*, vt *au* sonuisse, testetur.

Saec. I. p. Ch.

Terentiani versus sunt:

Auspice quum dico et aurum, siue Graecis αὖριον; —
A et E nobis ministrant, etc.
OI similiter O et E fit, etc.
Au et eu quum copulamus, u secundam iungimus
Invicem Graecae, quod ὖ ψιλον subdita est vocalis u; —
Porro (v) vocalem secuta vim tenet vocalium;

e quibus satis perspicitur, *αυ* ante consonas sonuisse *au* 79). Item tradit:

Nec tamen diphthongus ista consonante praedita
Poterit esse. —
Tertiam Romana lingua, quam vocant Y, non habet.
Huius in locum videtur V Latina subdita,
Quae vicem nobis rependit interim vacantis Y,
Quando communem Latino reddit, et Graeco sonum;

vnde clarum est *αυ* ante vocales significasse *aw*.

Saec. II.

Plutarchum Latinorum et *au* et *aw* literis *αυ* reddidisse inter omnes constat [80]. — De eo loco, quo Plutarchus dicit *υ* et *ι* ante vocales resilire quasi, hoc est syllabas, quas nos dicimus *wa*, *ja* et ceteras efficere, vidimus supra.

---

79) Hauerc. I, 137. II, 308. Placent. p. 16. Mirtisb. 39. 44.
80) Hauerc. I, 138. v. c. ναυιβος = nauibus.

Saec. IV.

Victorinus, *F*, inquit, *Aeolibus duntaxat idem valet, quod apud nos V, cum pro consonante scribitur, vocaturque βαυ et digamma*[81]. Idem eandem literam *vau* vocat. Hoc loco id confirmatur, quod diximus, Latinorum V ante vocales, quod etiam *βαυ* = *vau* docet, *w* sonuisse aeque atque Graecorum *υ*, vbi istis in locis et verbis pro V (w) scriptum est. Idem cognoscitur ex Donati commentariis: *Vt recte*, inquit, *Dauus* scribatur, Dauos scribendum est. Sed quia nulla litera vocalis geminata vnam facit syllabam nisi coniunctione — vt fit in diphthongis — et ambiguitas vitanda est nominatiui singularis et accusatiui pluralis: necessario pro hac regula vtimur digamma: *Dafus*, *Serfus*, *Fulgus*, *Corfus*[82].

Saec. VI.

Prisciamus habet: *υ*, *ι* et V certis in locis eundem sonum habent[83].

Saec. VII.

Beda Venerabilis infit: *V quoque nonnunquam sibi ipsa praeponitur, vt vultus. Sed al-*

81) Victor. de orthogr. L. 1. p. 96. Wetsten. p. 214.

82) Hauerc. I. 455.

83) Placent. p. 16. Priscian. L. I. c. 1.

terum consonantis locum tenet, cum vel Latine aurum, vel euangelium Graece nominamus [84]. Si recte se habet lectio, docet locus, Bedam verbum *auri awrum* pronunciasse.

Saec. VIII.

Symbolum regis Aethelstani constänter *au* habet pro *αυ* Graecorum. Contra Psalterium Papae Gregorii, quod haud dubie ad saeculum X aut XI pertinet, *αυ* constanter *av* redditum habet [85].

Saec. IX.

Apud Photium *'Αφθαριαται* pro *'Αυταριαται* reperitur [86]. Quamuis vitio librariorum *φ* pro *υ* scriptum esse possit, admodum tamen probacile est, ab hac inde aetate *αυ* Graecorum passim *aw* et *af* ante consonas pronunciari coepisse. Sic codices, in quibus acta concilii Carthaginiensis continentur, pro *Laurentius* passim *Λαβρεντιος* habent, qui quidem aut hac aetate, aut certe insequentibus haud dubie orti sunt [87]. Scriptio *Νουατος* et *Νοβατος* pro Nouatus, quae iisdem in libris obseruatur, nihil offendit.

---

84) Wetsten. p. 200.

85) Wetsten. p. 117. ss.

86) Sylv. Cr. p. 55. Phot. ex Agatharch. 5, 28.

87) Wetsten. p. 209.

Saec. XIV.

Armenopulus, *αὐσητ*, inquit, *λεγουσι οἱ Λατινοι το ἀπειη* [88]. Diserte itaque *υ* a Graecis ad sonum *w* exprimendum adhibetur, vnde colligi potest, tribus saeculis ante coepisse *αυ* ante vocales, vti nunc fit, *aw* et *af* pronunciari.

Nihil itaque inest argumentis e Graeca et Latina lingua ad pronunciationem literarum Graecarum constituendam petitis, quod pugnet cum iis, quae scripturae sacrae interpretes nos docuerunt. Id tantum inde cognouimus, *αυ* ante consonas non solum saeculo V. a. Ch., sed etiam Homeri aetate *au* sonuisse, quem sonum diphthongum etiam Graecis et Latinis testantibus inde a S. IX. p. Ch. in *aw* mutauit. Quod vero *αυ* ante vocales attinet, valuerunt eae literae ab Homero inde vsque ad hunc diem non nisi *aw* aeque atque Latinorum *au* ante vocales positae. Recte itaque et sanae pronunciationes studiosi operam dabunt, vt in proferendo *αυ* vtraque vocalis accurate distinguatur ac percipiatur, quo facto *αυ* sua sponte, hiatu sublato, non *af* quidem, quod pro dolor in proferendis *av* Latinorum auditur, sed *aw* sonabunt ita, vt *υ* cum *w* Anglorum conueniat.

§ 11. *ΕΥ.*

Homerus

cum literis *ευ* aut solis aut consonas praecedentibus ita vsus sit, vt duas syllabas faceret

88) Velasti. l. c. p. 64.

atque primam corriperet, non potuit non *ευ* pro diphthongo habere [89]). Etenim ex *ew* et *ef* diuersae syllabae oriri nequeunt, atque a veritate non tantum, sed veritatis etiam specie abhorret, Homerum ita patria lingua abusum fuisse, vt consonam quandam mutauerit in vocalem. Quod attinet *ευ* ante vocales posita, vix opus est, demonstrare, *ew* ea valuisse. Accuratius enim hac de re expositium est, vbi de *υ* et *αυ* disputauimus, ita vt breues nunc esse possimus. Sufficit, commemorare, *υ* in *ευ* ante vocales in carminibus Homericis passim deesse passim vero adesse, quo loco abest in oratione prosa apud scriptores alios [90]). Nouimus autem, Graecos non solum in fronte, sed etiam in medio verborum sexcentis in verbis scilicet ante vocales sonum *w* abiecisse, ex quo sequitur, iis in verbis, quae apud Homerum *ευ* habent, apud posteriores autem, expulso *υ*, tantum *ε*, valuisse *υ* consonam *w*, contra *ευ*, vbi caret *υ* apud Homerum, significare *ew* apud reliquos Graecorum scriptores. Parum recte hanc rem eo explicuerunt, vt dicerent, non *υ*

89) Exempla sunt: *ἐΰδμητος* (Il. α, 448.) *ἠΰ* (Il. ρ. 456.), *ἠΰγενειος*, *ἠΰς*.

90) Adest in *δευω*, *σευω*, *βασιλευω*, *ἱερευω*, *χευον*, *χευαν*, *χευαι*, *ἀνερυσαν*, *ἐυαδε* (Od. π. 28.) = *ἐαδε* (Theoc. Id. 27, 22.) al. plur. Deest in *ἐαδεν* = *ἐυαδεν* (Aeol.) col. *ἀβηδονα* = *ἀηδονα*, *βροδα* = *ῥοδα*, *ἀορνος* = auernus. *διος* = diuus. *Ἀργειοι* = Argiui, *θαβακος* = *θαακος*, vbi *β* = *υ* sonat *w*.

consonam, sed digamma excidisse. Cum vero iis in verbis, quae integra sunt, non EF reperiatur, sed *ευ*, apparet, quantopere hac in caussa erratum sit. Non negatur quidem, digamma prorsus plerisque in verbis subinde neglectum esse; sed minima fortasse pars verbobum est, quae olim EF notata nunc mero *ε* scribuntur. Scilicet egregium huius rei cognoscendae praesidium linguam Latinam habemus. Nimirum vbi verba Latina e Graecis orta habent V consonum, ibi Graeca etiam suum habuerunt V postea cum *υ* commutatum [91]; contra quae verba apud Latinos F habent, eandem literam apud Graecos haud dubie tenuerunt. Noli obiicere, F, quod perperam nunc *f* = *ph* proferunt, diuersum fuisse a V siue *w*, quod plane est contra inscriptionum et grammaticorum auctoritatem. Hinc quidem, quod non negatur, V et F vtique in verbis passim inter se commutari potuerunt. Iam satis intelligitur, *υ*, vbi inter vocales subinde desiit pronunciari atque scribi, valuisse *w*. Praeterea ex verbo illo Homerico *ἑαδε* pro *εὑαδε* atque aliis nonnullis eodem ex genere, in monumentis veterum exaratis, satis idem perspicitur [92]. — De dialectis haec commemorentur. Locum ob-

91) Exempla sit *ΥΕΛΙΑ* = VELIA = *Υελη* (Herod.) = *Βελεα* = *Ἐλια* (Lat.: Velia, *Fελια*, Helia, Elia). *ΠΡVΤΑΝΕΙΟΝ* = *πρυτανειον*.

92) Cf. Boeckh. Staatsh. T. II. p. 356. s.

tinet *ευ* pro *εο*, *ηο* et *εω*; abit, expulso *ε*, in *ου*, quod est *υ* productum illis in locis; quae singula docent, ex *ευ* ante consonas positis et *ε* et *υ* vocalis potestatem habuisse 93). Praeterea, *ευ* ante vocales *ew* sonuisse, ex eo etiam cognoscitur, quod corripitur his in locis 94). Diphthongi enim maxime *eu* omnium instar *ε* corripi nequeunt. Addere liceat, ne potuisse quidem *ευ* ante vocales aliter, quam *ew* proferri. Quodsi enim veluti in *ευα* enunciando hiatus euitatur atque vtraque vocalis et *ε* et *υ* distinguitur ita, vt *υ* siue *ŭ* corripiatur, sponte auditur *ewa*, neque dubium est, quin Graeci non solum hiatum fugerint, sed etiam accurate enunciauerint vocales. Hac in re monendi sunt ii, qui *ευ* instar *ai* vel *ae*, vti Germani, aut *iū*, vti Angli, enunciant vocis otio post *ai* aut *iu* ante vocales subsequentes statuendo, ne falli se patiantur. Idem cadit in Gallos, qui *ευ* proferunt ö. Scilicet Graeci, si *ευ* pronunciassent *ai*, ö, *iu*, haud dubie *αϊ*, *οι*, *ιου* vel *ιυ* scripsissent.

Saec. VIII.

Latinos non solum literam V et vocalem et consonam, sed etiam verba a Graecis susce-

---

93) Vti in *βασιλευς*, *βασιληος*, *βασιλεϝος*, *θευς* (Call.) *θευμερης* *θευμορος* (Pind.) *Λευτυχιδης* (Herod.) *φωνευντες* (Herod.) pro *φωνουντες* *Πυθευς* = *Πυθηος*.

94) Exempla apponamus: *ἐρεταον εὐηρης* (Od. 11, 106). *πρωτον ἐασας* (*εὐασας*) (Il. 24. 557.) *εὐεργος*, *εὐηνωρ*. col. *ăυερυη* apud Pind. Ol. 13, 78.

pisse, in quibus *eu* = *εv* ante consonas diphthongorum, ante vocales syllabae *ew* potestatem obtinet, supra monitum est.

Saec. IV.

Si non ad superiorem, certe ad hanc aetatem spectare videtur antiquissima quaedam inscriptio Elia, *ΕΥFΑΟΙΟΙΣ* pro *Ἐυαοιοις* incisa habens [95]. Occurunt autem non solum literae *ἐυα* in verbis et nominibus apud scriptores Graecos, sed idem etiam nomen in numis eiusdem fere aetatis sine *F* reperitur, qua de re *εὐα*, cum alias *εὐFα* scriptum sit, non potuit non *ewa* pronunciari. Quaeres, cur F additum sit superuacaneum? Respondeat Quinctilianus [96], *sciat etiam*, inquit, *Ciceroni placuisse Aiio, Maiiamque geminata* i *scribere; quod si est, etiam iungetur vt consonans.* Scilicet neque *i* neque *u*, quod cum *i* parem caussam habere docuimus, ita inter vocales pronunciari potest, vt vocalium naturam plane despondeant. Constanter aliquid *i* et *u* vocalium restat, si *j* et *w* scilicet leniter inter vocales binas pronuncies. Quemadmodum vero Cicero duplex *i* pro *j*, ita etiam Elii *vF* pro *w* potuerunt scribere, quo accuratius verborum sonus seruaretur. Ceterum non aduersarius sim iis, qui contenderint, cum

---

95) Cf. Boeckh. Staatsh. II, 390. s.

96) Quinctil. Instit. Or. S. I. c. 4. n.

illo in verbo literae *ΕΥ* claudant versum atque *FΑΟΙΟΙΣ* incipiant secundum, vitare studuisse inscriptionis auctorem, ne verbum *ευ* diuelleretur atque sonus *υ* tamquam *w* periret.

Saec. I a. Ch.

Latini Graecorum *ευ* siue sit ante vocales, siue ante consonas *eu* scribunt, quod Graeci contra vtroque in loco *ευ* reddunt. Cum vero Graeci Latinorum *eu* ante vocales siue *ew* literis *ευ* significauerint, sane sequitur, Graecos *ευ* istis in locis *ew* pronunciasse. At vero iam obiicitur, nescire nos, vtrum Latinorum *eu* a vocali quadam exceptum *ew* pronunciatum sit, atque debuisse a Latinis *e*, ex *ε* in *ευ* ortum, corripi, si Graeci *ευ* vti *ew* ante vocales pronunciauerint [97]. Quod illud attinet, vix ac ne vix quidem est, quod dubitemus, Latinorum V ante vocales *w* sonuisse. Nolumus repetere illud, ne potuisse quidem aliter accidere per orationis naturam, neque recoquamus, quae supra fusius hac de caussa disputauimus. Etenim V a vocalibus exceptum sonuisse *w*, suadent inscriptiones aetate superiores, quae passim habent *b* eius loco; poetae, qui vocales praeeuntes *V* passim corripuerunt; grammatici in primis Nigidius, Quinctilianus, Terentianus, Victorinus, Priscianus, qui diserte V illis in locis consonam vocant; Claudius, qui F pro V ponendum

97) Vid. Matthiae l. c. p. 16. Buttmann. l. c. p. 23, 5.

curauit atque Graeci ipsi, qui passim *β* pro V vsurparunt. Quodsi itaque *v* et *u* ante vocales eundem sonum *w* non habuissent; non dubium est, quin Graeci constanter *β* pro *w* Latinorum adhibuissent. Quid est vero, quod Latini *e* suum ex *ε* ortum istis in verbis non corripuerint? Scilicet *e* ante *w*, nisi si aut *w* duriuscule instar fere *f* pronuncietur, aut post *e* vox paullulum hiet, corripi haud facile potest. Deinde obseruandum, Graecos etiam *ευ* ante vocales produxisse plerumque [98], neque mirandum, Latinos, Graecorum vsum secutos, idem egisse. Quod vero summum est, non Latini tantum, sed Graeci etiam *ε* aeque atque *α* ante *w* non nusquam corripuerunt [99]. Caue dicas, ita in diphthongis obseruari vocales praeeuntibus. Cum enim neque *αι*, neque *ει*, neque *οι*, neque *υι* diphthongi fuerint, neque diphthongi instar vocalium breuium corripi possint; ne *ευ* quidem recte excipi potest. Hinc autem intelligitur, nullum sonum diphthongum in carminibus Homericis et aliis exstare correptum.

Saec. II. p. Ch.

Quod attinet Plutarchum, de *ευ* ab eo pro *eu* et *ew* scripto modo dictum est [100].

---

98) Vti *εὔεργος* (Od. 15. 422.), *νεοντι κελευεις* (Od. 17, 281). *εὐηγενεων* (Il. 23, 81.) *εὐεργεσιη* (Od. 10. 374.)

99) Exempla afferri possunt: auernus (*ἄυορνος*) ŏuatio (*εὐασμος*) coll. ouis (*ὄϊς*) *ἔαδε* (*εὔαδε*, verendum enim, ne de consilio neglectum sit *υ*) *ἀυερυη* (Pind.) al. pl.

100) Seuerus = *Σευερος* et *Σεουερος* Heluetii = *Ἑλουετιοι* et *Ἐλβετιοι* col. *Ἀυαντικοι* = Auantici, *ναυιβος*.

Saec. VIII.

Symbolum Graecum Anglosaxonicis literis conscriptum *εv* in *πνευμὰ eu* redditum habet, contra Psalterium Gregorii, quod haud dubie duobus aut tribus saeculis post ortum est, constanter pro *εv* literas Gothicas *ew*, si recte legerunt, exhibet [1].

Quamquam desint satis certae rationes, probabile tamen est, saeculis nonnullis ante id, quod Symbolum Graecum literis Gothicis conscriptum profecit, *εv* ante consonas *ew* proferri, vti nunc solet, coepisse. Neque abhorret a vero, cuius rei interpretes Armenii auctores et suasores sunt, *εv* inde a saeculo VI. nonnullis in verbis *ew* primo pronunciatum fuisse. Ante eam autem aetatem, *εv*, sequente consona, instar Italorum *eu* sonuisse, ita vt vtraque vocalis nimirum *e* et *u* perciperetur, etiam Graeca et Latina lingua docent earumque monumenta.

§ 12.

De pronunciatione reliquarum literarum Graecarum scilicet *αϊ, εϊ, οϊ, ηι, ηυ, ωι, ωυ, αϋ, αϋ*, aliarum parum hactenus quaesiuerunt, neque vero est omnino dolendum, nulla ad earum sonum constituendum allata esse argumenta. Coniecturis enim assequi possumus, quo modo istae vocales aut diphthongi a Graecis subinde

1) Wetsten. p. 118.

pronunciatae fuerint. Tenendum enim, literas compositas simplicium habuisse fatum, ita vt, cum veluti *ηι* nunc sonet apud Graecos *ī̄i*, haud dubie *υ* et *η* in *ηυ* et reliquis eodem tempore *i* atque *w* sonum subierint, quo alias eodem modo pronunciari inceperunt. Praeterea memorandum est, *ι* et *υ* ante vocales consonantium ratione prolata fuisse, qua de re *αϊ*, *εϊ*, *οϊ*, *ηι*, *ηυ*, *ωι*, *ωυ* ante vocales non potuerunt non *aj*, *ew* et sic porro sonare. Literas *αϊ*, *εϊ*, *οϊ* ante consonas — de oratione prosa enim dicimus — diphthongos significasse, supra vidimus. Differunt autem *ηι* ab *εϊ*, *ηυ* ab *ευ*, *ωι* ab *οι* vti *ēĭ* ab *ĕĭ*, *ēŭ* ab *ĕŭ*, *ōĭ* ab *ŏĭ*, quod contra est in *εει*, *εου*, *οει*, quae secundam vocalem habent productam. Possunt quidem omnes istae literae pro diuersis syllabis haberi, sed ea est duarum vocalium vno tenore pronunciandarum earumque nulla consona diuisarum ratio, vt et diphthongorum et dissyllaborum indolem prodant neque nisi arte discerni possit, vtrum sonus *ei*, vt hoc vtamur, diphthongus an dissyllabus sit. Hinc accidit, vt Homerus, Pindar atque reliqui non solum istas literas, sed alias etiam, cuius generis sunt *εω*, *ωε*, *εα*, *αε*, *οα*, *αο*, *ευ*, *αυ*, nunc pro dissyllabis, nunc pro diphthongis atque vocalibus productis adhibuerint. Iam apparet, quam perfecta atque fere absoluta fuerit Graecorum scriptura et oratio. Ita enim literis et sonis variis abundarunt Graeci, vt non solum pro singulis vocalibus, quas prouti homines cul-

tissimi satis distinxerunt, singulares literas haberent, sed etiam diphthongos omnes earumque partes, quae alterutra litera aut breuiori aut longiori paullulum differunt, accurate significare possent. De *εϋ* et *αϋ* monendum, *υ*, cum puncta sibi imposita habet in prosa, significare non *u*, sed *ü*, vti in *ἀϋπνος*. Quod denique attinet *ωυ*, ex eo clarum est, eas literas sonuisse *ōu*, quod in verbis contractis, vbi *υ* sonat *u* breue, vocalis antecedens perit [2]. Etenim in diphthongis, cum vocali quadam contrahendis, non nisi alteruter sonus abiici potest. Cum vero omne *υ* a Graecis subinde in *ü* et *i* mutatum sit, non habemus, quod opponamus interpretibus S. S., qui, *ωυ* subinde a saeculo IV. ad *ōü* et *ōï* abiisse, suadent.

De consonis.

§ 1. *B.*

Nolumus de literis consonantibus nunc disputantes ea repetere, quae de pronunciatione earum Cadmea aetate vsitata supra expositum est. Id tantum curabimus, vt, quid argumentis e lingua Graeca et Latina petitis de pronunciatione consonarum probare studuerint atque probari possit, cognoscatur.

Saec. VIII.

Ante hanc aetatem, fortasse ab antiquissimis inde temporibus *β* aeque atque *b* Latinorum

2) V. c. *ὠυτος* = *ὁ αὐτος*, *ἑωυτου*.

non *w*, sed *b* valuisse, verba demonstrant βλη-χειν, balare, βληχασθαι, *blecken*, *bleeten*. Etenim cum ouium voces sint *be*, neque vero *we*, non dubium est, quin Latini et Graeci eiusmodi verba πη potius et *pe* scripsissent [3]. Praeterea Latini sexcenta habent verba litera *b* scripta, vbi Graecis est β. Latinorum autem *b* non *w* sonuisse, partim ob eam caussam parum probabile est, quoniam nunc sonat *b* — non enim regredi recte potuit pronunciatio Latina — partim, quoniam Latini, si *b* valuisset *w*, triplex w scilicet V, F et B habuissent, sono autem *b* caruissent. In primis vero tenendum, Latinos passim *v* habere loco β Graecarum [4], vnde patet, reliquis in locis *b* = β non *w* sed *b* sonuisse. Quamuis vero inde certum reddatur, *b* aeque atque β in fronte verborum *b* sonuisse; neutiquam tamen ex his probari potest, quod hactenus neglectum est animaduertere, *b* = β inter vocales binas non *w* pronunciatum esse. Qui enim censent, β et *b* inter vocales etiam *b* proferenda, nimium a reliquarum linguarum ratione discedunt sonosque nimis raucos et duros vtrique linguae inferunt. His tantum in locis haec probanda videtur sententia, vbi verba a β incipientia ita creuerunt in fronte, vt novum verbum desinens in vocalem additum sit.

---

3) Hauerc. I, p. 55.

4) Vti vis = βια volo = βουλομαι. Cf. Reuuens Collectanea literar. Lugd. Batav. 1815. p. 174.

Ceterum *β* inter vocales *v* siue w sonuisse, inde patet, quod aeque atque *v* excidit binis vocalibus medium, vti in illo Cretensium *ἀβελιον* pro *ἀελιον*.

Saec. V.

Trita est illa Herodoti fabula, qui infantes, a Psammeticho caprae relictos, maternos sonos *βεκβεκ*, vti recte Apollonii Scholiasta censuit, primos et solos enunciasse tradit 5). Quamuis vero inde concludendum sit, *β* initio verborum *b* valuisse; non impedit, quominus, *β* inter vocales *w* sonuisse, dicatur. —

Ὁδ' ἠλιθιος ὡσπερ προβατον βη βη λεγων βαδιζει.

Si *β* valuisset *w* Cratinus scripsisset *πη* aut *μβη* vel *μπη*, vti Graeci nunc solent 6).

Saec. IV.

Τοτε σιγμα, inquit Plato, *των ἀφωνων ἐστι ψοφος τις μονον, οἱον συριττουσης της γλοσσης· του δ' αὐ βητα οὐτε φωνη, οὐτε ψοφος* 7). Quodsi *β* valuisset in genere *w*; aeque atque *s* sibilasset licet lenius, neque vero vocem et halitum supprimere potuisset auctore Platone.

---

5) Reuuens. Collect. p. 176. s.

6) Hauerc. I, 55. 311. Placent. 27. Reuuens. 177.

7) Mirtisb. p. 25.

Saec. III.

Graecos litera *β* Hebraeorum ב atque etiam ו scilicet inter vocales reddidisse, supra accuratius demonstratum est [8].

Saec. I a. Ch.

In reddendis nominibus Graecis et Latinis *β* et *b* inuicem adhibentur. Attamen non silentio praetereundum, Graecos Latinorum *v* non solum verborum in medio, sed passim etiam in capite *β* scripsisse [9]. Parum recte ex eo, quod Graeci Latinorum *v* inter vocales medium *β* scripserunt, concluditur, Graecos ab initio scripturae *β* vbique locorum *w* pronunciasse [10], quo id potius confirmatur, *β* inter vocales tantum haud aliter pronunciari potuisse quam *w*. Quod attinet *β* initio verborum pro V scriptum, probe obseruandum, Graecos *v* non adhibere tunc recte potuisse, ne *v* (*w*) pro vocali *ü* sumeretur, vti in numis Veliensibus, atque *ου* etiam ambiguum fuisse, quod, quippe longum, sonum *u* pro *w* exhibere potuisset. — Tradit Cicero, *bini* et *βινει* idem sonare, in quo affe-

---

8) Hauerc. II. 585.

9) Hauerc. II. 648. Wetsten. p. 212. Reuuens. 179. E. c. *Ὀκταβια*, *Σερβιος*, *Λιβιος*, *Ῥαβεννα*, *βηλον*, *βηλατρον* (velum, velatrum) *νοβουμ κομουμ* (nouum comum) Strabo. *ΙΑΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ* (bis) in numo ex h. aet.

10) Cf. Matthiae p. 17.

rendo, vt recte monuit Georgiades, neglectum est probare, *b* Latinorum non *w* sonuisse [11]. Huc facit locus Varronis: *ea enim*, inquit, *sua voce Graeci appellarunt μηλα, nec multo secus nostri ab eadem voce, sed ab alia litera, bela vocarunt; non enim mee sed bee sonare videntur oues, a quo post balare dicunt, vna litera extrita, vt fit in multis.* Quodsi *b* Latinis fuisset pro *w*; non potuisset profecto ita disputare Varro neque voces ouium scribere *bee*.

Saec. I. p. Ch.

In numis Titi aliisque *β* haud raro pro *v* inter vocales reperitur [12]. — Verrius apud Gellium fascinum appellat quasi *βασκανον* et fascinare esse quasi *βασκανειν*, sed parum certa videntur, quae inde colligi possint [13]. — Numus Traiani, in quo *Danubius* pro *Danuuius* exstat, confirmat, Latinos etiam *b* inter vocales instar *w* pronunciasse [14].

Saec. II et III.

Plutarchus, Dio Cassius aliique Latinorum v inter vocales nunc *v* nunc *ου* nunc *β* scri-

---

11) Hauerc. I, 54. 444. II. 122. Reuuens. 178. Georgiades 120. Mirtisb. 26.

12) Wetsten. p. 313. Placent. 27. V. c. Ὀκταβια Φλαυιος = Φλαβιος = Φλαουιος, quae omnia occurrunt

13) Gell. L. XVI. c. XII. p. 142. ed. Ald

14) Wetsten. 95.

bunt, rarius β pro ν initio verborum, qua de re supra vidimus [15]. — Locus Plutarchi [16]: *βυσιος mensis, vt plerique putant φυσιος, est a nascendo, dictus; sed ita res se non habet. Non enim φ litera pro β vtuntur Delphi, sed loco literae π; solent enim πατειν et παθειν, πικρον et βικρον aequaliter pronunciare. Est ergo βυσιος dictum pro πυσιος, quod eo tempore Deum sciscitabantur*; ita sane comparatus est, vt inde, β nisi omnibus, certe plurimis in verbis initio positum lenius quam π siue vt *b* pronunciatum tunc temporis esse, concludi possit. — Herodianus *verissimum* scribit *βερισσιμον*, *Seuerus Σεβηρος* [17]:

Saec. IV.

E versu Ausonii,

Diuiduum Beta, monosyllabum Italicum B;

quae colligi possint, parum certa videntur [18].

Saec. V.

Victorinus, *F*, inquit, *vocatur βαυ* (וו) *et digamma* [19].

---

15) V. c. *Σερβιος* alias *Σερουιος* Hauerc. I, 56. 311. 447. 448.

16) Mirtisb. p. 27.

17) Wetsten. 211. Hauerc. II. 586.

18) Mirtisb. p. 26.

19) Wetsten. p. 214.

Saec. XI.

Suidas V Latinorum plerumque *β* reddit [20]. — Hoc saeculum vel superiora etiam codices MSS. profecisse videntur, in quibus *β* saepissime pro *υ* exstat [21]. Cum vero iisdem in libris *β* etiam loco *υ* in diphthongo *αυ* scriptum sit, clarum est, hac aetate vel superioribus nonnullis *β* vniuerse *w*, vti nunc fit, a Graecis pronunciatum fuisse [22].

Saec. XII.

Balsamon etiam *β* pro *ν* constanter scribere non dubitauit [23].

Admodum itaque probabile est, *β*, quamquam iam antea fortasse passim *w* in capite verborum falso pronunciaretur, potissimum inde a saeculo VIII. vel VII. etiam eo modo proferri coepisse, quo nunc solet.

---

20) Wetsten. p. 212. Velast. p. 98. Placent. p. 27.

21) Wetsten. l. c. Velast. l. c. Placent. l. c. Huius generis sunt: *Βενετιανος Βεστιαριος*, *βηρος*, *Βεστινοι βηρουνιον* (virunium). MS. nomoc. Basil. *βιτιον βικτουρα* (victoria?) *βοτρανος* al. pl.

22) Georgiad. l. c. §. 32. ss. Vti *λαβρος* et *λαυρος*, *μαβρος* et *μαυρος*, *λαβρατον* et *λαυρατον*, *Αὔγαρος* et *Αβγαρος*, *Ἕβρος* et *Εὗρος*, *ναβλα* et *ναυλα* (Maittair. 537).

23) Velast. 98. Placent. p. 27. V. Balsam ad c. 70. Trullan. Vti: *Βελιαιτιον*, *φουρτιβα βι ποσεσα* (furtiua vi possessa) al.

§ 2. Γ.

Quamquam de sono γ, quae litera nunc *j* et *g* verbi *sagen* a Graecis profertur, disputatum est, tamen paucissima aut nulla argumenta protulerunt, quibus sententiam defenderent. Id potius egerunt viri docti, vt γγ aut *gg*, aut *ngh* valuisse demonstrarent. Secundum S. S. interpretes certum quidem est, γ inter vocales *gh*, alias *g* sonuisse, sed dubitare licet, vtrum γγ, quod postea accidit, saeculo VI. et V. iam a. Ch. *ngh* significauerint, nec ne. Videamus, quid aliunde ad hanc quaestionem soluendam proferri possit.

Saec. VIII.

Latini, cum scribendi artem et rationem a Graecis acceperint, non dubium est, quin literis g et γ, gg et γγ parem initio vim tribuerint. Tradunt enim, Varro et Prisciamus, qui haud dubie aut inscriptiones aut libros antiquos ante oculos habuerut, Romanos veteres literas *gg*, *gc* scripsisse, quo loco nunc *ng*, *nc* reperiuntur [24]. Hinc cum postea vbique *n* loco *g* positum reperiatur, vtique sequi videtur, inde a saeculo VIII. certe Graecos γγ literis sonos *ng* significasse. Hoc saltem negari nequit, Graecos γ pro ν scripsisse, cum ν certis in locis in γ mutauerint; id tantum quaeritur, inde a quonam tempore acciderit hoc [25].

---

24) Velasti. 102.

25) Sic e verbis ἐν χεὶρ fit ἐγχειρίδιον. Hauerc. II. 129.

Saec. V.

Graecos γ in mediis verbis *gh* pronunciasse, ex eo cognoscitur, quod ibi pro κ ponitur, vti in ἐοιγμεν pro ἐοικαμεν (Soph.) et passim excidit, vti ex ὀλιος, quodque alternant γ et λ quippe affines.

Saec. IV.

Exstat in marmoribus inscriptis, quae fortasse hanc aetatem attinent, γ pro ν aliis etiam, atque dictum est, in locis [26]. Cum vero nulla sit inter sonos *g* et *n* affinitas, neque dialectis ea scriptio tribui possit, cumque inscriptiones aetate et superiores et aequales illis in locis ν pro γ habeant; vtique sequitur, γ non solum illis in locis, sed alias etiam *n* significasse. Praeterea γ non *j* et *ch* initio verborum valuisse, inde cognoscitur, quod iisdem in marmoribus γ pro κ ante literas δ, λ, μ vsurpatum est [27].

Saec. III.

Cum lapides ν habeant, quo loco postea γ,

ἐγδειξαντο = ἐνδειξαντο. Chishul. Antiquitat. p. 106. l. 13. Nonnullis in verbis autem γγ sonuisse *gg*, monuit Splend. Hermann. l. c. p. 59. *s.*

26) V. c. τηγγραφην, τογχρονον, ἐχθρογκαι. Marmor. Oxon. II. l. 47. l. 16.

27) Vti ἐγδε, ἐγΛυκωρειας, ἐγμεν. Marmor. Oxon. II. l. 21. l. l. 7. II. l. 21. pl. p. 615.

ante *γ*, *κ*, *ξ*, *χ* scriptum est, satis perspicitur, *γ* istis in locis *n* valuisse [28].

Saec. II.

Ab hac inde aetate, quod inscriptiones testantur, *ng* scriptum est pro *gg* apud Latinos, ita vt non solum in verbis Graecis, sed etiam nomibus reddendis *ng* et sic porro pro *γγ*, *γκ*, *γξ*, *γχ* adhiberetur [29].

Saec. I a. Ch.

Aggelus, inquit Varro, *aggens*, *agguilla*, *iggerunt*, *in eiusmodi Graci et Actius noster binam g scribunt*, *alii* ng, *quod in hoc veritatem facile videre non est*, *similiter agceps et agcora* [30]. — Praeterea Latinorum *g* non *gh* siue *j* et *ch* sonuisse, testem habemus Nigidium, qui tradit, *n* in *angoria*, *ingenuus non verum esse*, *sed adulterinum* [31]. Cum enim *n* illud, quod Nigidius in mente habuit, nasale non possit cum *gh* vel *ch*, vel *j* coniungi, vti in superioribus demonstratum est, sequitur *g* Latinorum sonuisse *g* siue *k* lene. His denuo con-

---

28) Huius generis sunt: *συνκλυτον*, *συνχωρησουσι*, *λανχανοντων* Marmor. Oxon. IV. l. 10. CLXXIV. l. 8. l. 54. CLVI. l. 7.

29) Hauerc. 164. Velast. 102.: ancora, ango, lynx al.

30) Hauerc. 164.

31) Wetsten. 94. V. Gell. L. 19. c. vlt.

firmatur, Graecorum etiam γ verba incipiens aut finiens atque consonas praecedens *g* (= k lene) significasse. — Praeterea γγ sonuisse *ng* ex eo sequitur, quod Graeci iis literis Latinorum *ng* reddiderunt.

Saec. II p. Ch.

G aeque atque γ, quod illi originem dedit, hac etiam aetate *g* sonuisse, auctor est et suasor Terentianus [32]:

K perspicuum est litera quod vocare possit
Et Q similis; namque eadem vis in vtroque est.
Quia qui locus est primitus, vnde exoritur C.
Quascunque deinceps libeat iungere voces,
Mutare necesse est sonitum quidem supremum
Refert nihilum, K prior an Q an C,
Aut G quoque vel C.

Saec. IV.

Victorinus docet, γ ante γ et ante κ proferendum vti *n* nec nisi, *quoties duorum g sonum aures exigent, duo g* vult scribi. Idem alias haec habet: *Graeci, cum scribunt ἀγγελος, ἀγγος et similia, si syllabam AN sequatur syllaba, quae initium habet a* G *et a* C, *conuertunt* N *in literam* G *et pro* NG *scribunt, vt ἀγγελος, ἀγκυρα, ἀγχιστα, cum inter* N *et* G *medium sonet vocis productae* [33]. Ceterum hoc

32) Hauerc. I, 164. II, 129.

33) Wetsten. p. 96.

ex loco cognoscitur, γ et *g* inter vocales *gh* sonuisse. Scilicet duplicem Victorinus sonum discernit alterum *g* alterum *c*, ante quem *n* a Graecis in γ mutetur. Ad illum pertinent pro huius loci ratione γ et χ, ad hunc κ. Quodsi itaque γ inter vocales etiam instar *g* vel *k* sonuisset, non commemorandum fuisset *G*, quod pertinet ad ἄγγελος et ἄγχιστα, sed ad solum *c* siue *k*, quod pertinet ad illud ἄγκυρα, prouocandum.

Saec. XI. et XII.

In codicibus MSS., quos haec et superiora etiam saecula protulerunt, sexcentis in verbis νγ, νκ, νξ, νχ pro γγ, γκ, γξ, γχ scripta reperiuntur et contra. Idem cadit in numos e variis aetatibus [34].

Quamuis ex his parum cognoscatur, quo tempore γ eo modo pronunciari coeperit, quo nunc solet apud Graecos; hoc saltem perspicuum est, γ ab antiquissimis inde temporibus *g* siue *k* lene valuisse inter vocales autem *gh*. Hinc cum *gh* lenitate differat a χ, non mirundam videtur, Graecos literae γ duplicem quandam potestatem tribuisse instar signi ג Cadmei. Quod attinet γ ante literas *g* et *k* sonantes vti *n* pronunciandum, offendit sane, Graecos diffici-

---

34) Wetsten. 216. Exempla apponamus: παλινγενεσια ἐνγειρει (ἐνχειρει) συνκριτον. Numi habent συνκλητον et συγκλητος, λογγειν et λονγειν, ἄνκυρα et ἄγκυρα.

liorem scripturam atque ambiguam faciliori et certae praetulisse; sed haec etiam caussa excusatione non eget. Etenim duplex *n* nouimus, alterum, quod lingua anteriori profertur, alterum, quod posteriori. Hinc vtique licuit Graecis, singulari modo illud *n* nasale, quod vocant quodque nulla nunc gens, Cadmeam incuriam secuta, singulari signo innuere didicit, significare vti in *ἄνκυρα*. Sed cum *n* nasale difficillime ante consonas *ch* vel *gh*, praesertim si sequatur vocalis *ü* aut *i* aut *e*, proferri possit, neque probabile sit, Graecos nimium laborasse in loquendo; denuo offendit, Graecos aliter scripsisse quam pronunciasse. Sic in proferendis vocibus, vt his vtamur, *ἄγγελος*, *Ἀγχίσης*, *Σφιγγι* si adhibere volueris *n* nasale siue sonum *ng* verbi *Anger*, magnopere vereor, vt successerit ex voto [35]. Sua sponte aut facilius longe orietur *n* vulgare. Attamen hic etiam scrupulus euelli potest, dummodo statuatur, loco *gh* prius *k* sonum ante illud *n* in vsu fuisse atque Graecos primariae formae (vti *Σφιγξ*) aut antiquae scripturae rationem seruasse.

§ 3. *Δ* et *Θ*.

Vtraque litera nunc a Graecis instar Anglorum *th* profertur, ita vt *δ* vix paullulum lenius sonet quam *ϑ*. Quae quidem pronunciatio tri-

35) Buttmann. l. c. p. 15, 4. p. 19, 3.

bus statim de caussis pro genuina et vera haberi nequit. Cum enim Latini, olim nihil a Graecis diuersi, Graece siue Aeolum siue Dorum modo locuti sint; cogitur, *d* et δ, *th* et ϑ, quae sibi respondent inuicem, parem potestatem habuisse. Quodsi ergo δ et ϑ statim ab initio Anglicum quoddam *th* valuissent, deberent Itali nunc *d* et *th* aeque atque Graeci δ et ϑ proferre, praesertim cum Latini et Graeci pari modo in genere quidem literarum sonum mutauerint. Deinde sonus *th*, quem diximus, is est, qui e consona *d* oritur. Quemadmodum vero Graeci β in w, γ in *gh* mutarunt, ita etiam δ et ϑ in *th* Britannorum conuertere et potuerunt ac debuerunt. Deinde a probabilitatis specie plane abhorret, Graecos sono et litera *d* caruisse atque pro consona *s* tria vel quatuor signa σ, δ, ϑ, ζ, quae vix paullulum nunc inter se differunt, in vsu habuisse. Huc accedit, quod in superioribus demonstratum est, saeculo VII. et VIII. p. Ch. δ sonum *d*, paucissimis verbis exceptis, adhuc tenuisse, ϑ autem alias *th* vulgare, alias Anglicum valuisse. Quodsi itaque δ et ϑ statim ab initio, eo modo a Graecis pronunciatae fuerint, quo nunc solent, non potuissent sane certo quodam tempore inter se discrepare atque, quod summum est, δ et ϑ aliis in locis alium sonum significare. — Quae e dialectis atque grammatica pro enunciatione δ et ϑ colligi possunt, haec fere sunt. Dores

ϑ mutant in σ [36], ex quo sequi dicunt, ϑ valuisse *th* Britannorum. Contra monendum, Lacones istos et Aeoles varii generis consonas in faciliores mutare ita, vt pro iis, quae occlusa oris cauitate proferuntur, vti ϰ, ν, π, adhibeant eas, quae labiis apertis et lingua soluta, vti γ (gh), σ, φ enunciantur [37]. Cum vero eadem ratio sit inter ϰ et γ, π et φ, quae est inter *t* et *s*; probatur potius illa Dorica mutatione ϑ in σ, ϑ sonuisse *t* atque commoditatis caussa in *s* conuersum esse. Ceterum Lacones istos facilitatem loquendi secutos esse, inde patet, quod consonas inter vocales, vti accidit etiam consonae υ, resecuerunt integras [38]. Quod autem σ inprimis pro ϑ adhibitum est, inde cognoscitur, ϑ lenius, quam τ aut *t* cum spiritu *h* pronunciandum significasse. Deinde frequens est apud Graecos mutatio etiam τ in ς [39], vnde τ sonuisse Anglicum *th*, nemo recte concluserit. Huc spectat actio caussae τ contra σ apud Lucianum, quae docet, Graecos τ etiam frequenter in *s* pronunciando mutasse, atque aliis in

---

36) Vti *σειος*, *Ἀσαναια*, *ἀγασως*, *σετω*, *παρσενεσια* al. v. Maittaire p. 148. Cf. Hermann. de emend. rat. p. 54. Matthiae Gramm. p. 17, 3.

37) Huius generis sunt: *ὠγηνος* pro *ὠκεανος* *μεις* pro *μην* *Φερσεφονα* pro *Περσεφονα*.

38) V. c. *μωα*, *παα* (Arist. Lysist.) col. *βιαται* (Pind.)

39) Att. *γλοττα* pro *γλοσσα*, *τετταρες* (Dor.) *φραττω* pro *φρασσω*, *εἰκατι* (viginti) *σαμαν*, *τυ*, *τευ*, *τοι* (tu, tibi, te) *εὑρηκατι* (col. — it Lat. e. g. legit) Aeol. *ἐμπισσειν* pro *ἐμπιπτειν* al.

linguis potissimum in Germana sexcentis in verbis non solum *d*, sed etiam *t* et *th*, quod linquae Gothicae ratio atque dialectus Saxonica testantur, subinde in *s* conuersum est. Sic *th* Britannorum, quod non nisi *s* blaesum valet, ex *th* et *t* ortum est pronunciatu difficilioribus. — Obesse huic sententiae videtur, quod ϑ ante σ vti in futuris et aoristis et post eam consonam apud Dorienses omittitur. Sed cum ϑ aliis etiam in locis aliaeque etiam literae ante σ excidant verbis atque *ts* vel *ths*, aeque atque *z*, quippe difficilius pronuncianda, facillime apud alias gentes merum *s* euadant, rectius haec res eo explicanda videtur, vt dicas, Graecos commodi studio ductos ϑ ante ς atque post ς suppressisse [40]. — Quod attinet mutationem τ ante spiritum asperum in ϑ, inde cognoscitur egregie, qualis fuerit literae ϑ sonus germanus atque genuinus [41]. Scilicet veteres Graeci Θ, priusquam litera ea in vsum venerit, scripserunt TH, spiritum asperum vero H. Hinc Graeci KATHON scripserunt KATH : ON, serius *ΚΑΘ : ΟΝ* atque hoc etiam explicatione non eget, *t* ante halitum sponte emollire sonum atque propius ad *d* accedere. Ceterum δ et ϑ

---

40) Deest ϑ v. c. in *πεισο*, *ἔπεισα*, *ἔσλος* col. *πορις* pro *πορτις* *ἀρκος* pro *ἀρκτος* *πολις* pro *πτολις*. Periit ϑ eodem modo in *διχϑα*, *μαλϑακος*, *τελϑος*; pereunt ante σ aliae etiam literae: *συν* pro *ξυν* (*κσυν*) *ἀνασυρις* pro *ἀναξυρις* al.

41) Cf. Hermann. de emend. rat. p. 54.

sonuisse *d* atque *t* vel *d* cum spiritu, eo confirmatur, quod cum literis vocem abscindentibus veluti β, γ, vbi verba incipiunt, ν, π, τ, aliis commutantur, nec nisi iis in dialectis in literas soluto ore et lingua proferendas vertuntur, quae eiusmodi consonis gaudent. Deinde δ et ϑ innumeris fere in locis apud varias Graeciae gentes alterum alterius loco reperiuntur, vnde cognoscitur δ et ϑ lenius sonuisse τ. Cum vero ϑ et τ etiam haud raro alternent, probabile redditur, ϑ durius quoddam δ et adspiratum significasse.

Homeri aetate

δ non blaesum *s* valuisse, docet locus ille Odysseae, in quo Vlysses verbum *οὐτις* vel *ὀτις*, vti veteres pronunciarunt, syllabis *'Οδυς* comparat.

Saec. IV.

Inscriptio vetustissima *δια παντων* scribit *δια πανδων*, quod haud facile accidisset, si δ *s* blaesum valuisset [42]).

Saec. II.

Commutantur inter se *d* et *t* in inscriptionibus Latinis [43]), qua de re apud Romanos etiam *d*, quod respondet δ Graecorum, *d* valuerit necesse est.

42) Ios. Scalig. anim. in Chron. Euseb. p. 113.

43) Hensel. Harmon. ling. p. 314. V. c. *haut* et *haud.*

Saec. I. a. Ch.

Cicero in Tusculanis *ἐντελεχεια* scribit *ἐνδελεχεια*[44] — Dionysius Halicarnassensis haec habet: *κειται των Τρωϊκων θεων εἰκονες ΔΕΝΑΣ ἐπιγραφην ἐχουσαν, δηλουσαν τους Πενατας· δοκει γαρ μοι του Π μηπω γραμματος εὑρημενου τῳ Δ δηλουν την ἐκεινου δυναμιν τους παλαιους*[45]. Siue recte coniecerit Dionysius, siue errauerit, certe nulla est inter *th* Anglici et *p* affinitas.

Saec. I. p. Ch.

Quid T, inquit Quinctilianus, *literae cum D quaedam cognatio? Qua re minus mirum, si in vetustis operibus vrbis nostrae et celeberrimis templis leguntur Alexanter et Cassantra*[46]. Hinc satis clarum est, Latinos *d* instar consonae *t* neque vero *s* pronunciasse. Quamuis itaque aliquis dixerit, quod concedi nequit, Latinos literis *δ* et TH nouam quandam potestatem tribuisse; non potuissent tamen Latini pro Graecorum *δ* et *ϑ* *d* et *th* atque Graeci pro *d* et *th* *δ* et *ϑ* adhibere, si *δ* et *ϑ* eum tunc temporis sonum habuissent, quem produnt hodie Graeci.

Saec. II.

Apud Lucianum *ἐνδελειχεια* pro *ἐντελεχεια* reperitur[47]. — Narrat Plutarchus, *Delphos*

---

44) Hauerc. II, 592. s.

45) Dion. Halicarn. Antiq. p. 55.

46) Quinctil. Instit. Orat. L. I. c. 4, 16.

47) Wetsten. p. 217.

πατειν pro βαθειν, πικρον pro βικρον pronunciare[48]), qua de re π a β distulisse cernitur ita, vt τ a ϑ siue *t* a *d* vel *dh.*

§. 4. Z.

Venimus ad ζ, quod quidem non σδ sonuisse, vti docetur a grammaticis plerisque, vnum illud testatur, quod Aeoles et Dorienses, qui litera ζ quidem alias vsi sunt, ζ aliorum verborum in σδ mutarunt[48]). Alioquin Aeoles aut ζ aut σδ expulissent. Quamuis interpretes S. S. luculenter demonstrauerint, ζ initio *ds* valuisse atque serius demum sonum ç Gallici subiisse, videamus tamen, quid e scriptis Graecis et Latinis hac de re colligi possit. Ac primo ζ siue aliam quandam literam vicariam

Homeri aetate

consonam duplicem significasse, id argumento est, quod ζ vocales breues, quae praecederent, etiamsi vltimae essent in vocabulis, paucissimis exceptis, longas fecit[50]). Iam vero Aeoles et Dores ζ haud raro mutant in σδ, quas literas in ζ latuisse non dubium est. Constat autem gentes illas literarum ordinem saepissime inuertisse ita, vt veluti pro ψ pronunciauerint σπ,

48) Mirtisb. p. 27.

49) Cf. Splend. Hermann. de emend. rat. p. 54. s. Exempla sunt *μελισδεται, σδευγλα.*

50) Cf. Hermann. l. c. p. 56.

σκ pro *ξ* [51], qua de re *ζ* non potuit non *δς* valere. Idem cognoscitur ex eo, quod *ζ* alias *σσ* alias *δδ* euadit [52]. Etenim vtroque in loco altera consona, quae inest signo *ζ*, cessit alteri, quae hinc duplicaretur necesse erat. Eas itaque ob caussas *ζ* non *ts* quidem, sed *ds* significasse, haud facile aliquis infitias iuerit. Ceterum, quod hac in re grauissimum est, Graecis sonus *ds* siue *z* neutiquam deesse potuit. Omnes enim consonantium, quae per suam naturam coire solent, compositiones et coniunctiones, velut *sd*, *sp*, *ks*, *ps*, *sk*, reperiuntur apud Graecos, qua de re *ds* etiam siue *z*, praesertim cum literae haec in omnibus linguis copulatae veniant, Graecis in vsu fuisse atque sub litera *ζ* latuisse cogitur. Seriori etiam aetate Graci sono *z* non caruerunt, quippe *τζ* scribentes. Quid vero statuendum, rogas, de eo, quod veteres *ζ* scripserunt, quo loco posteri *σ* posuerunt [53]? Scilicet quemadmodum aliae nationes veluti Itali, Galli, Germani, Angli, e conso-

---

51) Huius generis sunt: *viscos* = *ἴξος*, *σκενος* = *ξενος* col. *Σδευς* = *Ζευς*, *σπελλιον* = *ψελλιον*, *σπαλιδα* = *ψαλιδα* col. *βλασαμον* = *βαλσαμον*.

52) V. c. *μασσων* = *μεζων*, *φρασσω* = *φραζω*; *μαδδα* = *μαζα*, *μυσιδδειν* = *μυσιζειν* al. sexcenta coll. *κοψιφος* = *κοσσιφος*, *διξας* = *δισσας*, *πασσαλος* = *παξιλλος*.

53) V. c. *Ζμυρναιων* (Marmor. Oxon. p. 559. l. 21.) *κοζμῳ* (Grut. Insc. p. LXXXVI. 8.) *ζμαραγδος* (Vrna Dansq. Orthogr. T. II. p. 310.) Cf. Hermann. Matthiae. Buttmann. ll. cc.

nantibus compositis alterutram subinde missam fecerunt, ita Graeci etiam non solum e *δς* (*ζ*), sed etiam e *σμ*, *κς* (ξ), *πς* (ψ), *βδ*, *βρ*, *ρβ*, *πτ*, *γν*, *ργ*, *δρ*, *χθ* alterutram subinde, quo cultiores euaderent, neglexerunt ita, vt ex *ζ* nunc *δ* nunc *ς*, ex *σμ* nunc *μ* nunc *σ* et sic porro eiicerent [54]. Quodsi ergo *ζ* sono simplici initio fuisset, potuisset sane neque vocales breues producere, neque in duplices *δδ* et *σσ* resolui, neque alias *δ* alias *σ* proficere, nec denique, consonis inuicem positis, *σδ* euadere.

Saec. II.

Latini cum *Z* a Graecis petierint, quod gramatici literaeque figura et locus in ordine Alphabeti probant, atque loco *ζ* in reddendis verbis adhibuerint, non potuerunt non *Z* et *ζ* pari initio potestate pronunciare. Idem cognoscitur eo, quod Graeci Latinorum *Z* *ζ* scripserunt, alioquin et Latini pro *ζ* et Graeci pro *z*

---

54) *Ἐκ* pro *ἐξ*, *συν* pro *ξυν*, *μικρος* pro *σμικρος*, *rugio* pro *βρυχαομαι*, *μορος* pro *morbus*, *νοφος* pro *γνοφας*, *σπαρω* pro *spargo*, *ἑπομαι* pro *ἑσπομαι*, *ἐχω* pro *ἐσχω*, *nosco* pro *γνοσκω*, *ros* pro *δροσος*, *θαμαλις* pro *χθαμαλις*, *pulex* pro *ψυλα*, *κοινος* pro *ξοινος*, *ἱξε* pro *ἱκε*, *Αιας* pro *Aiax*, *σιττακος* pro *ψιττακος*. *γραφω* (scribo) *πολις* pro *πτολις*, rodo pro *τρογω* coll. *δυογον* (*ζυογον*) *ὀδωδα*, ador (*ὀζω*), *φρασω* (*φραζω*), vado (*βαζω*), *ἑδομαι* (*ἑζομαι*), *δορκαδες* (*ζορκαδες*), *δαμενης* (*ζαμενης*), *Ζυμβραιος* (*Θυμβραιος*), *Saguntum* (*Ζακυνθιων* Strab.), *ὁριτοντα* (*ὁριζοντα*) = *ὁρισοντα*; coll. *x*, *&*, al. Italorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum.

alias quasdam literas adhibuissent. At Latinorum *z* non *s* valuisse, id argumento est, quod *z* apud Italos etiamnum *ts* sonat neque ex *z*, si valuisset *s*, ts oriri potuisset; qua in re paullulum acquiescamus. Accedat, quod Latinorum etiam *z* passim subinde et *d* et *s* factum est [55]), vnde cognoscitur, quibus ex literis *z*, quod pro duplici consona apud poetas valet, compositum fuerit.

Saec. I a. Ch.

Dionysius Halicarnassensis in libro de structura verborum *ζ* diserte inter literas duplices siue compositas numerat, *τριων δε των ἀλλων*, inquit, *γραμματων* (*ψ*, *ξ*, *ζ*,) *ἁ δε διπλα καλειται, το ζ μαλλον ἡδυνει την ἀκοην των ἑτερων* [56]). Verendum, vt non clarius aliquid dici possit. Hinc enim *ζ*, si comparatur cum *ψ* (*πς*), *ξ* (*κς*), apparet non *ts* sed *ds* sonuisse.

Saec. I. p. Ch.

Quinctilianus *iucundissimas esse*, testatur, *apud Graecos ζ et υ*, *quibus*, inquit, *nullae apud eos dulcius spirant*, *quas mutare solemus, quoties illorum nominibus vtimur*. *Quod quum*

55) *Medentius* pro *Mezentius*, *Lesbiae* pro *Lezbiae* (Grut. Insc. p. 941. 8.) *sestus* pro *sextus*, *coiux* pro *coniux*.

56) Cf. Hermann. d. emend. p. 56. Buttmann. Gr. p. 16, 7. Hauerc. I, 65.

contingit, nescio quo modo hilarior protinus renidet oratio, vt in Zephyris Zopyrisque, quae si nostris literis scribantur, surdum quiddam et barbarnm efficient, et veluti in locum earum succedent tristes et horridae, quibus Graecia caret [57]. Scilicet quo modo *z* Latinorum pronunciatum sit, docent Q. Papirius Grammaticus: *in his*, inquit, *syllabis sonus z literae immistus inueniri tantum potest, quae constat* t *et* i, *et eas sequitur vocalis quaelibet vt Tatius* (*l. Tatsius*), *otia, iustitia et similia;* atque Victorinus, vbi dicit, z peregrinam esse literam, *quam*, inquit, *si non haberemus TS scriberemus.* Qua de re ex loco Quinctiliani id tantum sequitur, ζ non *ts*, sed *ds* sonuisse.

Saec. II.

Locus Luciani, in quo σ sic conquerens inducitur: *ὅτι δὲ ἀνεξικακον εἰμι γραμμα, μαρτυρειτε μοι μηποτε ἐγκαλεσαντι τῳ Ζετα σμαραγδον ἀποσπασαντι, και πασαν ἀφελομενῳ την σμυρναν·* id tantum probat, *s* ex *ds* prodiisse passim apud Graecos [58]. — Sextus Empiricus vtique prodere videtur, hac aetate σ et ζ simillimae potestatis fuisse, dicens: *ποτερον δια του ζ γραπτεον ἐστι το σμιλιον και την σμυρναν,*

---

57) Hauerc. I, 63. 334. II, 135. Quinctil. L. XII.

58) Luc. in Iud. Voc. p. 53. Cf. Buttmann. loc. l.

ἡ δια του σ· sed obstat alius locus quominus assentiamur: συνεστηκεναι φασι το μεν ζ ἐκ του σ και δ [59]. Perperam hinc colligitur ζ sonuisse σδ, cum Sextus id tantum voluerit demonstrare, quibusnam e literis ζ = δς compositum sit.

Saec. XII.

Literae ζ additum reperitur τ, quod argumento satis certo est, ζ tunc s vel ç sonuisse atque haud dubie tribus saeculis ante eodem modo proferri coepisse [60]. — Eiusdem rei testis adest Eustathius [61]. ὅτι δε το σμωδιξ κατα και το σμερδαλιον και το σμικρον δια του ζ εἰχον την προφορικην ἀρχην παλαι ποτε δια το παροικως του ἠχου, δηλουσιν οἱ παλαιοι. ζμιρνυη, ζβεσαι, ζμωσαι, ζμηγμα. Praeterea supra vidimus, quid de mutatione ζ in σ statuendum sit contra Eustathium: Δωρικως μερδω και μετα του ζ ἐπιτατικου κατα συνκοπην, ζμερδω κατα τους παλαιους γραμματικους. ἐφ᾽ ὧν και το Ζμυρνα και το ζμικρος δια του ζ κατηρχετο. Ceterum verendum est, ne Eustathius errauerit lapides bustrophedon inscriptos respiciens, in quibus σ figuram z siue ζ habet.

---

59) Sext. Emp. 1, 5. 1, 169. et 173. ss. Cf. Buttmann. l. c. Neidling. p. 15.

60) Buttmann. p. 15. n. ***.

61) Hermann. de em. rat. p. 54. Eustath. p. 217. l. 24. 228. l. 26.

§ 5. ΣX.

Eas literas non Britannorum sh, vel Germanorum *sch* (ש) significasse, haec adsunt argumenta [62]. Primum ambigua fuisset scriptura, cum σ et χ aliam alias potestatem haberent. Deinde σχ cum σκ commutatur [63]. Cum enim hoc in dialecto Ionica potissimum obseruetur, quippe quae sonos duros in molles et faciliores vertit, sane concludendum, χ sonum genuinum istis in locis tenuisse. Denique literae compositae σχ ita mutantur, vt altera passim excidat altera seruetur, quod non accidisset, si σχ sonus simplex et incompositus *sh* vel *sch* fuisset [64]. Hinc mirari aliquis possit, Graecos consona *sh*, quam ex quindecim illis, quas diximus, primariis esse vidimus, caruisse. Sed cum Graeci *Σιγμα* (ס) et *Σαν* (ש) subinde coniunxerint atque σ ab interpretibus S. S. passim *sch* pronunciatum sit; admodum probabile est, σ non solum *s* sed etiam *sch*, quod etiamnum obtinet, significasse.

§ 6. *ΤΘ*, *ΠΦ*, *ΚΧ*, *Φ*.

Vix exercitatissimum et cultissimum os sine insigni molestia literas *tth*, *pph*, *cch* accurate

---

62) Cf. Splend. Hermann. de em. rat. p. 57. s.

63) Vti σκινδαλμος = σχινδαλμος, ἴσκον pro ἴσχον (Gell. VI. 15.)

64) Ἔχον, ἴσχον col. ἕπομαι, ἕσπομαι.

enunciare valet, quod primo argumento est, τϑ, πφ, κχ vt ϑϑ, φφ, χχ a Graecis prolatas esse [65]. Deinde poetae pro φ et χ, vt vocalem praecedentem corripiendam faciant longam, non φφ et χχ sed πφ et κχ scribunt, atque contra alteram ex his literis missam faciunt, vbi syllabae requirantur correptae [66]. His addi potest, Graecos initio *TH* pro ϑ, *ΠH* pro φ *KH* pro χ scripsisse. Hinc breuitatis caussa haud dubie pro *ΠHΠH* exararunt *ΠΠH* et sic in reliquis. Vna restat, de qua breuiter dicendum videtur, litera φ. Scilicet offensionis loco est, Graecos consona φ Romanorum f reddidisse, Romanos vero φ constanter fere non *f* sed *ph*, vnde recte colligitur φ et *f* diuersa potestate fuisse atque alterutrum nunc perperam pronunciari [67]. Facile aestumari potest, qui sonus Latinorum F fuerit genuinus. Etenim F, quod et nomen et figuram et locum habet digammatis Aeolici, conuenit cum ו Hebraeorum scilicet consona (*w*), cui respondet Graecum Ϝ. Hinc F non solum Graecum sed etiam Latinum *βαυ* = vau = וו, quod significat clauum, nominatum est [68]. Deinde Clau-

65) Hermann. l. c. p. 58.

66) *Ὄπφις* Il. 12, 208. *ὄκχος* Pind. Ol. VI., 40. al. col. *ἔλλαβεν. καπετον* Pind. *καπορα* Theoc.

67) Cf. Cl. Buttmann. Gramm. Gr. p. 17. ***.

68) Cf. Quinctil. de Orat. I, 4, 14.

dius F pro *V* consona adhiberi voluit. Quid? quod Victorinus disertis verbis tradit F a V consona nihil discrepare. Hinc itaque, quamuis plura congeri possint, clarum est, F initio *w* valuisse. At cum F hodie ab Italis atque omnibus gentibus, qui Latinas literas suas fecerunt, velut Germani, Itali, Angli, *f* pronuncietur neque literae cuiusdam sonus a veteribus aeque atque hominibus maioribus protinus ac statim omnibus simul in verbis torqueri coeperit; admodum probabile est, auream quoque Latinorum aetatem F singulis in verbis *f* sonum tribuisse. Hoc quidem testantur inscriptiones, in quibus, licet rarissime, F pro *ph* (*f*) reperitur; Cicero, qui testem pro Fundanio, qui primam eius literam dicere non posset, irrisit; Claudius, qui Ⅎ, ne confunderetur cum F (*f*), scribi voluit atque verba Latina haud pauca, quae, quamquam *ph* scribi poterant, F loco φ tulerunt [69]. Hinc sane licuit Graecis, pro F, vbi valeret, *f* adhibere φ, neque vero, quibus in locis *w* pronunciaretur. Attamen cum Graeci, misso ab iis F atque V (w) in *Υ* mutato, non haberent, quo, cum *Υ* etiam *ü* significaret, *w* exprimerent; necessitate quadam coacti pro F *w* etiam valente φ suum scribere debuerunt.

---

69) *Triumfis* (Gruter. Insc. p. 285. 6.) fuga pro φυγη, fama pro φημη al.

§ 7.
Conclusio.

Quamuis verendum esset, ne singularis et mirifica fere illa literarum Graecarum pronunciatio, quam interpretes scripturae sacrae nos edocuerunt, argumentis e lingua Latina et Graeca earumque monumentis, quibus hactenus in ea caussa dirimenda vsi sunt viri docti, non modo non approbaretur sed etiam reprobaretur et refutaretur; tantum tamen abest, vt in scriptis Graecis Latinisque alia quaedam, vt eadem, quod neminem nunc facile negaturum esse putamus, linguae Graecae pronunciatio latuerit. Quid autem magis praeter opinionem esse potest, quam literas *αι, ει, οι*, quae nunc *e* et *i* pronunciantur quasque *ai, ei, oi* diphthongos significasse iudicarunt, vocales *ä, ī, ö* valuisse, consonas *β* et *γ* aliter initio verborum, aliter medio sonuisse, literam *υ* triplicem potestatem *u, w ü* habuisse, vocalem *οι* primum *ö*, hinc *ö* et *ü*, hinc *ü* et *ī*, hinc *i* atque *η* inde a saeculo octauo vniuerse *i* ex ore Graecorum prolatam esse? Nolumus etiam sonum literarum *ϑ, δ, ζ* memorare. At haec ipsa est caussa, ob quam eas accuratius perpendimus rationes, quibus hactenus suas quique de pronunciatione Graeca sententias fulcire studuerunt neque vlli loco aut effato veterum siue nobis siue ab aliis allato vim illatam esse credimus. Quamuis vero argumenta hactenus in huius caussae actione adhibita non

sufficerint ad ea demonstranda, quae S. S. translationes nos docueruut; nihil tamen in scriptis Latinis continetur, quod cum iis pugnet. At quid est, quod iisdem praesidiis instructi alii aliter de sono literarum iudicarint? Non dixerim iudicii defectum; etenim insignis est nominum Erasmi, Bezae, Mekerchi, Checi, Henrici Stephani, aliorum celebratio et reuerentia. Neque iucuriam et operam parum diligentem et assiduam dixerim caussas; summa enim et ingenti fere studio loca e diuersissimis et plurimis librorum auctoribus congesta et diiudicata vidimus. Attamen si quid est, quod efficit, vt tamdiu de pronunciatione literarum Graecarum tam diuersae fuerint sententiae, hoc est, quod causarum harum actores partium quodam studio abrepti in vero videndo impediti fuerunt. Hinc enim accidit, quod non arroganter et temerarie dictum esse velimus, vt primum nulla temporis ratio, quod maxime requirebatur, habita sit, deinde autem orationis humanae natura et indoles parum curata. Quod vero scripta Graeca et Latina adiuimus, eo id nobis contigit, vt de pronunciatione Graeca fere a primordiis inde rei Graecae iudicare possemus. Quemadmodum enim vsu interpretum sacrorum vsque ad saeculum quintum et sextum ante Christum concludendo peruenimus, ita lectione monumentorum Graecae et Latinae antiquitatis vsque ad Cadmeam aetatem ascendere nobis licuit. Quanti vero momenti sint ea, quae inuenisse nos nobis videmur, facile perspicitur.

Agitur enim de pronunciatione germana et recta dulcissimae et pulcherrimae linguae. Cum vero de tempore satis constet, quo singulae literae aliarum sonum subierint, inde haud despernenda philologiae subsidia oriri videntur. Hinc aestumari potest, quibus saeculis versiones scripturae sacrae, si parum de iis constiterit, exstiterint aut codices conscripti fuerint. Hinc de aetate inscriptionum, quae seriora tempora attinent, iudicare licet. Hinc facilius perversae librariorum lectiones emendari posse videntur. Atque hoc etiam, vt alia mittamus, haud parum iuuabit scire, quo tempore quoue modo Graeca pronunciatio corrupta sit atque, quod summum videtur, secundum quas leges oratio humana mutari soleat quaeque fata maneant nostram.

II.

De literis Graecorum subinde vsitatis earumque origine.

Difficillimum est atque in nullius hominis potestate fere situm, iudicare, quas literas Graeci deinceps in vsu habuerint quique earum fuerint auctores. Quamuis enim non desint, vnde satis accurata huius rei cognitio hauriri potest, fontes; sunt tamen admodum turbati et squalidi adhuc, veterum hac de re testimonia dicimus atque inscriptiones. Fuerunt enim primo inter scriptores Graecos et Latinos, qui crederent, Graecos ante Cadmum iamiam literis vsos esse. Commemorandi sunt ex his Diodorus Siculos, qui dicit: *ὑστερον δε παρα τοις Ἑλλησι γενομενου κατακλισμου και δια την ἐπομβριαν των πλειστων ἀνθωπων ἀπολομενων, ὁμοιως τουτοις και τα δια των γραμματων ὑπομνηματα συνεβη φθαρηναι· Δἰ ἁς αἰτιας πολλαις ὑστερον γενεαις Καδμος ὁ Ἀγηνορος ἐκ της Φοινικης πρωτος ὑπεληφθη κομισαι γραμματα εἰς την Ἑλλαδα·* atque Eustathius: *Διο και διοι Πελασγοι που λεγονται, ὡς ἀνωθεν Ἑλληνες, οὑς και μετα τον κατακλυσμον σωσαι τα στοιχεια μονους Ἑλληνων φασι·* nec non Tzetzes 70). Dissentiunt etiam, cuinam

70) Diod. de compos. verb. L. V. Eustath. ad Il. *β.* 841. Tzetzes Chill. 5, 28. 804 ss. p. 94. 20, 332. p. 192.

viro literarum vsus apud Graecos debeantur, vtrum Cadmo, an Lino, an Cecropi, an Palamedi, an Simonidi, an Orpheo tribuendus sit. Huc spectant Pausanias, Tacitus, Suidas alii [71]. In ambigno haeret Lucianus in iudicio vocalium: *εἰτε καδμος ὁ νησιωτης*, inquit, *εἰτε Παλαμηδης ὁ Ναυπλιου, και Σιμωνιδη δε ἐνιοι προςαπτουσι την προμηθειαν ταυτην.* Cadmum literarum Graecarum auctorem ferunt Herodotus: *Φοινικες οἱ συν Καδμῳ εἰσηγαγον τα γραμματα, οὐκ ἐοντα πριν Ἑλλησι·* Diodorus Siculus: *κοινη οὐν μεν τα γραμματα Φοινικια κληθηναι, δια του παρα τους Ἑλλενας ἐκ Φοινικων μετενεχθηναι·* alias: *Συροι μεν εὑρεται γραμματων εἰσι, παρα δε τουτων Φοινικες μαθοντες τοις Ἑλλησι παραδεδωκασιν· οὑτοι εἰσιν οἱ μετα Καδμον πλεοσαντες εἰς την Ἐυρωπην·* Zenodorus apud Laertium:

Ἐι δε πατρα Φοινισσα, τις ὁ φθονος; ἡν και ὁ Καδμος
Κεινος ἀφ' οὑ γραπταν Ἑλλας ἐχει σελιδα.

Teiorum antiquissima inscriptio: *φοινικηια (γραμματα) ἐκκοψει, ἡπη ἀφανεας ποιησει·* Curtius: *Si famae credere licet, gens Phoenicum literas prima didicit et docuit;* Lucanus:

Phoenices primi, famae si credimus, ausi,
Mansuram rudibus vocem signare figuris;

12, 398. p. 224 ss. Bas. Cf. Buhier Diss. de pris. Gr. et Hom. litt. Hensel. Harmon. p. 81.

71) Pausan. in Boeot. Suid. v. *Λινος* Tacit. Ann. 11, 14. Alcid. p. 74. Cf. Meursius in notis ad Hesych. p. 179. ss.

Plutarchus, Clemens Alexandrinus, Eusebius Theodoretus, Tatianus, alii 72). Accedit, quod literae Graecae diuersis nominibus appellatae commemorantur, vti *Φοινικια* siue *Φοινικηια*, *Ἀττικα*, *Πελασγια*, *Ἰωνικα*, *Καδμηϊα*, *ἐπιχωρια*, *ἀρχαια*, *παλαια* ab Herodoto, Demosthene, Sophocle, Diodoro, Plutarcho, Clemente Alexandrino, Sexto Empirico, Suida, Hesychio, aliis 73). Insignis porro dissensus est de numero literarum, quas Graeci primum acceperint. Eas XVI. numero fuisse, tradunt Plinius, *vtique*, inquit, *in Graeciam intulisse arbitror e Phoenice Cadmum literas sedecim numero;* Plutarchus: *τα δε δη πρωτα και Φοινικεια, δια Καδμον ὀνομασθεντα τετρακις ἡ τετρας γενομενη παρεσχε·* Tzetzes:

Των συγγραμματων πρωτον μεν ἐχον των ἑξ|και δεκα.

Tacitus, Priscianus, Victorinus, alii plerique 74).

---

72) Herod. L. 5. c. 59. p. 148 ed Sch. Diodor. S. l. c. L. 5, 24. L. 3. Laert. in Epigram. de Cenone. Lucan. L. 3. Plut. Sympos. L. 9. prob. 2 et 3. Philost. L. 2. Clemens. Al. Strom. L. 1. Euseb. Praepar. L. 10. 5. 1, 6. Theodor. Θ. ΠΠ. 1. p. 7. Sylb. Tatian. λογ. πρ. Ἑλλ. c. 60. Iustin. Mart. Paraenes. c. 12. p. 71. Cf. Bochart. Geogr. s. 2, 1. 10.

73) Herod. L. V. c. 58. VI, 137. Diod. S. L. III. p. 340. Suid. T. III. p. 639. Clem. Al. Strom. L. I. p. 132. Plutarch. symp. 9, 3. Sext. Empir. 1, 2. Demost. conf. Neaer.

74) Plin. H. N. 7, 56. Plut. Sym. 9, 3. Tacit. 11, 14. Priscian. 1. 17. Isidor. Orig. 1, 3. Tzetz. Chill. 12, 61. Victorin. de Orthogr. in Putsch. Op. Gr. p. 2458. Cf. Buhier Diss. de priscis Graec. et Roman. lit.

Addendus est Irenaeus 75). Literas Cadmeas numero XVIII. fuisse, auctor est Aristoteles. Sic tradit Plinius: *Aristoteles X et VIII.* priscas fuisse *Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ*, mauult 76). Multo magis repugnantia sunt, quae de literis numero Cadmearum additis atque de auctoribus earum scriptores Graeci Latinique exhibent. Palamedem enim, quem bello Troiano interfuisse constat, Plinius tradit auctorem literarum *Θ*, *Ξ*, *Φ*, *Χ*, Simonidem Melicum (476. a. Ch.) literarum *Ζ*, *Η*, *Ψ*, *Ω*; contra Aristoteles *Θ* et *Χ* Epicharmo (480 a. Ch.) tribuit. Aliter Suidas, qui a Simonide *Ξ*, *Η*, *Φ*, *Ω* profectas dicit 77). *Παλαμηδης*, inquit Hesychius, *εὗρε το Ζ και Π και Φ και Χ στοιχεια*, quibus assentitur Suidas 78). Tacet Plutarchus, qui Palamedi quatuor literas totidemque Simonidi adscribit. Cum his consonant Tacitus, Alcidamas, Gorgias, alii 79). Aliter Tzetzes, qui, Andronis fidem secutus, a Callistrato, grammatico Samio, numerum literarum,

---

75) Irenaei, cum non statim ad manus sint eius libri, locum accuratius describere non possumus. Legimus L. IV. adv. Haer.

76) Plin. H. N. 7, 56.

77) V. Suid. v. *Σιμωνιδης*.

78) Hes. in lib. *περι Σοφων* p. 31. Meurs. Suid., v. *Παλαμηδης*.

79) Tac. Ann. 11, 14. Alcid. p. 74. Gorg. Apol. Palam. p. 118. Hyginus. Fab. 277. Schol. in gramm. Dionys. Thrac. Cf. Meurs. not. ad Hesych. p. 179. ss.

quae nunc in vsu sunt, quatuor addendis confectum esse refert. Victorinus inter literas Cadmeas autem *Ξ* et *Ω* numerat pro *H* et *Θ*. Denique litera *Υ* veterum scriptorum consensu a Pythagora (456 a. Ch. X.) traditur inuenta. Quid? quod Dionysius Halicarnassensis ait, istas scriptorum sententias carere fundamento nec nisi coniecturas appellandas esse [80]. Ingentem profecto scriptorum repugnantiam! Possit quidem haec res egregie inscriptionum vsu illuminari; sed plurima eaque grauissima obstant impedimenta. Paucissimae enim sunt inscriptiones, quae antiquissima tempora attinent, de quibus quidem hic agitur. Praeterea de aetate inscriptionum plurimarum adhuc lites sunt grauissimae inter doctos, quam ob rem de tempore vix iudicari potest, quo literae quaedam nouae in reliquarum numerum receptae sunt, praesertim cum eadem signa, quae apud alias Graecorum gentes in vsu essent, ab aliis respui aut longum temporis spatium a scriptis publicis, antiquam rationem, vti nunc accidit, diutius seruantibus coerceri potuerint ac debuerint. Iuuaret itaque nosse patriam lapidum et numorum aliarumque rerum inscriptarum, de qua quidem ex parte non constat, atque licet inscriptionum patria atque aetas cognita sit, in dubio relinquitur, quinam fuerint earum auctores quaeque lingua vel dialectus in illo tractu

80) Dion. H. de compos. vv. Opp. ed. Ox. T. II. p. 21.

inualuerit. Atque hoc etiam dolendum est, eos, qui in Graecorum et Latinorum inscriptiones primi inciderunt, passim literas nunc vsitatas pro antiquis posuisse, passim vero genuinas paullulum immutasse, neque infitiandum, in cognoscendis et describendis literarum characteribus passim erratum esse. Quod enim docetur, ι et ϑ, Y et V, σ et ζ, Ϝ (digamma) et σ passim eodem modo a veteribus scripta exstare, oppido falsum est atque Fourmontius etiam in describendis inscriptionibus Amyclaeis errasse videtur, quippe qui α et ϱ passim iisdem literis reddidit [81]. Accedit, quod de veterum inscriptionibus non vno quodam in volumine, sed centum fere in libris agitur, qui ab vno vix cogi et pertractari possunt [82]. Quae quum ita sint, non

---

81) Cf. Fischer ad Vell. Gramm. T. I. p. 12. Tab. I et II Potter Archaeol. T. IV. Tab. I. et II. Memoires de l'Ac. des Inscript. XV. p. 397. Tab. II.

82) Immortale itaque esset opus, si quis collectionem inscriptionum perfectam institueret. Quodsi pia quaedam vota atque desideria hac in re sua alicui prodere fas est, non dissimulabimus, tria hac in caussa praeter alia requiri. Scilicet triplex est inscriptionum veterum vsus et pretium. Inde enim non solum egregia historiae et philologiae praesidia ducuntur, sed etiam scripturae veterum cognitio, quae pars est archaeologiae, gravissima comparatur. Qua de re opus est, vt ratio literarum earumque characteres in veterum monumentis conspicui in edendis inscriptionibus accurate seruentur. Recte quidem, quatenus lapides inscripti historiam et philologiam iuuant, id tantum requiritur, vt doceatur, quanam aetate et quibusnam terrarum in tractibus ortae sint inscriptiones. Sed vt archaeologia etiam inde

mirandum est, alios aliter de literis Cadmeis iudicasse atque ea tradidisse, quae haud facile alicui approbari possunt[83]. Minime vero omnium

habeat incrementa, opus est, vt genuinae literarum formae reddantur. Ac primo eiusmodi monumenta antiquitatis sane merentur, vt genuina earum ratio, quantumuis potest, seruetur posterisque tradatur. Literae enim, quae dicuntur, lapidares vanum quendam honorem affectant neque maioris sunt pretii, quam, vt hoc vtamur, margaritae gemmaeque subditiciae. Deinde ipsa literarum in lapidibus quibusdam adhibitarum ratio, si accuratius spectetur, de aetate et patria inscriptionum nos edocere valet. Accedit, quod literae nonnullae in describendis veterum monumentis parum recte absque dubio redditae sunt, quae quidem, si nostrae literae substituantur, ne corrigi quidem possunt. Velimus itaque in noua quadam inscriptionum collectione id obseruari, vt eae, quas vna actas aut vna Graeciae regio progenuit, componantur et cogantur, ita vt genuinae literarum formae seruentur, quod quidem, cum lapides etiam arti typographicae inseruire didicerint, facilius nunc praestari posse videtur.

83) I. L. Hug. d. Erfind. d. Buchstabenschrift. Vlm. 1801. Fr. Thiersch. Gr. Gramm. Leip. 1818. p. 18. Postellus de Foenicum literis seu de prisco Lat. et Gr. ling. charact. (Hauerc. S. II. p. 704.) Hensel. Synopsis Phil. vniv. Nor. 1741. p. 84. ss. Fischer. ad Veller. Gr. I. p. 4 — 28. S. V. Gesenius Gesch. d. Heb. Sp. p. 162. § 44. ss. Potter. Gr. Archaeol. T. IV. p. 240. ss. Matthiae. Gr. Gr. p. 11. Boeckh. Staatshaush. d. Athen. T. II. p. 384. ss. Hezel ausf. Hebr. Sprachl. Hall. 1777. p. 107 Paulus Archaeol. Beobacht. (Ej. Memor. St. 6. § 10 — 12.) Chishull. Antiquit As. Lond. 1728. p. 26. Bellermann Handbuch der bibl. Lit. T. I. p. 65. ss. 7. Scaliger ad Euseb. Chronicon. p. 103. ss. Ez. Spanheim de vsu et praes. numism. Diss. 2. Sam. Bochart. de colon. Phoen. L. 1. c. 20. G. F. Vossius Aristar. s. de arte gramm. L. I. c. 10. Buhier Diss. de priscis Gr. literis. Ed. Dickinson. Delphi phoenizan-

ea ferri potest sententia, ex qua Cadmus quindecim literas *Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ* solas in Graeciam intulit [84]. Scilicet quatuor tota in disputatione de literis Graecorum primis neglecta sunt, orationis humanae rationem habere, literarum nomina et figuras respicere, literarum potestatem et valorem, quem dicunt, numeralem discernere atque inscriptionum auctoritatem sequi. Quamuis itaque tum propter veterum scriptorum repugnantiam, tum propter monumentorum inopiam et fallaciam difficillimum sit, de literis Graecorum subinde vsitatis iudicare; periculum tamen faciamus, licet verendum, ne in nouos errores incurramus aut non omnia satis accurate descripturi simus, breuiter hac de caussa disputandi.

---

tes 1670. Osann. Syll. Inscrip. 1822. Ien. v. I. Le Clerc. Biblioth. choisie T. XI. p. 122. Winkelmann Ges. der K. Th. I. p. 229. van Goens Diss. de Simonide Ceo. Vtrj. 1768. Montefalc. Palaeogr. Gr. p. 120. ss. Morinus de ling. primaev. Exercit. 2. c. 5. Bernhard. Orb. erud. literatur. a charact. Samar. deduct. Iac. Spohn Miscell. erud. ant. p. 315. Blancon. De antiq. lit. Heb. et Gr. Bonon. a 1748. 4. p. 33. Renodatius Comment. Acad. inscr. Par. T. II. p. 246 Meierhof. lib. de Phoen. in antiq. Gr. vest. Gott. 1794. Marshamius Canon. cj. Chron. s. 9. p. 122. fl. Clemmius Diss. de genesi litt. e Phoenice p. 15. Hermann. Hard. Meth. ling. Gr. p. 13. Helmop. Voss. de oracc. Sibyll. c. 15. De Wette Comm. in Ps. p. 82. ss. Hezel. Ueber Gr. aelt. Gesch. Leucop. 1795. Nigrinus de vsu ἐπισημ. Palaeoc. 1724. Hauercamp. de vet. et var. ap. Gr. script. (Syll. I. pag. 205. ss.) Alii.

84) V. Hug. l. c. p. 13. Thiersch. l. c. p. 18.

Quaestio est, vt paucis dicamus, quibus signis, pro regionum varietate et temporum discrimine Graeci sonos vocales et consonos significauerint et quinam fuerint literarum apud Graecas singularum auctores. Duplicis autem generis sunt signa, quibus Graeci in scribendo vsi sunt, alterum, quod literas ordine positas complecteret velut α, β, γ, quod quidem ordinarium dici potest, alterum, quod e literis simplicibus iisque suo ordine venientibus coniunctis et compositis, velut αι, *KH*, *ΠH* constaret, quod extraordinarium vocare licet. Duplici itaque de caussa videndum est. De modo et praesidiis, quibus hac in re vtendum sit, vix opus est disserere. Scilicet veterum testimonia, quamuis repugnantia et incerta, respici vtique merentur, cum veri aliquid iis subesse, vix aliquis negauerit. Deinde cautius non solum inscriptiones, sed etiam aliarum gentium, quae a Graecis literas acceperunt, scripturas adhibendas esse, sponte intelligitur. Inprimis autem cauendum, ne in numero et potestate literarum Graecarum constituenda ab orationis indole atque communi ratione nimis discedamus atque importura tradamus. Quod itaque primum illam attinet quaestionem, vtrum Graeci ante Cadmum literas adhibuerint, duobus verbis respondemus. Cum neque adsint certa eius rei testimonia neque, in quibus eiusmodi signa conspiciantur, monumenta; in dubio relinquenda est ea caussa. Cadmeas autem esse literas, quae

Graecis in vsu sunt ad hunc vsque diem, tribus argumentis demonstrari potest. Cadmum enim literas primum in Graciam intulisse veteres fere omnes tradunt; literae Graecae porro, quae habent et formam et potestatem Phoenissarum non possunt non a Phoenice quodam originem ducere; accedit, quod literae Hebraeorum siue Phoenicum et Graecorum genuinum sonum communem habuerunt. Cadmum vero fuisse e Phoenicia oriundum, supra (p. 65. n. 57) damonstrauimus. Itaque a Cadmo exordiri debet disputatio.

Aetas Cadmi

eas Graecorum literas progenuisse putanda est, quae communia cum Hebraicis et nomina et figuras habent.

Ἄλφα respondet verbo אֲלֵף vnde et *A* et א, quibus genuina forma communis est [85]), nomen acceperunt atque, vtramque literam vocalem *a* significasse, supra demonstratum est. Quod attinet *α*, quo creuit verbum Hebraicum apud Graecos, aut a Syrorum vsu, qui א adiiciunt, aut a Graecorum elegantia, qui *α* aliasque vocales nominibus addunt, repetendum est.

---

85) V. Potter Archaeol. T. III. Tab. I, II. et V. Fischer ad Vell. Gr. T. I. p. 12. Tab. I. et II. Hensel. Synops. p. 104. Tab. II. Gesenius Gesch. der Heb. Sp. Ej. Lehrgeb. p. 8. Quod א vocalem attinet, addere licet verba Plutarchi (Sym. L. IX. n. 3.): *Καδμον φασι το Ἄλφα παντων προταξαι, δια το Φοινικας οὕτως* (אלף) *καλειν τον βουν.*

Idem cadit in *B* (*βητα*) = ב (בֵּית), *Γ* (*γαμμα* col. *καμηλος*) = ג (גִּמֶל col. גָּמָל), *Δ* (*δελτα*) = ד (דָּלֶד) [86].

Sequitur ordine apud Graecos *E* (*ει*), apud Hebraeos ה (הֵא). Differunt quidem eae literae potestate; sed, cum figuram genuinam communem habeant, negari nequit, *E* ex ה Hebraeorum literisque Cadmeis ortum esse. Minime enim credibile est, cum innumerae literae cuiusdam formae esse possint, forte fortuna accidisse, vt E omni ex parte habitum literae ה assequeretur.

Quamquam ϝ (*ἐπισημον βαυ, οὐαυ, vau*) literae siue vocalis siue consonae vim apud Graecos perdidit; conuenit tamen cum ו non solum numero, sed etiam figura atque sono genuino, qua de re non dubium est, quin ϝ etiam origine Phoenix sit.

Z (*ζητα*) nomen ז (זַיִן) ferre videtur, praesertim cum זַיִן et זֵין, vti אַיִן in אֵין, quae promiscue scribuntur, mutari facillime potuerit atque apud Armenios *zen* vtique arma significet aeque atque זַיִן et ܙܝܢܐ; sed facilius profecto et mutatae pronunciationi accommodatius a צָדֵי (LXX. *τσαδη*) deriuatur [87]. Momentum facit vtriusque literae figura, quae quidem, cum ז et

86) Vidd. libb. modo laudati.

87) Fischer ad Vell. l. c. T. II. Gesen. Gesch. p. 168. et quae supra monita sunt. (pag. 283. s.)

ט a Montefalconio sine dubio confusa sint, ante omnia restitui debet. Non potuisset enim ט ab ז distingui, si eandem figuram habuisset vtraque litera [88]. Constat autem ט, prouti a veteribus scriptum est, constanter fere e lineis curuis duabus aut tribus, ז vero e rectis, qua de re, quo loco ז consonam ט significare videbatur, haud dubie ט scriptum fuit. Accedit, quod ז, armaturae cuiusdam imaginem prae se ferens, ne potuit quidem recte lineis curuis pingi quodque *s* (ט) ex *z* (ז) oritur neque vero contra, qua de re eadem verba ante ז habuerint necesse est, quae postea ט conscriberentur. Denique ipsum 𝔷 vel ẓ ex 3 vel ʒ (= ט), de quo statim videbimus, ortum est, vnde cognoscitur, literam ז, quo loco cum ט conuenire videbatur, purum ac putum esse ט. Hinc vero clarum est, *Z* non solum nomine, sed etiam figura Hebraeorum צ respondere. Etenim צ, quod hamum significare dicunt et eiusmodi rei figuram apud Samaritanos habet [89], aeque atque *Z* in veteribus monumentis tribus aut quatuor lineis rectis constat neque mirandum, apud Graecos *Z* siue צ in locum ז esse substitutum, cum vtraque litera significaret *z* (*ts* vel *ds*). At quid est, quod ζ etiam passim literae ט speciem prae se ferre dicatur? Respondebimus infra.

---

88) Vid. Potter Archaeol. T. III. Tab. I. Fischer. l. c. T. I.

89) Cf. Gesenius Gesch. d. Heb. Sp. p. 169.

Sequuntur apud Graecos *H*, quod initio *h* significasse constat, apud Hebraeos ח, quae quidem literae figuram habent communem. Quamvis itaque ח *ch* gutturale valuerit, recte tamen *H* Graecorum ex litera ח ortum dicitur.

Θ (*ϑητα*) nomen quidem Hebaici ט (טֵית) fert, sed longius ab eius literae forma discedere videtur. Nihilo minus *ϑ* etiam litera peregrina eaque Phoenissa iudicanda est. Non enim nisi Phoenix nomen Phoenissum literae cuidam tribuere potuit.

Literae *I* (*ἰωτα*), *K* (*καππα*), *Λ* (*λαμδα*), *M* (*μυ*), *N* (*νυ*), cum י (יוֹד), כ (כַּף), ל (לָמֶד), מ (מֵם), נ (נוּן) nomine, loco, figura et potestate satis conueniunt.

Locum ס (סָמֶךְ) obtinet *Ξ* apud Graecos. Longe aliam quidem vim habet *ξ* quam ס, sed vtrumque signum genuinam figuram habet parem. Constat enim *ξ*, prouti a veteribus exaratum est, e lineis tribus parallelis alias iunctis quarta quadam, alias disiunctis 90). Quum idem cadat in ס, cogitur, eam literam Graecis fuisse cognitam atque consonae *ξ* originem dedisse. Egregie hoc eo confirmatur, quod e verbo סָמֶךְ, duabus literis inuicem transpositis, Graecum *σιγμα* (pro *σιμγα*) ortum est. Nihil enim frequentius tum apud Graecas, tum apud Semiti-

---

90) Cf. Gesenius Gesch. der Heb. Sp. p. 169. Nouveau Traité d. Diplom. T. I. p. 671. col. p. 681. Montfauc. Pal. p. 241.

cas gentes est metathesi illa literarum. Hinc explicandum videtur, quod ζ passim literae ס figuram referre dicitur; etenim, Montefalconium parum accurate literae ζ figuram passim conspicuam inspexisse, verisimillimum est. Potest autem haec res triplici modo explicari. Nimirum si signum 3 a Montefalconio vere loco ζ repertum est, non potuit illo loco ζ significare. Etenim differunt plane 3 et Z figuris atque, cum ξ recentioris aetatis litera sit, de quo infra videbimus, cumque litera quaedam סָמֶךְ = *σιγμα* vocata Graecis antea in vsu fuerit necesse sit, quae quidem 3 figuram haberet; admodum probabile est, ζ, vbi 3 scriptum est visum, merum σ siue *σιγμα* (סָמֶךְ) significasse. Neque offendit, verba quaedam ita pronunciando mutata esse, vt *z*, suppresso *d*, in *s* verteretur. Possit ea res satis expediri, si cognitum esset, qua aetate quaque in Graeciae regione lapides inscripti sint ii, a quibus litera 3 desunta est atque descripta. Sufficiat monuisse, *Z* et 3 diuersas esse literas atque *Z* et *Ξ* origine esse apud Graecos extera eaque Cadmea.

Etiam O, quod locum et figuram ע tenet, Phoenicen habet patriam. Non enim forte fortuna accidere potuit, vt litera quaedam apud Graecos ex innumeris lineis atque figuris eam prorsus consequeretur, quam haberet Phoenicum ע.

Π referre literam פ, non opus est pluribus demonstrare.

Quod attinet צ, respodere huic signo dicunt Graecorum ϡ, siue *ἐπισημον σανπι*, quod qui fecerunt, grauissime errarunt. Etenim quae *ἐπισημα* nunc sunt, literae olim sonantes fuerunt, atque ridiculos sese praebere nunc videntur, qui tradant, Cadmum literis Phoenissis tria aut quatuor *ἐπισημα* addidisse [91]. Quodsi ergo *σανπι* Hebraeorum צ respondisset, habuisset primum eius literae potestatem. Obstat, quod *ζητα* potius consonae צ congruit, neque credibile, Cadmum duobus signis diuersis vnum sonum innuere voluisse. Deinde obseruatur, literarum Hebraicarum atque Graecarum a Phoenicibus petitarum nomina ab eo singula quaeque sono incipere, quem significat litera. Qua de re, cum *σανπι* incipiat abs *s*, צ vero abs *z*, *σανπι* nullo pacto cum צ comparari debet. Praeterea tenendum, nomen *σανπι* e duobus verbis *σαν* et *πι* conflatum esse, quorum neutrum quadrat, *σαν* vero literae *Σ* nomen genuinum esse. Quid dicamus porro de vtriusque literae figura? Scilicet duobus verbis responderi potest dicentibus, *σανπι* simplicis consonae figura esse. Constat enim signum ϡ ex *σαν* (C) et *πι* (*Π*) [92] Deinde צ numerum 90 significat, quod summum est et plane hactenus neglectum, ϡ vero 900.

---

91) Potter. l. c. T. III. p. 243. col. Fischer. l. c. T. I. II. Gesen. Gesch. p. 163.

92) Potter. l. c. p. 243. Boeckh. Staatsh. p. 386.

Cum enim literae Graecae pro numeris valuissent aeque atque Hebraïcae — probabile adeo est, ista signa prius in computando, quam in scribendo, quod vitae necessitas exegit, adhibita esse — neutiquam licuit Graecis, signum quoddam 90 valens, cum alio 900 indicante confundere. Concludendum itaque est, Cadmum, si eius rei auctor fuit, literam צ loco ו posuisse, ו autem, quod falso Ξ comparatur, expulisse atque literas ק (100), ר (200), ת (400), neglecto צ (90) ad numeros 90, 100, 200 significandos adhibuisse. Ceterum Ϡ seriori aeuo natum esse atque צ e serie literarum ordinariarum siue numerorum suo in loco excidisse, eo egregie confirmatur, quod *σανπι* a scriptoribus serioribus tantum commemoratur quodque in membranis Fuldensibus aliisque hic est literarum ordo: *ὑπσιλον* (l. *ὀπσιλον*), *πη* (*πι*), *κοππην* (*κοππα*), *προ* (*ῥω*), *σεμμα* (*σιγμα*), *ταου* (*ταυ*), *ἰουπσιλον* (*ὐ ψιλον*) et sic porro vsque ad Ϡ, quod nomine caret et ͳ scribitur 93).

Literas צ et *π* excipit apud Hebraeos ק, apud Graecos ϟ. Hanc quidem literam a Cadmeo ק ortam esse, haec habemus argumenta. Primo Graecis literam quandam nomen *κοππα* gerentem in vsu fuisse, testantur *κοππατιαι* Aristophanis, inscriptiones atque codices manuscripti, in quibus litera *κοππην* atque etiam,

---

93) Henselii Synops. p. 86.

quod in aliis exstat, *κοφε* diserte commemoratur. Iam vero verba *κοφε* vel *κοππα* atque קוף eadem sunt, qua de re ϟ litera Cadmea dicenda est. Accedit, quod ϟ et ק figura etiam simili praedita conspiciuntur. In numis enim Syracusanis, tabulis Heracleensibus aliisque inscriptionibus *κοφε* cum P transuerso, quod grammatici etiam testantur 94), conuenit, passim vero annulum non satis claussum habet ita, vt aequet fere Ϙ, ex quo nostrum ϟ ortum est. Denique *κοππα*, vbi literae vi praedita conspicitur, consonam *κ* significauit, qua in re conuenit cum ק Semitarum. Praeterea ϟ significat 90, quod Copti, anno 330 a. Ch., nec non Gothi, saeculo quarto p. Ch. Graecos secuti, testantur, aeque atque ק Hebraeorum, expulso צ, qua quidem in re egregie consentit Scholiasta Aristophanis 95).

---

94) Mazachi ad Tab. Heracl. p. 123.

85) Verba Scholiast. ad Arist. Nub. v. 23. haec sunt: *Κοππατιας ἱππους ἐκαλουν, οἱς ἐγκεχαρακτο το Κ στοιχειον, ὡς συμφορας τους ἐγκεχαραγμενους το Σ. Το γαρ Σ και το Ν χαρασσομενον Σαν ἐλεγον. Αἱ δε χαραξεις αὐται και μεχρι του νυν σοζονται ἐπι τοις ἱπποις. συνεζευγμενου γαρ του Κ και Σ. το σχημα του ϛ ἀριθμου δυναται νοεισθαι, οὑ προηγειται το Κ. και παρα γραμματικοις οὑτω διδασκεται και καλειται κοππα ἐννενηκοντα.* Vereor, vt recte Hug. (Erfind. der Buchstabensch. p. 9) 1) retinuerit 2) *συμφορας*. 2) mutauerit *και το* N in *κατα το* II. (leg. *Π*), 3) verterit *του Κ και Σ* in *Σ και Π*, 4) *σχημα του ϛ* in *σχημα του ζ*, 5) *οὑ προηγειται το Κ* in *ὁ προηγειται του Ρ* (= *κοππα*) atque 6) inde concluserit, *σανπι* valuisse 80. Praeter omnem enim grammaticorum, inscriptionum, Phoenicum, Coptorum, Go-

Graecorum denique *P* (ῥω), *Σ* (σαν) et *T* (ταυ) respondere Phoenicum ר (ראֹשׁ) שׁ (שִׁין) ת

---

thorum auctoritatem est, non π, sed ϡ (σανπι) 80 valuisse atque ϡ non 900 sed 80. Sic potius legendum videtur: *Κοππατιους ἱππους ἐκαλουν, οἱς ἐγκεχαρακτο το Κ* (ϙ) *στοιχειον, ὡς σαμφορας τους ἐγκεχαραγμενους το Σ. το γαρ Σ κατω (κατα το) Ν Σαν ἐλεγον. Αἱ δε χαραξεις αὐται και μεχρι του νυν σωζονται ἐπι τοις ἱπποις, συνεζευγμενου (γαρ) του Κ* (ϙ) *και Σ. Το σχημα του* ϟ (ϙ) *ἀριθμου* (*νυν* vel *ἐνθεν*) *δυναται νοεισθαι — οὑ προηγειται το Π — και παρα γραμματικοις οὑτω διδασκεται και καλειται Κοππα ἐννενηκοντα.* Nihil fere opus est in hoc loco vexatissimo emendatione. Quatuor tantum sunt, quae mutentur. Pro *συνφορας* legendum esse *σαμφορας*, verbum *Σαν* non solum apud Herodotum exstans, sed hoc etiam loco appositum docet. Ex *ΚΑΤΩ* facillime oriri potuit *ΚΑΙΤΟ*, neque Graeci et Hebraei σ et ν, שׁ et נ σαν aeque vocare potuerunt, historiaeque repugnat, quod infra videbimus, ac rationi, duas literas diuersas vnum apud Graecos nomen habuisse. Ferri tamen potest Hugii emendatio *κατα το*, quoniam *κα* cum lineola superne veteres pro *κατα* scripserunt. Loco ς legendum esse ϟ (*κοππα*) clarum est. Etenim signum numericum dicitur (*ἀριθμου*), quod (*κοππα*) vocaretur atque 90 (*ἐννενηκοντα*) valeret, atque hoc ς ipsum est *κοππα* a Scholiasta appictum, alioquin Ϝ (F) in codicibus esset. Hinc cum ϟ omnium consensu numerum 90, *Π* vero 80 significauerit, necessario *Π* loco *K* requiritur. Quid autem facilius oritur ex *Π* quam *K*? Addere liceat, potuisse *P* (ῥω) loco *N* (νυ) etiam poni, nisi audacius fuisset. Quamquam enim *σαν* excipitur a *ῥω*, fuit tamen, priusquam ξ inueniretur, litera s quaedam (ס *σιγμα* = סָמֶךְ) post *νυ*, quam non solum Scholiasta, sed tota etiam Graecia cum *Σ* (*σαν*) confudit, qua de re vulgaris lectio defendi potest. Post *συνεζευγμενου* delendum esse *γαρ*, aut scribendum *συνεζευγμενον*, argumento est, quod his verbis neque explicatio neque argumentatio inest. — Sunt autem duo,

(חָר), non eget demonstratione. Sunt enim his literis eadem nomina, loci atque in veteribus

---

quae hoc in loco demonstrantur, scilicet, quinam equi *Κοππατιαι* fuerint Aristophanis, quique *Σαμφοραι*. *Κοππατιαι*, ait scholiasta, ii fuerunt equi, qui literam quandam *κ* (ϟ) significantem sibi inustam tulerunt. Addit explicationis caussa, veteres etiam *Σαμφορας* habuisse, quippe litera quadam, *Σ* valente, nototas, quo facto duae oriuntur propositiones, quas Scholiasta statim tractat. Litera *σαν*, inquit, ea fuit quae post *ν* scribebatur — in mente habet C, quae numero et figura cum Hebraicorum ס conuenit — quae quidem periit, cum nunc *Σ* scribatur. Hinc grammaticus obiter monet, literan C atque illam (ϟ), *κ* aequantum, quam statim descripturus est, etiamnum in equis conspici, ita quidem, vt vtrumque signum coniunctum sit. Iam alteram propositionem Scholiasta adgreditur, in qua ei ita versandum erat, vt demonstraret, quali fuerit illa litera, cum *κ* conueniens, et figura et nomine. Inuertit paullulum demonstrationem, quae, si disponatur, sic se habet. At, inquit, vnde *Κοππατιαι* dicti sint, facile existimatur. Est enim signum, ad huc superstes, arithmeticum (*ἐπισημον* ϟ), quod quidem *Π* sequitur atque 90 valet quodque etiamnum *Κοππα* vocatur. Inde *Κοππατιαι* Aristophanis, ait, nomen acceperunt atque docetur a grammatis (*και παρα γραμματικοις οὑτω διδασκεται*), illud ϟ veterum esse *Κοππα* adhuc, licet *ἐπισημον*, superstes. — Nihil non suadet hanc explicationem praeter vnum. Quamuis enim credibile sit, posteros coniunxisse ϟ et C eo consilio, vt equorum duplicem quandam virtutem atque duplex pretium significarent, tacet tamen historia, Scholiastae aetate ita fere accidisse. Quam ob rem maluerit aliquis legere:

Συνεζευγμενου δε του I *και* C, *το σχημα του* CI, *αριθμου* reliqua, vel *Γ* (*πι*) *και* C; sed vtraque lectio

quamquam CI e literis C et I vel *Γ*, prouti a veteribus scriptum est, constare videtur, pugnaret cum fine Scholiastae. Demonstrandum ei enim erat, cur *Κοπ-*

monumentis figurae. De Σ tantum monendum est, figuram eius non ס sed ש esse, quoniam e tribus aut quatuor lineis rectis constat aeque atque ש, prouti a veteribus scriptum est. Quod vero nomina *Σαν* et *Σιγμα*, quibus vnum *σ*, quod Herodotus atque verba *σανπι* et *σαμφορος* testantur, appellatum est, in oculos incurrit, duas fuisse literas diuersas Hebraeorum ס alteram, alteram ש respondentes. Subinde demum accidit, vt Σ nomine *σιγμα* (ס) appellaretur.

Reliquae Graecorum literae velut *υ*, *φ*, *χ*, *ψ*, *ω*, neque sono, neque loco, neque nomine, nec denique figura comparari possunt cum literis Hebraicis quibusdam, quippe qui nullis praeter illas vsi sunt pronunciandi signis. Quodsi vero istae literae essent a Cadmo vel hominibus Phoe-

---

πατιαι dicti sint, neque vero, quod ab hoc loco alienum est, quomodo Ϟ *ἐπισημον* pingatur. Vtut sit, bene omnia quadrant, si verba *συνζευγμενου του* rel. cum antecedentibus coniungantur, neque vero abhorret, vtramque literam et Σ et ϟ equis inustam fuisse seriori tempore. Si quis vero Hermannum (Aristoph. Nub schol. v. 23.) sequi maluerit, legentem: *Συνεζευγμενου του Π και Σ, το σχημα του* ϡ *ἀριθμου δυναται νοεισθαι, οὑ προηγειται το* Ϟ, *και παρα γραμματικοις οὑτω διδασκεται και καλειται κοππα ἐνενηκοντα·* is certe Ϟ in *Ω*, quoniam hic locus signi Ϟ vel ϡ accurate describitur, atque *κοππα ἐννενηκοντα* in *σανπι ἐννακοσιοι* mutanda habebit aut verba: *και παρα*, sequentia, pro spuriis atque ab aliena manu adiectis iudicanda.

nissis additae, tulissent haud dubie — taceamus, eas serius demum in inscriptionibus reperiri — nomina Phoenissa.

Quaeritur nunc quid de Cadmo literarum apud Graecos auctore statui possit quaeque sint eius de literatura Europaeorum merita. Primo loco monendum, vanam esse eorum opinionem, qui Cadmum XVI. tantummodo aut XVIII. literas in Graeciam intulisse iudicarunt. Sunt XXII. literae, quae a Cadmo e Phoenicia in Graeciam transuehi potuerunt, ex quibus XXI. in Graecis recognoscuntur haec:

א	ב	ג	ד	ה	ו	ז	ח	ט	י	כ	ל	מ	נ	ס	ע
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70
A	*B*	*Γ*	*Δ*	*E*	*F*	(-)	*H*(*h*)	*Θ*	*I*	*K*	*Λ*	*M*	*N*	(ס)	*O*

פ	צ	ק	ר	ש	ת
80	90	100	200	300	400
Π	*Z*(7)	ϟ (90)	*P* (100)	*Σ*(200)	*T*(300)

Ex his vna neclecta est ז, vna transposita scilicet צ (ζ) loco ז, tres nouam potestatem sibi comporarunt scilicet ה (*h*) ח (*ch*) ע (*gh*), ita vt *e*, *h*, *o* significarent, quatuor denique tamquam numeri rationem mutarunt ita, vt ק (ϟ), ר (*P*), ש (*Σ*) ת (*T*) pro 100, 200, 300, 400 nunc 90, 100, 200, 300 valerent. Ne quis vero in eo haereat, quod diximus, literam ס Graecorum *σιγμα*, ש autem *σαν* significasse, pauca addere liceat. Scilicet quod *σ* duplicem apud Graecos nomen habuit, ex eo cognoscitur *σαν* et *σιγμα*

diuersas fuisse literas. Nullo enim pacto duplex eiusdem literae nomen Cadmus diuulgasset, si sono fuisset vno. Deinde ab omni probabilitate alienum est, Cadmum, qui potius sonos affines distinxisse videtur, *s* et *sch* (*sh* Anglicum), quae apud suam gentem distincta erant atque ab aliis omnibus, quae Graecas literas non habent, distinguntur, confudisse atque denuo coniugasse. Porro demonstrari potest, quod infra videbimus, literam ξ, quae locum ס siue σιγμα obtinet, serioris aeui esse, qua de re Cadmus, si *s* et *sch* copulasset, ס (60) necessario eiecisset e serie ita, vt ע eius locum occuparet atque numerum 60 — simile accidit literae ק — valeret. Praeterea quod attinet id, quod Herodoti aetate σιγμα et σαν eundem sonum retulisse traduntur, non mirum nunc videtur, sonum *sch* raucum subinde in *s* apud Graecos aeque atque apud Hebraeos aliasque nationes mutatum esse, quo facto licuit sane expellere ס literam atque σαν nomen, Σ vero σιγμα appellare.

At enim vero num haecce omnia, rogamus, ius est et fas tribuere Cadmo? Prorsus negamus, salua nominis eius celebritate. Reddamus rationem. Quamquam seges illa Cadmea, quae huc trahi potest, atque verba: *καδμηια γραμματα*, sexcenties repetita, maxime suadere videntur, Cadmum vel ipsum docuisse Graecos perfectam literarum cognitionem atque scribendi artem; nihil tamen inpedit, quominus illud memoremus: *hos ego versiculos feci, tulit alter*

honorem. Antiquissimus vero et grauissimus huius rei testis, Herodotus [96], non modo non dicit Cadmum auctorem literarum apud Graecos, sed etiam diserte narrat, homines Phoeniceos, Cadmum secutos, diuulgasse literarum vsum in Graecia. Quod quidem, si recte se habet, soluit nodum. Tanta enim Phoenicum caterua, quae valuit Graeciae tractum expugnare atque ab hostium incursationibus defendere, haud facite eo adigi potuisse videtur, vt in docendis Graecis consentiret, nec forte fortuna accidere potuit, vt mille capita easdem literas singula expellerent, mutarent, transponent, variarent. Faciamus autem nos falsos ab Herodoto atque Cadmum ipsum in vsum aut popularium, aut Graecorum, vt caperet beneuolentiam, patrias literas patriamque scribendi rationem turbasse, siue malueris, emendasse. Quodsi vero Cadmus in gratiam Graecorum mutasset literarum rationem, aut iusto minus, aut iusto plus aliquid fecisset. Etenim non videmus, cur nomina Hebraica et barbara Graecis obtulerit. Quodsi vero patrium morem retinere maluit, denuo non intelligitur, cur literis *ε o H* (*h*) apta et congrua nomina non indiderit, scilicet Hebraica, aut ea, quae non solum ab eo sono inciperent, quem significaret litera, sed etiam rem denotarent, cuius effigies cum literae fi-

96) Herod. L. V. c. 58. Consentit Dionys. Milet. Vid. Diodor. L. III. p. 110. ed. Steph.

gura conueniret. Deinde Cadmus ne potuit quidem, neque per amorem patriae, quacum continuo coniunctus manserit necesse erat, neque per aestumationem popularium, qui inprimis ei, neglectis aliis, curae esse deberent, neque per animi elationem, qua aduena despiciunt exteras, adeo literarum suarum rationem turbare, vt omni ex parte Graecis se obedientem praeberet. Ceterum minime laudatur Cadmi erga Graecos humanitas. Quodsi vero male contentus patria scriptura popularibus prodesse voluit, quid est, quod literas inter Semitas in primis vsitatas atque necessarias ח et ע expulerit; quid est, quod nouis sua nomina tribuere neglexerit, quod ס et ש distinguere desierit? Prosus repugnantia sumis statuendo, Cadmum ipsum mutasse vsum patrium. Ceterum non paucos fuisse Cadmum in Graeciam secutos, eo cognoscitur, quod Cadmo contigit, integram terram expugnare, quod plurima nomina et verba Semitarum inde in Graecia diuulgata reperiuntur, quod denique integra Graeciae regio, quippe a Cadmeis obsessa, Herodoto teste, *Καδμου γη* vocata est. Alia vero etiam eaque grauissima repugnat hanc sententiam ratio. Scilicet tenendum, Cadmum atque omnem Phoenicem, mercaturae studiosam, literas istas in rationibus computandis pro numeris habuisse. Quemadmodum vere nunc nemini liceret, scribere 90 pro 7, 400 pro 300, 300 pro 200, 200 pro 100, 100 pro 90 ita etiam Cadmo haud facile concessum esse potuit,

vt צ poneret loco ז, ק loco צ et sic porro. Eas quidem ob caussas Cadmus vocales א י ו etiam accuratius Graecis describere non potuit, ita vt pro sonis *a e i o u* singulares literae adessent, neque *omnium minime* vocalium *αι, οι, υι* inuentionem ei tribuere licet. Itaque ergo, cum Cadmus mutanda literatura neque Graecis neque Cadmeis, quibus in primis ei prospiciendum fuit, satisfacere potuerit, desinamus eum, praesertim cum literarum, Phoenissarum dicimus, vsus rectius hominibus Cadmum secutis adscribatur, celebrare auctorum literarum, quibus Graecia atque vniuersa Europa, America, Africaeque et Asiae partes nunc gaudent.

Palamedis

laudibus Graecia resonat. Is enim, Nauplii, Euboeae regis, filius inter eos fuit, qui ad Priamum repetendae Helenae caussa delegarentur. In parando bello aduersos Troianos primarias partes egit, ita vt sua auctoritate non solum Vsyssem, sed alias etiam Graecorum principes ad vlciscendam ignominiam et iniuriam promtos et paratos redderet. Exercitu Graeco in terram Troianam transuecto, ab initio statim inter consiliarios rei bellicae receptus fuit neque obscurum est, quanta et qualia effecerit. Non alienus fuit a laudibus medicorum, ac poetarum, teste Athanasio, atque in astronomia adeo versatus a Philostrato traditur, vt defectiones solis explicare atque animos inde timentium compes-

cere posset. Ne torpescerent militum ingenia, curauit, vt artibus bellicis exercerentur atque aleae lusum, cuius inuentor praedicatur, eos docuit. Maiora autem sunt eius merita de re literaria. Ac primo fuerunt, qui a Palamede numerorum cognitionem atque arithmeticae scientiam, quid? quod totam artem scribendi repeterent. Alii in eo acquieuerunt, vt Palamedi literas ζ, π, φ, χ, vti Suidas et Hesychius, aut ϑ ξ χ φ vti Plinius, adscriberent. Ipse Plutarchus Palamedem quatuor literarum auctorem dicit 97). His falsa subesse apparet. Etenim Graecos ante Palamedem literis Phoenissis pro numeris in computando vsus est, ex eo facile existimari potest, quod literarum Hebraicarum et Graecarum idem est ordo et, si a paucis discesseris, potestas. Cum vero ante Homerum iamiam scriptores exstiterint atque *γραμματα Καδμηια, Πελασγικα, ἀρχαια*, vnde, literas ante Palamedem vsitatas fuisse, haud male aliquis coniecerit, nominentur, cum denique in carminibus Homericis verba ex arte scribendi petita atque etiam epistola quaedam occurrant; ne scripturae quidem inuentio a Palamede profecta dici potest. Ceterum si Palamedes et numerorum et literarum auctor fuisset, neutiquam potuisset neque figuras neque nomina literarum Phoenissarum retinere. Qua de re concluden-

---

97) Suid. v. *Παλαμηδης*. Hes. Lib. *περι σοφ.* p. 31. Meurs. Plin. Hist. N. L. 7. c. 56.

dum est, artem scribendi hac aetate Graecis cognitam atque quodammodo diuulgatam fuisse. At vero quid Palamedi recte hac in caussa tribui potest? Audiamus Euripidem, apud quem Palamedes sic loquitur [98]:

Τα της γε ληθης φαρμακ', ὀρθωσας μονον
'Αφωνα και φωνουντα, συλαβας τιθεις,
'Εξευρον ἀνθρωποισι γραμματ' εἰδεναι.

Hoc primum intelligitur, ab vno viro eoque Graeco omnia ea esse profecta, in quibus non solum literae sed etiam omnis scriptura Phoenicum differunt a Graecorum numerandi et scribendi ratione. Traditur autem hoc loco Palamedem literas consonantes (*ἀφωνα*) et vocales (*φωνουντα*), disposuisse (*ὀρθωσας*). Non nouas literas, inquit Palamedes, inueni, sed eas, quae aderant Cadmeae et sonantes et consonantes, non nisi (*μονον*) in ordinem scilicet nouum redegi [99]. Ita prorsus accidisse, vix opus est

---

98) Ex nob. fragment. apud Stobaeum.

99) Nullo prorsus iure coniunguntur (Hug. Erfind. p. 124.): 1) *μονον ἀφωνα* 2) *και φωνουντα τιθεις* atque 3) denuo *συλαβας τιθεις* scilicet vt vana sententia de absentia literarum vocalium apud Phoenices stare possit. Hinc sensus infertur his verbis hic: Palamedes literas per se (*μονον*) mutas (*ἀφωνα*) et auxit et emendauit, vocales autem addidit tamquam nouas (*και φωνουντα τιθεις*), quo facto syllabae ortae sunt, (*συλλαβας τιθεις*), quippe quae e vocali quadam cum consonantibus copulata constant. Sed cum eiusmodi constructio contra leges linguae Graecae sit, cumque verbum *συλλαβη* longe aliam

demonstrare. Successit nimirum צ in locum ז, periit ו, quinque literae potestatem arithmeticam mutarunt atque nouus ordo prodiit. Traditur vero etiam, Palmedem syllabas posuisse, quod de vocalibus *αι* (*ä*) *οι* (ö) *υι* (*ü*) intelligendum est. Etenim supra vidimus non solum Latinos sed etiam Graecos literas *αι* et reliquas syllabas vocasse, quo loco a diphthongis accuratius discernendae essent. Hoc etiam clarum est, verbum *συλλαβης* hoc in loco non de syllabis, quas nos dicimus, intelligi posse. Alioquin inde sequeretur, Palamedem omnis scribendi artis auctorem apud Graecos fuisse, quod quidem non solum cum historia, sed etiam cum verbis: *ὀρθωσας μονον φωνα και ἀφωνα·* plane pugnaret. Etiamsi hanc interpretationem aliquis iusto artificiosiorem dixerit, pespicitur tamen, illud *ὀρθωσας* non nimis esse premendum. Qui enim Graecorum id si sumsit, vt literis Cadmeis decimam octauam transponeret, septimam ex ordine eiiceret, octauam mutaret, quippe Graecae linguae incommodas, quatuor vero nouo valore instrueret, ei reliqua etiam tribuere nos oportet,

---

notionem habeat; adstipulari non possumus. Graeci enim, si ante Palamedem, cum scripserint, vocalibus caruissent, velim dicas, quis literam λ potuisset vt *ηελιοιο* legere. Mansit quidem ambiguitas, quamuis scripserint veluti וויליא, sed cum Cadmei, tum Graeci vincere studio potuerunt ea impedementa. Praeterea hoc ex loco, si non aliunde demonstratum esset, *posset probari*, in Cadmeis literis vocales nimirum ו י א fuisse.

quae in mutata Cadmearum literarum ratione Graecam manum produnt. Hinc Palamedes ויא sonum accuratius descripsit, ita vt י diuideret in *i* et *e*, ו in *w u o*. Cum ח et ע Graecis inutiles essent, figuram et locum ע sibi comparauit O, literae ח vero H (*h*) atque vocali E cessit consona ה, in ח siue H translata. Eodem modo ortum est V (*u*), quod, abs *Υ* diversum, in lapidibus vetustissimis adhuc reperitur, licet *Υ* tamquam *ü* exstaret, quodque locum post *τ* occupauit. Ridiculum autem est credere, Graecos sono *u* initio caruisse imo certissimum est, eum, qui *a*, *e*, *i*, *o* ex nouem istis vocalibus distinxit, eum inquam *u* etiam, quae necessario ad quatuor illos sonos pertinet, clare percepisse et a reliquis seiunxisse. Hinc remanserunt י et ו suis in locis, ita vt י siue I, et vocalis *i* et consonae *j*, ו siue *ϝ* consonae *w* vim retinerent. Attamen cum Palamedes sonis י et ו egregie suos fines descripserit, non potuit א ambiguum relinquere. Qua de re *a* ab *ä* distinxit eo, vt I adderet, quod etiam in discernendis o et ö, u et ü requirebatur, quo facto noua vocalium signa *αι*, *οι*, *υι* orirentur, necesse erat. Hactenus progrediendum fuit Palamedi, neque aliter agere eum potuisse vidimus. Etenim qui *e* ab *i* distinxit, idem *u* ab *o* segregare debuit, qui vero sonos י et ו proprios internouerat, idem א etiam intactum relinquere non potuit, qui vero AI scripserat, is denique OI et VI etiam producere coactus fuit.

Quamuis hinc literae Cadmeae iam egregie dispositae et auctae viderentur, vnum tamen relictum erat. Scilicet, cum כ (*K*) et פ (*Π*) alias *k* et *p*, alias *ch* (χ) *f* (φ) significandis inseruirent, id etiam Palamedi curandum fuit, vt eiusmodi ambiguitas tolleretur. Hinc orta sunt *KH*, *ΠH*, vbi non *k* et *p* sed *ch* et *f* valerent. Eam ob caussam *TH* etiam, cum ϑ serioris originis sit, Palamedi tribuendum videtur. Apparet itaque, quanta sint huius viri de arte scribendi apud Graecos merita, quippe qui non solum vocales, sed etiam consonas omnes, quas natura humana proficere atque audiendo distinguere satis valet, literis singularibus significare operam dedit. Habuerunt itaque Graeci Palamedis aetate vocales *a ä e i o ö u ü*, consonas m, n, (—)', b, d, g, w, j, h, f, s, sch, l, r cum partibus earum seu formis p, t, k, ch. Accedit, quod Graeci nonnullos sonos duplici modo velut *k* literis K et ϟ (*κοππα*), w literis Ϝ et V ante vocales notare potuerunt, vnde non mirandum, quod obiter monere liceat, Ϝ et ϟ desiisse scribi atque in computando solum tamquam ἐπισημα reseruata esse. Cum vero tanta fuerit Palamedis subtilitas atque eximium ingenii acumen, vt vocales et consonas humanas accuratissime internosceret omnes, quaeritur, vtrum *n* nasale illud eum fugerit, quod inter primarios quatuordecim illos orationis sonos pertinet. Haud facile aliquis in eam quidem sententiam adduci posse videtur, qua de re admodum probabile est, Palamedem

etiam primum illud *γ* pro *ν* scripsisse velut in *ἄγκυρα*, vbi *ν* non vulgare, sed nasale audiretur [100]. Denique hoc etiam quaestioni est, vtrum Palamedes vocales breues a longis seiunxerit. Quamquam vero vix nimis huius principis merita praedicari possunt, poetarum tamen magis fuisse videtur, vocales ancipites accuratius distinguere, qua de re hoc quidem Homero, qui primus inter illos et maxime excelluit, rectius adscribendum videtur. Satis Palamedes rei literariae prospexit eo, vt literas Cadmeas non solum vocales, sed etiam consonas potestate ambiguas suis finibus circumscriberet atque pro sonis singularibis noua signa exhiberet. Quod vero diximus, Palamedem צ loco ז posuisse, scrupulus iniicitur. Constat enim, *ζητα* serioris demum aeui literam esse. Satius itaque est, statuere, Palamedem ז retinuisse nec nisi posteros Cadmeum צ refinxisse, de quo infra disserendum erit. Literas itaque, quae Palamedi tribuendae sunt, habes has:

Α	*Β*	*Γ*	*Δ*	*Ε*	ϝ	ז	*Η*	ט	*Ι*	*Κ*	*Λ*	*Μ*	*Ν*	ס	*Ο*
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70

Π	ϟ	*Ρ*	*Σ*	*Τ*	Υ
80	90	100	200	300	400

quibus accedunt extraordinariae consonantes: *ΠΗ*, *ΚΗ*, *ΤΗ*, vocales: *αι*, *οι*, *υι*.

100) Cf. Buttmann. Gr. Gramm. §. 3. n. 5. p. 15.

Nullo fere tempore Gracia plures habuit literas et ad designandos orationis humanae sonos aptiores. Quodsi enim ab eo discesseris, quod deessent vocales producta, vix cogitari potest perfectior quaedam scriptura, atque singulas istas literas sonuisse, non eget demonstratione. Alioquin Palamedes, cum צ neglexerit, omnes eas literas expulisset, quae pari modo superuacaneae essent. Hinc clarum est, Ͻ (σιγμα) et Σ (σαν) sono diuerso fuisse atque *s* et *sch* significasse. Nostrum itaque erit demonstrare, quo tempore partim quaedam ex his literis in scribendo adhiberi desierint, partim noua signa a Graecis inuenta accesserint, partim denique vocales ancipites accuratius distingui coeperint, siue, vt vno verbo dicamus, quas mutationes literatura Graecorum subinde et vicissitudines subierit. Iam quaeres, quid de veterum auctoritate statuendum sit, qui Palamedi partim quatuor literas quasdam, partim ϑ, ξ, χ, φ, partim ζ, π, φ, χ adscribunt. Primo, istum virum literarum ϑ, ζ, π auctorem falso praedicari, sponte intelligitur. Etenim cum ea signa nomina habeant Hebraica, Cadmeae coloniae tribuenda sunt, nolumus etiam repetere, ζ et ϑ serioris originis esse, quo facto restant ξ, χ, φ. Sed cum eae etiam literae desiderentur in veterum inscriptionibus antiquissimis atque literatura Latina, concludendum, aut errasse scriptores aut, quod probabilius est, librarios. Sua sponte sese offert huius rei explicatio, dummodo tenueris,

in quo omnes consentiunt, Palamedem quatuor literas inuenisse. Scilicet cum in codicibus exstaret *ΠΗ*, *ΚΗ*, *ΤΗ*, inscii scripserunt, literis nouis pro iis in vsum receptis, *Φ*, *Χ*, *Θ*, quibus accessit V. Quum vero sermo sit de literis, praeter solitas in serie Cadmea positas numeros valentibus, probabile redditur, Graecos hunc ordinem seruaasse a Palamede constitutum:

V, *ΠΗ* *ΚΗ* *ΤΗ*
400 500 600 700

in quorum loca subinde *Υ*, *Φ*, *Χ*, *Ψ* successerunt.

Homeri aetate

qualis fuerit Graecae literaturae ratio, vnum nos edocere posset carminum istorum exemplum hoc tempore scriptum, si aetatem tulisset. Quod cum non sit nobis concessum, cum potius quaenis aetas nouas literas Graecorum in describendis scriptis Homericis adhibuerit, antiquas et obsoletas expulerit; desperandum omnino est, certum hac de re constiture. Itaque in ambiguo plane relinquendum est, vtrum Homerus in versibus exarandis literarum ז (*z*), ט (*th*), ס (*σιγμα*), *Σ* (*σαν*), ϟ (*κοππα*), *Η* (*h*), Ϝ (*w*) vsum fecerit, nec ne. Attamen non omnibus praesidiis hac in re diiudicanda destituimur. Etenim quod *σαν* et *σιγμα* attinet, non potuisset vtrumque nomen seruari, nisi vtraque litera vsu venisset. Porro Ϝ, siue digamma iis in verbis adfuisse cogitur, quod satis ab aliis demonstratum est, quae hiatu

nunc patiuntur. Literarum etiam *TH*, *ΠH*, *KH* et *H* vestigia apud Homerum exstant. Cum enim *τ*, *π*, *κ* ante *H* (*h*) postea scripta sint *ϑ*, *φ*, *χ*; admodum probabile est, Homerum non solum *H* sed etiam literas cum ea compositas in vsu habuisse. Alioquin *p* et *f*, *k* et *ch* distinguere sono non potuisset. Denique V etiam Homero vocalem atque consonam fuisse inter vocales, argumento est, quod *υ* vocalem antecedentem passim breuem esse siuit atque sexcentis in verbis veluti in *ἔαδε*, aeque atque ϝ excidit. Grauius est, quod in libris Homericis vocales productae primum conspiciuntur, dicimus *ει* ($\bar{e}$), *αι* ($\bar{a}$), *οι* ($\bar{o}$), *υι* ($\bar{u}$). Possit quidem contra moneri, rara esse eius rei vestigia atque veteres diserte tradere, vocales duplices initio pro simplicibus longis scriptas esse, nec non verbum *δεελος* postea *δηλος* striptum hanc sententiam egregie confirmare. Sed minime rara sunt loca, in quibus vocales, maxime omnium *ε*, vt produci possent, *ι* adscriptum acceperunt, neque silentio praetereundum, seriorem aetatem diligenter atque pro virium modulo literas recenter natas easque minus ambiguas substituisse pro *ει*, *αι*, *οι*, *υι*, meras vocales longas valentibus. His tantum in verbis, in quibus librarii, nescii, vtrum dialectorum rationi, an poetae vsui scriptio quaedam tribuenda esset, genuina lectio et scriptio Homerica, quod gratum nobis accidit, intacta et salua mansit ad hunc vsque diem. Ceterum *ι*, quod dicunt, subscriptum

testatur, eam literam fortasse tenuitatis et quasi maciei caussa ad vocales etiam longas significandas adhibitam fuisse. Deinde negari possit, Graecos initio geminas vocales loco productarum exarasse, cui quidem sententiae verbum δεελος minime obest. Admodum probabile videtur eam consuetudinem serius et quidem post saeculum octauum demum inualuisse, qua de re δεελος profecto inde ab hoc tempore pro δειλος scriptum, aut statim ab initio trisyllabi modo pronunciatum esse potuit. Nihil enim frequentius, quam binarum vocalium, idem sonantium correptarum, in vnam longam, ne offendat hiatus, commutatio. Hoc saltem negari nequit, vocales geminas pro longis in antiquissimis Graecorum inscriptionibus non reperiri. Ceterum cum Homerus sexcentis in locis easdem vocales corripuerit, quas produxit alias; non potuissent quidem neque satis recte intelligi, neque ab interpolationum sordibus seruari eius carmina, nisi in scribendo statim vocales breues et longas certo quodam et apto modo notasset poeta. Itaque inuentio vocalium productarum

AI, EI, OI, VI

rectius fortasse Homero nostro tribuitur, quem hac etiam in re scriptores Graeci Latinique diu post eum viuentes secuti sunt. Ceterum II pro *i* producto non exstare, inde factum est, quod istae literae *ji* et *ij* significassent.

etiam in iis numeratur, qui literarum Graecarum auxerunt numerum. *Vtique in Graeciam intulisse arbitror*, inquit Plinius, *e Phoenice Cadmum literas sedecim numero, quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quatuor hac figura Θ Ξ Φ Χ, totidem post eum Simonidem Melicum Ζ Η Ψ Ω, quarum omnium vis in nostris recognoscitur. Aristoteles X et VIII priscas fuisse Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ et duas ab Epicharmo additas Θ Χ, quam a Palamede, mauult.* Plerique cogitarunt de Epicharmo Siculo, qui vixit post Pythagoram saeculo quinto et quarto a. Ch. At hunc quidem ab illo diuersum atque aetate longe superiorem fuisse plurimae grauissimaeque rationes cogunt. Nomen enim Epicharmi, quod praemonere liceat, ita comparatum est, vt antiquissima aetate Graecis in vsu esse potuerit atque veteres etiam varios eiusdem nominis viros confuderunt [1]. Quod Aristoteles Epicharmum dicit literarum duarum auctorem, vix ac ne vix quidem Siculum in mente habere potuit. Cum enim Epicharmus diem obierit anno 388. a. Ch. atque Aristoteles anno 384. natus sit; cognitum tunc temporis fuerit necesse est, quas literas et Epicharmus et Simonides profecerint neque ad Epicharmum confugiendum

1) V. Saxii Onomast. lit. T. I. p. 33.

erat grammatico, cum Simonides aetate superior esset. Aperte Epicharmus, quod totius loci ratio docet, vetustissimus homo tanquam Palamedes cogitatur. Hoc etiam suadet hanc sententiam, quod Epicharmo duae tantum literae tribuuntur atque siue *Z* et *Φ*, siue *Θ* et *X*, siue aliae binae inter veteres literas numerantur. Sunt enim quatuor literae a Simonide profectae, quod infra videbimus, atque totidem ab alio quodam ante eum repetendae, quas, si fuisset Epicharmi fere coaeuus, Aristoteles enumerasset. Hinc clarum est, Epicharmum illum, quem Aristoteles in mente habuit, aut Palamedis aetate, aut post haud multis vixisse. Deinde literas ζ ϑ φ χ antiquissimae inscriptiones exhibent, desiderantur contra η ω ξ ψ vsque ad saeculum IV a. Ch., quam ob rem η ω ξ ψ Epicharmo tribuendae essent. At veterem consensu Simonides autor signorum η ω ξ ψ traditur. Porro cum Simonides atque Epicharmus neque aetate haud multum diuersi fuerint, neque patria, quippe alter Cous alter Melicus; accidere non potuit, vt vtriusque viri literae, pari modo aptae et necessariae, non vno tempore a Graecis receptae essent, imo Epicharmi merita duobus fere saeculis neglecta iecerint. Si quis vero obiecerit, Epicharmum non nisi in Sicilia degisse, non intelligitur, cur Graeci Italici literas Simonidis prius, quam Epicharmi receperint, atque qui factum sit, vt Epicharmus Pythagoram audire potuerit. Ceterum negari ne-

quit, adesse literas φ, χ, ϑ, Z in lapidibus inscriptis, quae non solum Epicharmi, sed etiam Simonidis aetatem excedunt. At cum ista signa Epicharmo Coo adscribi non possint, monuerit fortasse aliquis, Palamedem φ, χ, ϑ, Z, quod Plinius etiam tradere videtur, rectius dici auctorem. Facile huius sententiae vanitas perspicitur. Cum enim literae Palamedis, siue in Euboea patria siue in Troade, durante bello, inuentae, non potuerint non omnes Graeciae in partes deferri; Latini etiam, qui *Z* serius atque χ φ ϑ nunquam scripseruut, atque Graeci ii, qui initio *KH*, *ΠH*, *TH* vsi sunt, inde a Palamedis aetate accipere debuissent istas literas. Scilicet bellum Troianum totam fere Graeciam coegit atque primam inter Graecos et morum et culturae aequalitatem quandam effecit neque potuerunt non Palamedis literae ad varias gentes et regiones deferri. Quamuis itaque statuas, Peloponnesiacos, quod contra historiam est, bello Troiano non interfuisse indeque accidisse, vt Latini literas nouas aptiores quasdam non acceperint; est tamen ab omni probabilitate alienum, eas Graeciae partes, quae colonias in Italiam miserunt, aut eas, quae, vti tabula Veneta testatur, *ΠH*, *KH*, *TH* instar Latinorum scripserunt, quatuor saeculis post Palamedem literas ab huius viri ingenio progenitas nondum nouisse atque in vsum recepisse. Si quis vero in ea sententia persiterit, ei probandam fuerit, Latinos ante Palamedis aetem scribendi

artem exercuisse atque Graecas gentes nonnullas *ΠH*, *KH*, *TH* retinere potius, quam φ, χ, ϑ adhibere maluisse. At Italiam, priusquam Graeci colonias illuc deduxerunt, barbaram fuisse, facile quiuis concedet, neque intelligitur, cur Graeci in Italia aduenae saeculo VIII aptiorem scripturam non docuerint. Hoc autem nemini persuadebitur, Graecos, quod plane est contra rei naturam atque historiae documenta, literas simplices pro compositis, aptas pro ineptis adhibere detrectasse. Quas quidem ob caussas neminem facile negaturum esse arbitramur, literas φ, χ, ϑ, ζ neque Palamedi, neque Simoni, neque Epicharmo illi Siculo adscribendas esse. Quaeritur autem, quanam aetate vixerit is, cui debentur istae literae. Ac primo negari nequit, literas φ χ ζ iis adesse in veterum monumentis, quae ante saeculum septimum exstiterunt. Huius generis sunt, in quibus *υ* desideratur, quod diserte Pythagorae a veteribus inuentum traditur. Hinc negari vix potest, quod literarum etiam ratio docet, inscriptionem Deliacam ante saeculum sextum ortam esse atque cum *ου* pro *ο* eadem aetate, quod infra videbimus pronunciari et scribi coeperit, sequitur, Telecci clypeum etiam, Amyclis a Fourmontio detectum certe e saeculo VII. a. Ch. esse. Vtraque vero inscriptio literas φ χ ϑ conspicienda praebet, quas ante eam aetatem exstitisse, hinc cogitur. Deinde demonstratum est, auctorem inscriptionis Sigeae antiquissimas literarum cha-

racteres imitatum esse, ex quo sequitur, cum ibi φ, χ, ϑ reperiantur, dudum ante *ΠH*, *KH*, *TH* scribi desiisse. Attamem cum Latini saeculo VIII. φ, χ, ϑ, ζ non nouerint atque in Homero etiam vestigia literarum *ΠH*, *KH*, *TH* reperiantur, haud recte possunt ea signa ante saeculum IX vel X a. Ch. orta dici, atque nihil offendit, φ, χ, ϑ, ζ non statim per totam Graeciam diuulgata fuisse. Quamuis de patria istarum difficillimum sit iudicare, a probabilitate tamen non abhorret, Iones, qui primi cultura polluerunt atque literarum humanitate, eas inuenisse atque in scribendo adhibuisse. Inde saltem explicari potest, quod in Peloponneso saeculo a. Ch. VIII. literae *ΠH*, reliquae in vsu fuerint quodque inscriptio Sigea, antiquitatis studiosa, φ et reliquas habet exaratas. Ex his itaque satis apparet, Epicharmo cuidam, dudum ante Aristotelem viuenti, non solum ϑ et ζ, quas in vsum restituit, sed etiam φ et χ, quas pro *ΠH* et *KH* effinxit, haud dubie adscribenda esse.

Saec. VIII.

Egregium quoddam ad cognoscendam Graecorum literaturam praesidium habemus linguam Latinam. Latini enim, quod et linguae et morum et religionis ratio docet, e Graecis orti sunt quippe iis, qui Peloponnesum inhabitantes saeculo octauo colonias in Italiam deduxerunt, qua de re nullus dubidationi locus relin-

quitur, literas Latinorum omni numero Graecis hac aetate respondisse. Est autem hic literarum Graecarum numerus et ordo:

A	B	C	D	E	F	G	H	(-)	I	K	L	M	N	(-)
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60

O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z.
70	80	90	100	200	300	400			

His accedunt extraordinariae siue compositae

consonantes: PH, CH, TH;
vocales: AI, OI, VI;
productae: AI, EI, OI, VI.

Ex his duo statim cognoscuntur, scilicet Graecos saeculo octauo literis *Θ*, ʊ (*σιγμα*), *Ξ*, *Υ*, *Z* (*ζητα*) partim caruisse partim, quod postea demum fecerunt, in scribendo non vsos esse; contra literas Γ, ɿ (*z*) *H* (*h*), ϙ (*κοππα*), V, *ΠH*, *KH*, *TH*, AI (*ā ä*), EI (*ē*), OI (*ō ö*), VI (*ū ü*) nondum obsoleuisse. Etenim si Graeci *Θ*, ʊ, *Ξ*, *Z* in vsu habuissent, non dubium est, quin Danai, Italiam occupantes, eas quidem literas seruassent neque vero earum loca veluti subsellia vacua reliquissent, quam ob caussam concludendum est, ʋ et ʊ Graecis tunc temporis *ἐπισημα* fuisse, non nisi in arithmetica arte adhibita. Quamuis itaque Palamedis et Homeri aetas *σιγμα* et *σαν* consonas distinxerit; non potuerunt ea signa hac aetate longius sono diuerso fuisse. Hinc itaque accidit, vt sonus *sh*

apud Graecos perierit atque *σιγμα* nomen, expulso *σαν*, literae Σ inditum sit. Mirari quidem aliquis possit, Graecos consona primaria caruisse; sed vidimus, Graecos ab antiquissimis inde temporibus sonos difficiles et raucos, quibus merito *sch* adnumeratur, in faciles et suaues vertisse atque egregie illustratur haec res loco scripturae sacrae, in quo, totam genten ש non pronunciasse, traditur [2]. Ceterum, Graecos serius etiam *Σ*, licet rarissime, *sch* elocutos esse, ab interpretibus nostris cognouimus. Deinde Graecis signa Ϝ, *H* (*h*), ϟ (Q = *κοππα*), *V*, *ΠΗ*, *ΚΗ*, *ΤΗ*, AI, EI, OI, VI saeculo octauo a. Ch. adhuc vsitata fuisse, satis perspicitur. Hoc tantum explicatione eget, quod diximus, Graecos ad hoc vsque saeculum et postea etiam ז (*z*) scripsisse, contra *Ξ*, *Υ*, *Z* (*ζητα*) nondum habuisse. Scilicet *ξ*, *υ*, *ζ* apud Latinos non solum non ordine Graeco hoc: *Z X Υ* veniunt, sed etiam in fine serie post V addita sunt, vnde cognoscitur, *ξ* et *υ* ante *ζ* apud Graecos inuenta esse, atque etiam *ζ*, *ξ* et *υ* post saeculum VIII. demum prodiisse. Quodsi enim Itali non serius quidem literas *X* (*ξ*) *Υ* (*υ*) *Z* (*ζ*), quippe serius inuentas, a Graecis accepissent, ea loca apud Latinos inter reliquas tenerent, quae habent apud Graecos. At quid sibi vult G Latinorum inter F et H medium atque CH pro KH Graeco scriptum? Age videamus. *To κ*

2) Lib. Iudic. C. XII. v. 6.

προς το γ, inquit Plutarchus, *συγγενειαν εχει παρ' αυτοις* (Romanis)· *οψε δε εχρησαντο τῳ γ, Καρβιλιου Σποριου προσεξευροντος* [3]. Est ergo G Latinorum serioris aetatis litera, quod inscriptio columnae rostratae atque numi egregie confirmant, in quibus G frustra quaeritur eiusque loco constanter C, veluti in verbis CORCONIVS, MACISTRATOS, PVCNANDOD, reperitur. Itaque Latini litera C, quae et numero et figura conuenit *Γ* Graecorum, vsi sunt non solum pro *k*, sed etiam pro *gh*, sicut Graeci suo *Γ* aeque atque Hebraei ג, adeo vt literae K (k) nullum fere vsum, nisi in verbis quibusdam Graecis, facerent. Quod cum Sp. Caruilium offendisset, curauit, vt singularis litera esset, quae *k* lene et *gh* etiam valeret, quo facto Romani omnibus in locis G pro C posuerunt, in quibus C non *k* siue *K* Graecum sonaret, atque *k* in C (= *γ*) quippe commodius verterunt. Neque mirandum, *Γ* apud Latinos *k* significare potuisse, cum hic ipse sonus fuerit consonae *γ* genuinus atque Copti etiam suum *Γ*, quamuis a Graecis edocti, pro *κ* pinxerint. Hinc cognitum primo habebis, qua de re Latini CH pro KH scripserint. At quid est, quod G sedem posuerit inter F et H, quo loco apud Hebraeos ז reperitur? Non nisi duplici modo ea res explicari potest, ita scilicet, vt dicas, aut forte

3) Plut. Quaest. Rom. c. 54. 54. T. II. p. 277. Villoison. Anecdot. T. II. p. 167. s.

fortuna sic accidisse, aut aliam quandam literam antea hunc locum occupasse. At vero ordinem literarum apud Latinos aeque atque apud Graecos certum et firmum fuisse, facile perspicitur. Etenim quibus a pueris inde literarum nomina deinceps incullantur, ii etiam inuiti, quod experientia docet, ordinem literarum discunt et retinent. Grammatici quoque eundem omnes iique antiquissimi ordinem literarum Latinarum seruant, quem quidem cognitum habemus. Apprime huc facit, quod Latini literas Graecas serius inuentas non iis locis posuerunt, quibus reperirentur apud Graecos, sed seriei in fine addiderunt. Quodsi itaque casu quodam litera G mediam seriem ingressa fuisset, etiam literae X, Y, *Z* aetate reliquis minores, praesertim cum longe ante G natum receptae sint, non solum potuissent, sed etiam debuissent propter Graecorum exemplum in medias literas eaque in loca recipi, quae iis conuenirent. Cogitur itaque, Latinos loco G antea literam superuacaneam habuisse, quae, cum apud Hebraeos ז atque apud Graecos postea *ζητα* ibi staret, non potuit non *z* sonuisse. At cur *Z* a Graecis receperunt Latini? Scilicet solet *z* subinde *s* euadere atque apud Latinos, parum abest, vt debuerit. Etiamsi vero statueris, literam Latinorum inter F et H ante G inuentam *z* sonuisse, potuit tamen a *Z* Graeco differre, ita vt Latini haberent, quod eam etiam literam reciperent, quae postea aut cum *Z* aut cum

alia quadam congrueret. Ex his perspicuum esse ducimus, Graecos inde a Cadmo vsque ad saeculum VIII. vel serius literam ו in vsu habuisse. Nihilo minus denuo quaeritur, cur Graeci ז illud, expulsum ante, refinxerint, quod quidem Latini serius assecuti vltimo literarum loco posuerunt. At cum Graeci sexcentis in verbis consonas duplices in simplices subinde mutauerint atque ipsum *ζ* in *s*; haud dubie accidit, vt ו etiam mature, quod etiam apud Iudaeos, Arabes et Aethiopes, alios obseruatur, sonum *d* amitteret, quo facto *ζητα* reuiuiscens in eius locum substitueretur necesse erat. Hinc denuo egregie illustrari videtur id, quod Eustathius refert, veteres *ζ*, fortasse ו valens *s*, pro *σ* scripsisse, nisi si haec linguae mutatae tribuere malueris, quodque in marmoribus Graecis ante *ζητα* inuentum Z quoddam reperitur, quod vero non ז (*ζητα*) sed ו (*ἰαϊν*) rectius appellatur. Sunt ergo plurima et grauissima, vt paucis repetamus, quae lingua Latina de ratione literaturae Graecae edocemur. Inde enim cognoscitur, Graecos saeculo VIII. literas Γ, ו, H, ϟ (*κοππα*), V in vsu habuisse aeque atque *ΠH*, *KH*, *TH*, AI ($\bar{a}$) EI ($\bar{e}$) OI ($\bar{o}$) VI ($\bar{u}$), quas quidem omnes subinde expulerunt aut in alias verterunt, contra caruisse *Z* (*ζητα*) *Θ*, ס (*σιγμα*), *Ξ*, *Υ*, *Φ*, *X*, *Ψ* aeque atque *η* et *ω* et *ει* ($\bar{i}$) et *ου*, quas quidem subinde in vsum receperunt. Ex his *Θ* et ס tantum in serie literarum ordinariarum locum obtinebant, quae, etiamsi antea

sonuerint, tunc temporis nonnisi pro numeris siue ἐπισημοις valerent. Ceterum inde explicandum est, quod ט (ϑητα) quoddam ante Θ inuentum, siue refictum potius, vti a nonnullis, inprimis Osanno, monitum est, in Graecis inscriptionibus reperitur. Est nihil sane grauioris momenti, quod contra hanc nostram sententiam proferri possit. Obiecerit fortasse aliquis, Latinam literaturam genuinam non eam referre, quae vniuersa in Graecia, sed quae in Aeolia aut in Peloponneso valuerit saeculo VIII.; sed cum literae Latinae, duabus exceptis, accuratissime cum Graecis postea vsitatis conueniant atque cum ea, quae ab Italis cognoscuntur rei naturae historiaeque testimoniis non modo non repugnent, sed etiam mirum in modum consonent; Aeolum vel Peloponnesiorum literae haud recte dici possunt singulares atque a reliquis diuersae. 'Grauius esset, si posset demonstrari, Graecos in Italiam profectos turbasse, quod dicunt, alphabetum, ita vt alias literas eiicerent, alias suis locis mouerent. Sed quod Latini ט et ס neglexerunt, recte fecerunt, cum apud populares mera signa arithmetica valerent aut nihil sono differrent ab aliis literis in scribendo vsitatioribus, atque constat, Latinos aeque atque Graecos postea antiquam numerandi consuetudinem ita mutasse, vt literas verba numeralia incipientes velut D pro δεκα, C pro centum loco numerorum haberent. Latinos autem siue Graecos, transuectos in Italiam,

patrium ordinem mutasse, a veritate non solum, sed veritatis etiam specie plane abhorret. Vnum memoremus, G aeque atque X Y Z serius inuenta Latinis eas post literas ponenda fuisse, quas sequuntur apud Graecos, scilicet post B, N, T, G. Minime omnium ea sententia approbanda est, ex qua Latini literis Graecis nouas quasdam ab initio statim rei Italicae de suis addiderunt. Etenim nihil perfectius quoddam proferri sane potuissent, sin commoditatis caussa scripturam Graecam mutare voluissent, id curassent, vt soni *ch*, *f*, *th* non duabus literis CH, PH, TH, sed vna quadam, vti apud Graecas *X*, *Φ*, *Θ*, significarentur. Qua de caussa nemo facile hoc etiam negauerit, V genuinam esse quandam Graecorum literam eamque a Palamede profectam.

Quod vero *u* et *i* producta Graecorum attinet, videntur hac aetate cum lineola imposita etiam scripta esse. Constat enim, inscriptiones Latinorum, $\overline{\mathrm{V}}$ pro *u* longo habere, quod, cum Latini nunquam fere non Graecos imitati sint, vix dubium est, quin ad exemplum factum sit Graecorum [4]. — Ad hanc aetatem vel saeculum VIII. etiam pertinere videtur tabula Veneta, quae *ΚΣ* pro ξ, *ΠΗ* pro φ, *ΚΗ* pro χ scripta refert, quam quidem subdititiam esse nondum demonstratum est [5]. Etiam columna Naniana

4) Cf. Hensel. Harmon. p. 96. s.

5) *ΕΚΠΗΑΝΤΟ. ΕΠΕϜΚΗΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΣΑΙ.*

silentio non praetereunda est, quae easdem literas pro φ, χ, ϑ habet. Ceterum Diomedes quoque et scholiasta Dionysii Thracis diserte tradunt, a XVI literis Graecorum primaeuis φ, χ, ϑ pro quibus *ΠΗ, ΤΗ, ΚΗ* scripserint, aeque atque η et ω, ζ, ξ et ψ abfuisse [6].

Saec. VII.

Amyclis exstitit inscriptio, quam a Fourmontio detectam Bartelemy descripsit [7]. Con-

---

Cf. Rich. Payne Analytical Essay Lond. 1791. P. 1. Fig. 2.

6) E. g. *ΕΚΠΗΑΝΤΟΙ, ΕΠΗΕΤΚΗΟΜΕΝΟΣ* rel. Vid. Villoison. Anecd. T. II. p. 120. s.

7) Memoires de l' Acad. d. Inscr. T. 39. 8. p. 123. ss. Nouveau Traité de Diplomat. Par. 1750. T. I. pl. 5. p. 616. ss. Hug. Erfind. der Buch. p. 61. ss. 147. s. Caylus Recuel. d. Antiquit. T. I. p. 63. coll. Heyne Sammlg. antiq. Aufsaetze 1. Ps. Lips. 1778. p. 86. Rich. Payne Analytic. Essay Lond. 1791. Non ignoro, inscriptiones a Fourmontio detectas cum omnes, tum Amyclaeenses inprimis, quo antiquiora tempora attinent, in suspicionem vocatas esse. At sunt tria potissimum, quae hanc quidem inscriptionem non subditiciam esse testantur. Etenim Fourmontius, capite et pede huius marmoris deceptus, inscriptionem nostram ea tempora spectare iudicauit, quibus Romani Graeciam imperio suo subiecerunt. (*M. l'Abbé a pretendu, qu'lle descendoit jusque au tems, ou les Romains se rendirent maitres de la Laconie.* Mem. d. l'Ac. T. 39. p. 169.) Qua de re nullius eam fecit neque in lucem quidem edidit. Deinde Fourmontius inscriptiones tres inprimendas curauit (Mem. T. 15. p. 397 ed. 4to.), quas bello Messenico iudicauit confectas. At cum scriptura ibi longe serius vsitata conspiciatur; aut Fourmontius

stat autem insigne hoc antiquitatis monumentum tribus ex partibus, de quibus deinceps breuiter agendum erit. Vetustissima inscriptio incipit a verbis: *ΜΗΕΝΑΛΙΑ ΤΟ ΑΜΟΚΕΛ*, atque desinit linea decima octaua: *ΜΑΤΕΕΡ ΚΑ*, quae quidem in saeculum VII. a. Ch. haud dubie incidit. Conspicitur hic primo litera *H* (*h*) 8), quae Graecis illa aetate adhuc in vsu fuerit necesse est, nec non *αι* et *οι*, atque desideratur *ξ*, quod *ΚΣ* scribitur 9). Loco *χ*, *η*, *ει*, *ου*, *ῳ*, *ω*, *υ* reperiuntur *κ*, *ε* et *εε*, *ο* 10), qua de re concludendum videtur, Graecos istis literis adhuc caruisse. At constat Lacones sonos duriores et pleniores retinuisse veluti *k* pro *ch*, *o* pro *u*, qua de caussa neutiquam statim hinc recte colligitur, Graecos adhuc literis *χ* vel KH, quod antea vsitatum fuit, atque V caruisse. Deinde quod *εε* loco *η* reperitur, negari aliquis possit,

---

aut Graecus homo fallax auctor habendus est, qua de re non nisi hebetissimum ingenium nostram inscriptionem effingere potuisset. Denique ea, quae inde cognoscuntur, egregie cum historia conueniunt, quam quidem Fourmontius vix ac ne vix quidem adeo perspicere potuisse videtur.

8) *ΜΗΕΝΑΛΙΑ* (lin. 1.) *Μ(ΕΕ)ΝΗΕΓΟΟΙΑ* (lin. 7.)

9) *ΠΟΛΟΣΚΑ* (l. 18.), *ΕΚΑΛΛΙΠΑΚΣ(Α)* (l. 2.) *ΕΡΓΑΙΑ*.

10) *Καλιμακος* pro *Καλιμαχος* (l. 2. 4. 16.) *Αμομονα* pro *Ἀμυμωνα* (l. 17.) *Μ(εε)ν Ηεγοοια* pro *Μην εἰγοοια* (l. 7.) *Σεκε* pro *Σεκη* (l. 15.) *το* pro *του* (l. 1; 2 sq.) *νομο* pro *νομῳ* (l. 15.) *Αμοκελ(ας)* pro *Ἀμυκλας* (l. al.)

Graecos initio non *ει*, sed *εε* pro *e* producto scripsisse. Sed obseruatur, neque *α* neque *ο* productum per geminas literas *αα*, *οο*, vti postea certe apud Latinos accidit, scribi atque *ε* etiam simplex pro *e* longo siue *η* exstare, ex quo sequitur, quod etiam alia verba, veluti illa *δεελος*, *δειελος* confirmant, verbum *ματεερ* trisyllabum fuisse neque vero *εε* pro *e* longo obtinere. Ex eo autem, quod o loco *ω* atque *ε* loco *ει* (ī) reperiuntur, clarum est, vocales longas e breuibus hac in tabula non esse distinctas. Ex literis itaque, quas maiores in vsu habuerunt, conspiciuntur hic:

A	*B*	*Γ*	*Δ*	*E*	*H*	*I*	*K*	*Λ*	*M*	*N*	*O*	*Π*	*P*
1	2	3	4	5	8	10	20	30	40	50	70	80	100

Σ	*T*	AI	OI
200	300	(*ä*)	(*ö*)

desiderantur:

ϝ	ꞁ	ʊ	ɒ	ϟ	V	VI
6	7	9	60	90	400	(ü)

ΠH	*KH*	*TH*	AI	EI	OI	VI
			(*ā*)	(*ē*)	(*ō*)	(*ū*)

Ex his ʊ et ɒ saeculo iam antecedente mera *ἐπισημα* siue numerorum signa valuerunt, qua de re, abesse ea, non mirandum. De reliquis autem, cum occasio, earum vsum faciendi, non data sit hoc in marmore, statuendum est, alias ea in scribendo adhibita esse, donec probetur

contrarium aut plures inscriptiones adstipulauerint. Hoc tantum offendit, vocales longas *a e o u*, quas Homeri aeuum atque subsequens distinxit a breuibus, non AI, EI, OI, VI scriptas esse. At cum Lacones aut scripturae simplicitatem aut antiquum vsum eumque Palamedeum sequi potuerint, excusandi videntur inscriptionis auctores. Eam quidem ob caussam non ab omni probabilitate abhorret, Lacones hac aetate *K* pro *KH*, hinc *Π* pro *ΠH*, *T* pro *TH* scripsisse, Cadmeam quandam siue Phoenissam simplicitatem secutos. Huc facere videtur, quod alias literae simplices pro compositis veluti *λ* pro *λλ*, *ε* pro *ει* ($\bar{e}$) reperiuntur. Ceterum hinc perspicitur, literas

η, *ω*, *υ* (*ü*) *ει* ($\bar{\imath}$) *ου* ($\bar{u}$) *ψ*, *ξ*,

quibus serior aetas vsa est, nondum adfuisse.

Ad hanc aetatem pertinet fortasse clypeus Talecli a Fourmontio Amyclis detectam, in quo *χ* loco *KH*, *ο* loco *ου* et *ω*, V loco Y, exstant [11]. Cum enim *ου* et Y non nisi post saeculum VII. scripta sint atque pro X saeculo VIII. *KH* in Peloponneso adhibita; vtique sequi videtur id, quod de inscriptione hac diximus. At ne quis contendat, literam hic pro *υ* obtinentem non

11) Memoires de l'Acad. des Insc. 4. T. XVI. p. 102. Heyne Sammlung Antiq. Aufs. p. 89. s. C. l. Hug. l. c. p. 73. *ΕΧΕΣΤΡΑΤΟΣ, ΤΟ ΑΡΚΕSΙΛΑΟ, ΤΟ ΛΑΒΟΤΑ* (*Λαβωτα*) *ΔΟΡΥSSΟ.*

esse V sed Y. Constat enim Y e tribus lineis atque figuram auis Pythagoreae habet, V contra duabus, quae initio non vnum angulum sed duos effecerunt. Cum enim V ex ו, prouti a veteribus scriptum est, vel F ortum sit; non potuit non alteram lineam alteri iunctam habere nisi ita, vt lineam primariam secuudaria eaque breuior in media parte attingeret duosque angulos, quae coniunctae 180 efficiunt gradus, exhiberet. Est autem clypeus ille ob aliam caussam memoratu dignissimus. Scilicet cum Lacones aeque atque Graecia vniuersa litera ξ adhuc caruerit, necesse erat, vt litera pro ξ antea obtinens siue in scribendo siue in numerando adhuc in vsu esset, cui inscriptio nostra egregio documento est. Etenim duplex hic figura est literae σ, quam non satis accurate hactenus distinxerunt. Quamuis vero admodum probabile sit, artificem non pro lubitu vtrumque signum adhibuisse, imo alterum ס alterum ש significasse, inde tamen concludi non potest, ϛ illud, quod propius ad figuram ש accedit, adhuc *sch* sonuisse. Alioquin Graeci e Peloponneso in Italiam traiicti haud facile literam ס respondentem eiecissent. Hanc aetatem spectare etiam videtur inscriptio Deliaca, quae literas F, V, *Φ*, *Θ*, *AI*, *EI* praeter alias habet, contra signis *Y*, η, ω, ῃ, ῳ adhuc caret [12].

---

12) Nouveau Traité de Diplom. T. I. Pl. VI. p. 926. Potter Archaeol. T. III. T. III. *ΑFVΤΟ* (ἀυτῳ) *ΛΙΘΟ* (λιθῳ) *ΣΦΕΛΛΑS*, *ΚΑΙ*, *ΕΙΜΙ*.

Saec. VI.

Egregia ipscriptio Amyclaeensis, cuius modo fecimus mentionem, octo versus ab aliena manu adiectos habet. Cum enim inde a linea decima nona του, κουρα eiusque generis alia legantur, quae linea antecedens το, κορα habet scripta; recte inde colligitur, nomina post versum decimum octauum serioris aeui esse [13]. At si literarum figurae paullo accuratius inscpiciantur, hoc etiam patebit, versus vltimos octo illos non ab vno homine, sed a pluribus esse profectos. Etenim linea XIX. κουρα legitur, quod in sequentibus κορα scribitur, vocalis *o* triplex figura est atque singulae fere literae singulis versibus paululum inter se differunt. Quas quidem ob caussas, cum vnus ron nisi vno modo scribere debuerit, statuendum videtur, versus, insequentes versum XIIX., a variis esse adiectos ita, vt singulis aetatibus nomina singularum siue sacerdotum siue matronarum, de Deo bene meritarum, marmori huic insculperentur. Conspicitur autem inde a linea XIX. non solum V, sed etiam Y atque lineae a fine prima et secunda non solum Y, sed etiam V exhibent [14], ex quo colligitur, hac aetate literam Y nouam accessisse reliquis atque diuersam ab V. Cum vero versus inde a XIX. nonaginta annorum spatium

13) Cf. Hug. l. c p. 66.

14) *ΠΟΛΙΥΒΟΙΑ* (l. 19) *ΤΟΥ ΛΥΣΙΣΤΡΑΤΟΥ* (l. 26).

expleant, peruenimus ad aetatem Pythagorae, qui quidem literae Y auctor diserte traditur. Memorant enim Virgilius *literam Pythagorae*, Persius *literam Samiis diductam ramis*, Ausonius *Pythagorae biuium ramis ambiguis patens*, quae quidem omnia in Y, neutiquam vero in V quadrant. Nullo pacto assentiri possumus Hugio, iudicanti, veteres *o* pro *u* etiam scripsisse atque V ab Y non diuersum fuisse [15]. Etenim, quod antea pluribus demonstratum est, rationi repugnat, Graecos litera *u* significante caruisse. Deinde veteres *o* pro *u* sexcentis in locis maxime in formis genitiuis pronunciarunt, cuius rei exempla in superioribus data sunt, atque non solum aliis in lapidibus verba antiquae rationis cum verbis nouae pronunciationis mixta sunt, sed etiam hac ipsa in tabula *κορα* exstat, quod ante (l. XIX.) *κουρα* scriptum erat. Incidimus itaque in eam aetatem, qua *ὀ μικρον* passim a Graecis subinde in *u* verti coepit. Denique nemo, qui neget, explicauerit, cur Latini ea demum aetate Y receperint a Graecis, qua ξ et ζ inventae essent. Est enim Y apud Latinos inter *X* (ξ) et *Z* (ζ) medium, quae quidem eiusdem fere cum V apud Graecos aetatis sunt. Hinc intelligitur etiam, Pythagoram duplicem literae Y vsum fecisse. Cum enim inde a Pa-

15) Hug. Erfind. p. 69.

16) Cf. Boeckh. Staatshaushaltung. T. II, 201, 261, 323.

lamede Graeci exercuerint artem scribendi eamque ob caussam, quod aliis etiam facile demonstrari possit, verborum orthographia passim stabilita fuerit, necesse sit, adeo vt *o*, nota genitiui, a multis *u* pronunciaretur; curauit Pythagoras Y addendum, vt partim consuetudini, partim pronunciationi satisfieret. Cum vero VI non solum *u* productum, sed etiam *wi* significaret, hoc etiam Pythagorae dandam videtur, quod loco *υι*, paucissimis verbis veluti *υἱος* exceptis, Y positum est. Hinc explicatur, quod *ΥΟΣ* passim pro *υιος* in veteribus monumentis reperitur. Huc denique referenda est nouissima inscriptionis supra dictae pars, quae incipit catalogum verbis *ματερες και κουραι* quae quidem *η ω* caret neque vero *χ*, *ϑ*, *υ* et *ου* 17). In eandem aetatem incidere videtur clypeus Anaxidami, in quo *O* loco *ου*, *ΚΣ* loco *ξ* sunt atque *υ* Pythagorae reperitur 18). At vero Simonidis etiam, qui paullo post Pythagoram vixit, merita de Graecorum literatura praedicantur. Quamuis in eo omnes consentiant, vt a Simonide quatuor literas profectas dicant, tribuuntur tamen ei a Plinio *Z H Ψ Ω*, a Suida *Ξ Η Ψ Ω* atque Aristoteles *Θ* et *X* Epicharmo, saeculo quinto viuenti, adscripsit. Quaeritur nunc, quid

---

17) Cf. Hug. l. c. p. 64. Memoires de l'Acad. des Inscr. T. 39. 8. p. 123. ss.

18) Memoir. d. Insc. T. XVI. 4. p. 104. Hug. l. c. p. 73. *ΑΝΑΚΣΙΔΑΜΟΣ ΛΕΥΚΣΙΔΑΜΟ.*

hac de re iudicandum sit. Scilicet Z in marmoribus incriptis reperitur, in quibus η ω ψ atque ξ desiderantur, quam ob caussam Simonidi rectius ξ η ψ ω tribuuntur. At cum veterum consensu Simonidi quatuor literae atque a nonnullis diserte ξ, η, ψ, ω tribuantur, cumque haec quidem quatuor simul aut desiderentur, aut reperiantur in marmoribus omnibus; sponte intelligitur, cum aliae non adsint distribuendae, Epicharmum scilicet Siculum inanem dimittendum esse. Possint e literis η, ω, ξ, ψ quidem duae Simonidi, duae Epicharmo adscribri; sed obsunt diserta veterunm testimonia atque inscriptiones, in quibus aut desunt quatuor istae literae, aut adsunt. Si quis vero Epicharmo η, ω, ξ, ψ dare atque Simonidi φ, χ, ϑ, ζ maluerit, denuo non intelligitur, qui Φ, Χ, Θ, Ζ ante Υ natum scribi potuerint atque Simonidi eae literae tribui, quae vere in lapidibus ante Simonidis aetatem inscriptis non desiderantur. Eas quidem ob caussas subsistendum est in veterum testimoniis, adeo vt non nisi literae nonnullae a scribis fortasse mutatis restituantur. Loco η, ω, ξ, ζ, quae literae Simonidi tribuuntur, legendum esse apud Plinium η, ω, ξ, ψ, inscriptiones suadent. De Epicharmo autem, quem serior aetas cum Siculo confudit, fusius supra disputauimus, atque ex literis Θ et Χ, quas Aristoteles Epicharmo adscribit, nonnissi Θ in Φ, quod nemo graue feret, mutandum est, quo facto recte ab Aristotele Θ et Ζ, quatenus earum potestas atque figura

spectantur, inter veteres literas referuntur. Denique quod *Θ*, *Φ*, *X* literas Palamedeas attinet, vidimus, haud dubie *TH ΠH KH* legendum esse, quo facto omnia bene quadrant adeo, vt neque inscriptionum auctoritas neque scriptorum testimonia frangi debeant. — In hanc aetatem incidit fortasse signi *σαυπι* inuentio. Cum enim ω significet 800, ϡ vero 900, vix potuit ϡ ante saeculum VI. oriri. Attamen haud improbabile est, ab antiquissimis inde temporibus, quibus ש (*σαν*) a ס (*σιγμα*) apud Graecos adhuc diuersum erat atque numerus 900 etiam requirebatur, ϡ in computando scriptum fuisse, dummodo statuas, Graecos instar Hebraeorum numeros 500, 600, 700, 800 significasse (ת״ק, ת״ר, ת״ש ת״ת ת״תק) atque ex VVϟ, provti a veteribus scripta sunt, prodiisse ϡ, quod hinc ob figurae rationem *Σαυπι* vocaretur.

Saec. V.

Inscriptio Sigea, quamuis a Chishullo in suspicionem vocata sit, non dubium est, quin eius scripturae specimen contineat, quae saeculo quinto aut sexto a. Ch. in vsu fuit. Desiderantur enim literae *η*, *ᾳ*, *ω* et *ου*, quae *ο*, *α* et *ε* scribuntur, atque reperiuntur *Φ*, *X*, *Θ*, *H*, *V*, *Y*, *EI*, *AI*, *OI*, atque reliquae [19]. — Hanc

---

19) Nouveu Traité d. Dipl. T. I. p. VI. Hensel. Synopsis. p. 91. *ΦΑΝΟΔΙΚΟ* (*φανοδικου*) *ΚΡΑΤΕΡΑ* (*κρατηρα*) *ΠΑΣΧΟ* (*πασχω*) *ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ* (*πρυτα*

aetatem vel superiorem etiam clypeus Archidami spectat Amyclis detectum, in quo literae OY X atque *OO* pro *Ω* memoratu dignae sunt [20]. — Ab hac inde aetate rarius V, cuius locum Y occupauit, reperitur in marmoribus inscriptis, quod mirandum sane videtur. At cum Y Pythagorae singularem locum in literarum serie, vti apud Latinos, non assecutum sit, non mirandum, Graecos post Pythagoram V et Y coniunxisse. Deinde Graeci ab antiquissimis inde temporibus sonos vocales in alios vocali *i* propriores mutaruut adeo, vt V etiam siue *u* in *ü* conuerterent. Hinc accidit, vt Latini, quamuis V retinerent in verbis ex Graeca lingua ortis, constanter Y loco *v* inde a saeculo III. a. Ch. posuerint. Quid? quod Graeci in diphthongis EV et AV etiam, in quibus V diutius retinuerunt, subinde *u* in *ü*, quod a Syris nouimus, verterint adeo, vt denique *aw* et *ew* pro *au* et *eu* audirentur. Quas quidem ob caussas non mirandum, V ab hac inde aetate non scribi atque Y loco V pro numero 400 adhiberi coepisse. —

νειον) *ΗΕΡΜΟΚΡΑΤΕΣ, ΑΝΕΘΕΚΕΝ, ΣΙΓΕΥΕVΣΙ.* Legit Gallus *ΣΙΓΕVΕVΣΙ*, quod, si recte se habet, tanti momenti est, vt inde appareat, hunc lapidem ante saeculum VI. a. Ch. inscriptum esse. At cum negligentius literae descriptae sint, adeo vt *EMI* legatur, quod p. 630. 8. corrigitur *EIMI*, atque Henselii exemplum *EIMI* scriptum habeat, non possumus, nisi praesente lapide, hac de re accuratius iudicare.

20) Mem. d. l'Acad. des Inscr. T. XVI. p. 101. *ΑΡΧΙΔΑΟΣ, ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΟΝ.*

In marmore Nointeliano, quem Athenienses (Ol. 80.) inscripserunt, literae *φ χ ϑ H Y* conspiciuntur inter reliquas, desiderantur autem *η*, V et *ω*. Praeterea, quod hic etiam V expulsum atque *Υ* eius loco positum est, memoratu dignum videtur, quod hoc in lapide ʊ literae vestigia non reperiuntur atque *I* ad vocales productas atque verborum casus significendos alias adhibitum alias neglectum est [21]. — In hanc aetatem incidit Pindarus, quem F per multis in verbis adhibuisse demonstratur [22]. Ceterum diligens horum carminum examen docebit, vtrum Pindarus *ου* sit vsus [23]. Hinc patebit, vtrum V Pythagorae, *η*, *ω* a Boeotiis iam recepta fuerint atque *ει* adhuc *ε̄* productum, vti apud Homerum obseruatur, significauerit. Idem obseruatur in tabula, quae in memoriam Atheniensium apud Potidaeum (Ol. 86, 4.) interfectorum exposita est, quae quidem loco *η*, *ω*, *ψ* et *ξ* habet *ε*, *ο*, *φς*, *χς* [24]. — Inscriptio Attica ex hac aetate literas *X*, *Φ*, *Z*, *Θ*, *Υ*, *OΥ*, *H*, reliquas continet, pro *η ω ξ ψ* vero *ε ο χς φς* habet [25]. Cum huius monumenti literae parum

---

21) Nouv. Traité de Dipl. T. I. Pl. 6. n. X. Potter. l. c. T. III. Tab. III. *ΕΡΕΧΘΕΙΔΟΣ*, *ΦΑΝΥΛΛΟΣ*, *ΤΟ ΑΥΤΟ* (τῳ αὐτῳ) col. *ΠΟΛΕΜΟΙ* (πολεμῳ) *ΗΟΙΔΕ* (ᾡδε) *ΦΟΙΝΙΚΕΙ* (φοινικῃ).

22) Boeckh. l. c. p. 392.

23) Thiersch Gramm. p. 358. Boeckh. l. c. p. 389.

24) *ΥΠΕΔΕΧΣΑΝΤΟ*, *ΦΣΥΧΑΣ*, *ΗΕΔΕ*, *ΑΘΕΝΑΙΟΝ*.

25) Vid. Boeckh. Staatshaush. T. II. p. 162.

accurate descriptae atque seruatae sint, non possumus profecto de eo iudicare, vtrum Y et V diuersis signis adhuc scriptae fuerint apud Atticos atque ɒ, cum ξ nondum adsit, aeque atque Σ vsu venerit. — Hanc aetatem spectant etiam numi Syracusani, Crotonienses, alii, in quibus ϟ (κοππα) legitur, si quidem recte se habet id, quod υ reddiderunt Y [26]. Adstipulatur Quinctilianus [27], qui tradit, *Koppa apud Graecos tunc tantum in numis manere.* — Ante Euclydem exstitit inscriptio Attica a Chandlero descripta, quae quidem literis η, ω, ξ, ψ caret, licet *H*, *Φ*, *X*, *Z* contineat, vti in aliis eiusdem aetatis monumentis accidit [28]. — Hanc vel superiorem fortasse aetatem attinet inscriptio Eliatica, in qua η et ω desiderantur, contra φ, χ, ϛ, reliquae reperiuntur [29].

Saec. IV.

Anno 392. Athenis inscriptus est marmor a Chandlero descriptus, in quo non solum *Φ*, *X*, *Θ*, *Z*, sed etiam η, ω, ξ, ψ, quibus ante Euclydem carent inscriptiones Atticae, reperiuntur [30]. Loco *EI* passim reperitur *E*, quo

---

26) V. Hauerc.Syll. I. p. 257. Eckh. D. N. T. II. p. 245. IV. p. 390. *ΣΤΡΑϟΟΣΙΟΝ.*

27) Instit. Orat. I. 4. 9.

28) Vid. Boeckh. l. c. T. II. p. 264. 275. al.

29) Classical. Iounal. T. XI. p. 348. ss.

30) Chandler Inscript. II, 4.

illud confirmatur, quod diximus, ab eo inde tempore literas *ει* ad vocalem *ι* longam significandem adhibitas fuisse, quo *η* in vsum venit. — Post Euclydem orta est inscriptio a Fourmontio inuenta, quae quidem literas *η ω ξ υ ζ* alias continet atque ob eam caussam memoranda videbatur, quoniam *ε* saepissime loco *ει* nec non *ο* loco *ου* passim ibi reperiuntur [31]. — Tabulae Heracleensis saepissime F vtuntur in verbis, vbi apud Atticos aliasque gentes Graecas sonus *w* desideratur atque nunc spiritus et lenis et asperi signa passim reperiuntur. — Copticam etiam linguam egregiam literarum Graecarum habemus monumentum. Cum enim post Alexandrum literae Graecae a Coptis receptae atque pro numeris adhibitae sint hae:

Ⲁ	Ⲃ	Ⲅ	Ⲇ	Ⲉ	Ⲋ	Ⲍ	Ⲏ	Ⲑ	Ⲓ	Ⲕ	Ⲗ	Ⲙ	Ⲛ
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50
Α	*Β*	*Γ*	*Δ*	*Ε*	*F*	*Ζ*	*Η*	*Θ*	*Ι*	*Κ*	*Λ*	*Μ*	*Ν*
Ⲝ	Ⲟ	Ⲡ	Ϥ	Ⲣ	Ⲥ	Ⲧ	Ⲩ	Ⲫ	Ⲭ	Ⲯ	Ⲱ		
60	70	80	90	100	200	300	400	500	600	700	800		
Ξ	*Ο*	*Π*	ϟ	*Ρ*	*Σ*	*Τ*	*Υ*	*Φ*	*Χ*	*Ψ*	*Ω*		

nec nisi figurae *ἐπισημων βαυ* et *κοππα* seruatae; inde cognoscitur, ϝ et ϟ tunc temporis apud Alexandrinos non nisi pro numeris valuisse. De reliquis Coptorum signis, veluti *ει*, *οι*, a Graeco vsu petitis, vidimus supra.

31) Boeckh. Staatshaushalt. II. p. 260. s.

Saec. III.

Inscriptiones Orchomenicae ex hac aetate eam ob caussam memoratu dignae videntur, quoniam non solum literas *φ*, *χ*, *ϑ*, *Z* atque Simonidis illas *η*, *ω*, *ξ*, *ψ* exhibent, sed etiam Ϝ digamma [32]. Inde cognoscitur literam Ϝ aeque atque ϛ a Graecis in scribendo subinde neglectam esse non eam ob caussam, quoniam esset superuacanea, sed quoniam sonus *w* ante vocales aut post consonas, aut initio verborum perierit apud gentes Graecorum cultiores.

Saec. II.

Admodum credibile est, Graecos expulso H atque recepto *η*, aliud quoddam signum haud multum postea aut statim inuenisse, quo consonam *h* significarent. Huc spectant vasa quaedam ex Graecia magna atque inscriptio in Calabria detecta, quae quidem signum Ⱶ, quod est altera pars literae H, exhibent [33]. Cum inde ortum sit spiritus asperi signum (Ⱶ, c), a probabilitate non alienum est, Graecos ab hac inde aetate aliis etiam in regionibus litera Ⱶ vsos fuisse, cui a grammaticis saeculo XII. spiritus lenis (ʾ) nota fuit addita. — Denique miraberis fortasse, quod vsum Graecorum, vocales geminas pro simplicibus productis scribendi, non attigimus. At pauca exempla, in quibus literae

32) Vid. Boeckh. Staatshaush. II. 355 — 384. Eg. *ϜΕΤΕΛ*.

33) Vid. Fischer ad Velleri Gramm. T. I. p. 239. Veluti. *ⰢΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣ*.

duplices postea vocalibus productis redditae sunt, rectius dicuntur contracta, ita vt binae vocales seorsim pronunciandae in vnam longam coalescerent.

Haec quidem sufficiant. Noluimus enim perfectum quoddam opus de Graecorum literatura conscribere, quod partim a nostro fine nimis alienum videbatur, partim pro ratione descriptionis veterum inscriptionum nobis non licuit; imo viam tantum quandam inuenire studuimus, qua in ea re diiudicanda procedendum videtur, atque demonstrare, quantopere hac in re erratum sit. Non licet enim neque literas eas pro Graecis ortu habere, quae nomina et figuras Hebraicarum habent, neque signa numerica a literis diuellere, neque Latinam literaturam a Graeca seiungere, neque literas initio diuersas pro paribus iudicare, neque nouarum literarum auctores confundere. Hinc etiam patebit, quanta diligentia opus sit in describendis veterum monumentis atque poterit ipsius tabulae, in fine libelli additae, ope, quam quidem facile alii conferendis inscriptionibus aliis ac pluribus emendabunt atque perficient, marmorum inscriptorum haud paucorum aetas constitui. Tenendum enim, Pythagorae deberi literam Y aliasque aliis. Hoc tantum addere liceat, vix explicari posse, quod veteres dixerunt, Cadmum XVI. tantum literas in Graeciam attulisse. Etenim XXI. literae Graecorum (α — τ) potestate numerali et figura cum Hebraicis con-

ueniunt, vnde patet, cum צ transpositum sit, Cadmum XXII. literas ad manus habuisse. Faciamus itaque, Graecos eas tantum literas Cadmeas dixisse, quae nomina habent peregrina; quo facto excidunt e XXII. *ε, η, ξ, ο, υ, φ, χ, ψ, ω* atque restant, restitutis H et ס, XIX. signa nominibus Hebraicis atque sonis praedita: *α, β, γ, δ, ϝ, ζ, H, ϑ, ι, ϰ, λ, μ, ν,* ס, *π,* ϙ, *ρ, σ, τ.* Ex his *ζ, ϑ,* ס saeculo VIII. in vsu non fuerunt, qua de re, reficto ϛ, restant XVII. literae. Iam vero si statuas, ϙ quippe superuacaneum aut ϛ non nisi ab Aeolibus adhibitum fuisse, has habes XVI. literas, quas Graecia fortasse Cadmeas dixit:

Α	*Β*	*Γ*	*Δ*	*F*	ϛ	*Η*	*Ι*	*Κ*	*Λ*	*Μ*	*Ν*	*Π*	*Ρ*	*Σ*	*Τ*
1	2	3	4	6	7	8	10	20	30	40	50	80	200	300	400

At sponte intelligitur, literas postea a Graecis additas partim Cadmeas fuisse, neque perspicitur, cur Graeci reliqua numerorum signa neglexerint; quas quidem ob caussas probabile est, Graecos a Cadmo literas, quae tunc in vsu essent, Phoenissas accepisse has:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס

ita vt o adderent atque pro *o* et *u* adhiberent. Etenim sufficiunt ea signa ad omnes fere sonos orationes humanae significandos atque plurima sunt, quae suadent, non solum Hebraeos, sed etiam Graecos initio literis, ס excipientibus, caruisse. De qua quidem re alias fortasse nobis sese offeret accuratius disputandi locus.

III.

De initio et ratione mutatae pronunciationis Graecae.

Plerosque constat iudicasse, Graecos inde a barbarorum in Graeciam incursionibus aut alio quodam tempore veluti vno ictu pronunciationem mutasse, ita vt pro lubitu sonos vocales et consonantes in alios loquendo conuerterent. Itaque tradiderunt, e diphthongis, quas e nostra sententia dicebant, *ει, οι, υι, ᾳ, ῃ, ῳ* alterutram vocalem subinde neglectam esse ac suppressam, atque vocales *e, i, a, o* prodiisse. Attamen prorsus non intelligitur, cur e diphthongis istis nunc prima, nunc secunda vocalis exciderit, atque leges indicandae erant, secundam quas eiusmodi pronunciationis mutatio accidere potuerit ac debuerit. Praeterea etiamsi eo, vt dicatur, in diphongis periisse alterutram vocalem, id explicatum sit, quo modo *ει, οι, υι* subinde meram vocalem *i*, *ᾳ ῃ ῳ* vero *a, e* vel *i, o* proficere potuerint; in obscuro tamen maneat, necesse est, qui factum sit, vt *αι* non *a* vel *i,*

sed *e* a Graecis nunc pronuncietur. Haud difficile nunc erit, rectius hac de re iudicare. Ac primo nouimus, literas Graecas genuinam potestatem non protinus quidem exuisse, ita vt pronunciatio Graeca, quae vniuerse in illa terra inualuit, vna aetate aut saeculo certo confecta sit. Etenim literae *η*, *υ*, *αι*, *οι*, *αυ*, *ευ*, *β*, *γ*, *δ*, *ϑ*, *ζ* non nisi in singulis verbis subinde aliarum vocalium et consonorum fines ingressae sunt nec nisi post trium aut quatuor saeculorum spatium, communem atque vniuersam pronunciationem assecutae, commune fatum habuerunt. Deinde clarum nunc est, alias Graecorum literas aliis temporibus coepisse sonos genuinos perdere. Ex his enim primae veluti choragi fuerunt *οι*, *υ*, *ο*, *β*, *γ* quas secutae sunt *αι*, *η*, *ϑ*, *ευ*, atque agmen clauserunt *αυ*, *δ*, *ζ*. Quamuis vero non satis accurate indicari possit, qua aetate quaue die litera Graecorum quaedam germanam rationem mutauerit — probabile enim est, ante tempus descriptum iamiam a plebecula Graeca pronunciationem rectam corrumpi coepisse —; quaeritur tamen, vtrum forte fortuna acciderit an certis quibusdam legibus subiici possit mutata Graecorum pronunciatio. Grauissimi enim momenti esse videtur, nosse rationem et finem, quam elocutio Graecorum secuta est, atque a probabilitate abhorret, cum, quidquid accidat in terrarum orbe, certas easque aeternas ad leges dirigatur, Graecam linguam, omnium fortasse olim praestantissimam regimine

et gubernaculo commutandis sonis caruisse. Agedum videamus. Habes primum *ὀ μικρον* et *ὠ μεγα*, quae vsus subinde permultis in verbis in sonum *u* conuertit. Pari modo *οι* (*ö*) pronunciando in *ü*, *αι* (*ä*) in *e*, *η* (*e*) in i atque V (*u*) in *ü*, *υ* (*ü*) et *οι* (*ü*) in *i* mutata sunt. Quodsi vero tabulam vocalium supra (p. 25.) expositam ad manus sumseris, nescio an miraturus sis, Graecos migrandis iustae pronunciationis legibus mirum quendam ordinem seruasse. Quamuis enim quaecunque vocalis cum septem vel octo vocalibus aliis commutari potuisset, ita vt — vtamur hoc exemplo — *οι* (*ö*) non solum ad *ü*, sed etiam ad *o u a ä e i* abire potuisset; non nisi eius in se suscepisse cernitur sonum, quae ei proxima ab eadem in classe positis eaque facilior siue minor esset. Excipiendae sunt vocales *u* et *ü* quae quidem, licet ipsae septenis singulae modis variari potuissent, vno gradu proprius ad *i* sonum accesserunt recta quadam via. Ex his itaque perspicuum est, Graecam pronunciationum ita mutatam esse, vt vocales omnes ac singulae earum naturam subierint, quae facilius seu ore paullo compressiori vel pleniori ennuciantur. Facilius enim enunciantur *i* quam *e*, *e* quam *ä*, *ä* quam *a*, *ü* quam *ö*, *u* quam *o*, quoniam linguae, quae, ore occluso, palatum attingit, inde paullo minus veluti breuius stadium a solito habitu decurrendum est. Difficilius etiam profertur *u* quam *ü*, *ü* quam *i* quoniam lingua paullo longius a dentibus supernis, quos attin-

git quiescendo, retrahatur inde necesse est. Minuta quidem sunt atque parum attentis vix dimetienda interualla, quibus linguae habitus in proferendo *e* aut *ü* differt ab eo, quem nouimus, cum enunciatur *i*; sed quamuis exigua sint illa linguae stadia, parant loquentibus aut paullo maiorem aut minorem paullo laborem. Quemadmodum enim paullulum difficilius est, tollere pedem aut porrigere duodecim digitos, quam vndecim; ita etiam paullo plus operae requiritur enunciando *e* vel *ü*, quam *i*. Hinc habes primam corruptae pronunciationis caussam et legem, quae, vt breuiter dicamus, eo cernitur, quod Graeci commodum et facile incommodo et difficili praetulerunt. Quod diphthongos *αυ* et *ευ* attinet, duplici modo facilius proferri possunt, scilicet ita, vt soni inter vocales binas istas fere medii *o* et *ö* substituantur, aut vocalis *u* in *w* mutetur. Quum vero Graeci *αυ* et *ευ* productius et lentius, ita vt singulae vocales accurate perciperentur, elocuti sint; facilius profecto ortae sunt syllabae *aw* et *ew*, quam *o* et *ö*, vti apud Gallos, e diphongis *αυ* et *ευ*. Longe aliud vero commodorum genus est, quod hic cognoscendum se praebet. Etenim non linguae, sed voci siue glottidi labiisque pepercerunt Graeci mutandis *au* et *eu* in *aw* et *ew*. Coeunt enim magis labia in loquendo *w*, quam in *u*, quo facto vox sponte sonare desinit, qua de re, cum non solum labiorum et oris aditu coarctando, sed etiam voce supprimenda viribus

parceatur, denuo Graecorum desidia effecit id, vt ex *αυ* et *ευ* orirentur *aw* et *ew*. Eandem porro ob caussam apud Graecos *β* in *w*; *γ* in *gh*, *δ* et *ϑ* in *th* Anglicum mutata sunt. Etenim cum *β*, *γ*, *δ* et *ϑ*, si proferantur *b*, *g*, *d*, *th* partim halitum e pectore procedentem supprimant, partim linguam et labia, proferendis vocalibus aperta atque demissa, denuo occludant et compingant; accidit, vt tardi et, quod commodius sit, sequentes sponte loco *b g d* et *th* pronuncient *w gh* et Britannorum *th*, quae quidem consonae aperta ores cauitate proferuntur eamque ob caussam paullo minus praegrauant et impediunt colloquentium pectus et varias oris partes in dicendo laborantes. Hinc intellitur Graecos, consonas, quas in tabula supra exposita (p. 224.) classi primae adscripsimus, in secundam traiecisse, quae peculiare habet id, vt literas aperto oris hiatu proferendas contineat. Simile quiddam literis *ζ* et *ξ* apud Graecos accidit, quae nunc instar Gallorum ç et Germanorum *chs* passim sonant. Cum enim *d* et *k* in Graecia ceciderint ita, vt Anglorum *th* et *gh* Germanorum euaderent, ne potuerunt etiam *ζ* et *ξ* salua stare, sed necessitate quadam coacta iis sonis accesserunt, qui facilius quippe ore recluso pronunciantur. Perspicitur itaque, commune Graecorum studium commodum et facile sequendi effecisse, vt noua quaedam literarum pronunciatio oriretur. Est autem triplicis generis commodum partim in vocalibus,

partim in diphthongis, partim denique in consonis mutandis conspicuum. Quaeritur iam, quae admirandae huius rei caussa sit. Non nisi duplici de caussa immutari potuit literarum Graecarum vis ac potestas, scilicet aut in Graeca gente, aut in alia quadam extera latente. Statim duae nationes in mentem veniunt, quae potestatem suam et imperium in Graeciam exercuerunt, altera Turcarum, Romanorum altera. Vidimus, longe ante Turcarum incursiones et expugnationes Graecam linguam corrumpi coepisse atque perstitisse genuinam literarum potestatem per longum temporis spatium, quo Graecia sub iugo barbaro iam ingemisceret, qua de re ad Latinos nobis confugiendum videtur. Sed quamquam Romani Graeciam quoque sibi subiectam habuerunt neque exiguam vim in Graecorum vitam et mores exercuerunt; inde tamen caussae et initia corruptae pronunciationis parum recte repetuntur. Etenim longe alius generis est lingua Latina, quae potius, si mutasset Graecam, id effecisset, vt soni vocales et consonae inuerso ordine aliarum naturam assecutae essent. Hinc Graecorum *η*, *υ*, *οι* non *i* sed *a*, *u*, *o* potius nunc pronunciari audirentur. Minime omnium dialectus Macedonica inde ab Alexandro propagata corruptae pronunciationis caussa dici meretur. Alexandri enim aetas atque Macedones in primis, licet linguam paullulum diuersam habuerint, tantum abest, vt pronunciationem singularem eamque vi-

tiosam tenuerint, vt germanam atque communem per Asiam et Africam diuulgauerint. Quam quidem ob rem caussae veluti semina mutatae Graecorum pronunciationis in ipsa Graecia quaerantur necesse est. Nec nisi Graecorum vitam atque mores literis aliam, quam nouimus, potestatem tribuisse, hoc statim argumento est, quod Graeci constanter fere suum ingenium secuti sunt. Ardente patriae amore inflammati, artium et literarum humanitate pollentes, virtute superbientes maiorum, ingenii excellentis ac paene diuini sibi conscii nunquam non alias gentes despexerunt atque peregrina detrectarunt suscipere, qua quidem de re, quidquid in pronunciatione est mutatum, originem habet in Graecis ipsis. Inprimis vero tenendum, linguam Graecam eandem mutationem, quam inde a saeculo I. a. Ch. incepisse nouimus, antiquissimis temporibus veluti a primordio inde rei Graecae passam esse. Quid sibi volunt enim variae Graecorum dialecti, quid antiqua verba et verborum formae? Hoc tantum discriminis est inter mutatam Graecorum pronunciationem ante Christum atque eam post Christum vsitatam, quod veteres verborum sonum vel orthoepiam, recentiores verborum scripturam vel orthographiam vsitatam seruare maluerunt. Etenim Graeci veteres *οι* conuerterunt in *υ*, *ο* in *ου*, *α* in *αι*, *αι* in *η*, *η* in *ι*, *ει* in *ι*, *ο* in *οι*, *ου* et V in *υ*, *υ* in *ι*, F in ῾ (spiritum asperum), ῾ in ᾿, *π* in *β*, *κ* in *γ*, *τ* in *ϑ* et *δ*, *ζ* in *σ*, *π* in *φ*, *κ* in *χ*,

τ in ϛ, qui quidem ii sunt soni, quos recentiores, seruantes orthographiam, iisdem literis subinde indiderunt. Hinc intelligitur, nullo tempore nullaqne in Graeciae parte non mutatam fuisse rationem linguae Graecae atque vanam quandam opinionem alunt, qui persuasum sibi habent, certo quodam tempore certaque in regione coepisse pronunciationem peruerti. Hinc frustra aliquis terram, vel locum, vel vrbem, vel pagum inuestigauerint, in quibus primi exstiterint linguae Graecae deprauatores. Quodsi ergo e Graecia ipsa vitaeque ratione prodiit siue emendatio siue corruptio orationis Graecae, denuo quaeritur, quid sit id, quod effecit, vt Graeci, nolentes volentes neque eorum, quae agerent, sibi conscii, mutauerint verborum sonos atque ita, vti nouimus, prorsus conuerterint. Scilicet non nisi duplex eius rei caussa cogitari potest. Cum enim linguae ratio accurate cohaereat cum indole loquentium, adeo vt gens quaedam aut artium et literarum humanitate excultior euadens aut a patria virtute recedens non possit non aut emendare aut in peius mutare orationem; cogitur Graecos ab initio inde constanter aut progressos esse, aut regressos in colendis moribus, atque alterutra ex caussa mutationes linguae Graecae prodiisse. Atque hoc statim intelligitur, Graecos inde a Cadmea aetate constanter profecisse in bonis artibus atque virtute. Nouimus autem, singulas Graecorum gentes, quo cultiones essent reliquis, eo grandiores sonos

et difficiliores in exiliores et commodiores pronunciatu mutasse, ita vt Iones *i* haberent pro *e* Atticorum et Aeolum, Attici vero *i* loco *e* Dorum atque sic in reliquis, ex quo satis clarum est, Graecos, quo cultiores euaserint, eo magis sonos faciles atque, vt ita dicamus, comtiores verbis intulisse atque immiscuisse. At quid de aetate postera statuendum sit, quaeres, qua quidem Graeci, quod luce clarius videtur, non profecerunt in moribus et ingenio erudiendis, sed defecerunt? Negari nequit, saeculum sextum post Chistum non progenuisse Homerum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem quendam; sed certo certius etiam est, non existere potuisse neque Homerum, neque Aeschylum, neque Sophoclem, neque Euripidem, si duo fuerint eiusmodi eademque aetate homines. Quamuis antiquitas eximii cuiusdam atque fere diuini ingenii homines progigneret; rudis et barbara manebat Graecia, nec nisi paucissimi erant, qui humanitate ea antecellerent reliquos, quam magnopere vereor, ne non recte vniuersis Graecis totaeque antiquitati tribuimus. Subinde demum accidit, vt, qua morum humanitate atque scientiae amplitudine pollebant initio paucissimi Graeci, vniuersa fere Graecia insignis esset. Hinc itaque iure Graeca humanitas in dies magis diuulgata caussa dici potest atque ratio, quae effecit id, vt literarum Graecarum soni a Cadmea inde aetate vsque a Suidam et Eustathium constanter eo modo commutarentur, quem satis

supra descriptum habemus. Grauissimi momenti, grauissimi, dicimus, esse videntur, quae adhuc disputauimus, atque, si nullum est libelli nostri pretium, eo saltem nos effecisse aliquid nobis videmur, quod demonstrauimus rationem, qua mutata sit quibusque de caussis Graecorum pronunciatio. Etenim inde haud difficile erit, de ratione singularum Graeciae dialectorum, cuius quidem rei specimina dedimus, satis accurate nunc iudicare. Sunt quidem aliae etiam literae, quae a Graecis pro regionum et temporum varietate inter se commistae et commutatae cernuntur, sed primariam dialectorum diuersitatem tenentibus sponte se offerent leges, secundam quas aliae etiam literarum commutationes locum habuerint. Scilicet obseruatur, verborum etiam singulorum rationem atque literarum, quibus constant, ordinem vim quandam habere in formationem veluti metamorphosin verborum. Hinc, si variae dialecti inter se comparentur, eo vsque progredi possimus, vt genuina linguae Graecae indoles eruatur, nec dubitamus, quin eo aliquando hac in via peruentum fuerit, vt linguae Graecae cum Latina congruentia et vnitas ad oculos demonstrari possit. Eodem ex fonte cognitio rationis cuiusuis linguae etiam hauriri potest, dummodo tenueris, vitae rationem cum linguae habitu accurate constanter coniunctam esse. Hinc patebit, quo modo differant inter se linguae Itala, Germana, Gallica, Anglica, hinc, qui potuerint aliae ex aliis prodire et for-

mari, neque difficile erit, vnius cuiusque orationis, quid? quod verbi fatum dicere. Quemadmodum enim Graeci, ita etiam Angli, Itali, Galli, alii, *i* aut scribunt aut pronunciant pro *e*, *e* pro *ä*, *ä* pro *a*, *u* pro *o*, *s* pro *z*, *w* pro *b*, *gh* pro *g*, *th* pro th, et sic porro. Hinc etiam intelligitur, quamcunque linguam initio consonis abundasse atque vocalibus *a o u*, quas sequior aetas, vocalem *i* sectans, in *ä*, *e*, *ö*, *ü* mutare debeat. In primis vero memorandum, hac tati via non solum dialectorum Semiticarum, quae initio vnam, vni populo propriam, effecerunt linguam, naturam perspici posse, sed etiam verborum veluti Arabicorum, Hebraicorum, Syriacorum, Chaldaicorum, Samaritanorum, Aethiopicorum originem et, in quo passim grauissime erratum est, congruentiam inueniri, ita vt haud contemnenda artis criticae aeque atque exegeseos praesidia inde oriantur. Quae quidem omnia, quo grauiora sunt et digniora, quae denuo pertractentur, eo lubentius aliorum relinquamus studiis.

IV.

De optimo genere recitandi Graeca.

Quadruplici modo scriptores Graeci a literarum bonarum studiosis recitati solent. Alii enim Erasmi hac in re auctoritatem sequuntur, alii Reuchlini, alii, vtramque pronunciationem repudiantes, Graeca verba proferunt instar vernaculorum, alii denique tamquam eclectici commiscent triplicem illam pronunciationem ita, vt quasdam literas secundum Erasmi praecepta, quasdam Graecorum nunc viuentium more, quasdam denique vernacularum ratione eloquantur. Demonstratione vix eget, nullum ex iis Graeca recitandi generibus recte sese habere naturaeque orationis humanae accommodatum esse. Etenim qui *β* et *γ* inter vocales etiam vti *b* et *g* efferunt, nimiam quandam verbis inferunt asperitatem et duritiem atque non solum aliarum linguarum exemplum fugiunt, sed etiam pronunciationem Phoenissam, quae originem dedit Graecae, repugnant. Porro si literis *αυ* et *ευ* atque *ι* ante vocales etiam sonos *au* et *eu* atque *i* tribuimus, non solum post *υ* et *ι* hiatum, quem

Graeci plane auersati sunt, statuimus, sed etiam linguam Graecam sonis *w* et *j* priuamus. Qui denique Erasmi auctoritate freti *αι*, *ει*, *οι* diphthongorum *ai*, *ei*, *oi* ratione eloquntur, non solum *αι*, *ει* et *οι* cum *αϊ*, *εϊ*, *οϊ* aut *αει*, *εει*, *οει* aut *ηι*, *ωι*, *ᾱι* confundunt, sed etiam vocales ä, ī et ö, quae, cum ü, ē, ō adsint, necessario requiruntur, ex Graeca oratione expellunt. Ceterum *ᾳ*, *ῃ*, *ῳ*, *αι*, *ει*, *οι* atque *αυ* et *ευ* ante vocales, cum diphthongorum modo pronunciantur, pugnant, quippe a poetis passim correpta, cum natura humana, quae diphthongos instar vocalium breuium corripere non valet. Etiam non silentio praetereundum, statuentibus, apud Graecos singulas literas suum sonum vbique seruasse, etiam *ου* instar diphthongi atque *KH*, *TH*, *ΠΗ*, *Γ* ante *γ*, *κ*, *ξ*, *χ*, siue *X*, *Θ*, *Φ* et *n* nasale instar *κ*, *τ*, *π*, cum spiritu *h* atque *g* pronuncianda esse, quo facto denuo lingua Graeca tribus aut quatuor sonis primariis destituitur. Qui vero Graecorum, qui nunc sunt, pronunciationem sequuntur, carent certe, cum *β*, *γ*, *δ*, *ϑ*, *ζ*, *ξ*, *αι*, *οι*, *υ*, *αυ*, *ευ* hodie valeant *w*, *gh*, *th* Britannicum, ç Gallicum, *chs*, *e*, *i*, *af*, *ef*, sonis vocalibus *ä*, *ö*, *ü*, diphthongis *au* et *eu*, consonis *b*, *g*, *d*, atque compositis *th*, *ds* (*z*), *cs* (*x*), quo facto ex octo vocalibus atque quatuordecim consonis primariis restant quinque tantum vocales *a*, *e*, *i*, *o*, *u* atque vndecim consonae *m*, *n*, *t*, *k*, *w*, *s*, *sch*, *f*, *ch*, *l*, *r*. Literas vero compositas *ds* (*z*) et *ks* (*x*), praesertim cum

Graeci eosdem sonos ceterosque perditos nunc aliis quibusdam signis innuant, a Graecis veteribus alienas fuisse, nemini facile persuadebitur. Minime omnium ea ferenda est consuetudo, ex qua literis Graecis ea potestas tribuitur, quae propria est iisdem literis in vernacula lingua variarum gentium, quod qui faciunt iis recte comparentur, qui heroes Graecos vestitu Gallico, vel Germano, vel Anglico indutos in scenam produxerunt. Quis enim risum tenuerit conspiciens Hectorem vel Achillem capillamentis ornatum tunicaque decurtata amictum? Qua de re minime approbandum videtur, quod Germani *ει* et *ευ* plerumque *aï* pronunciant atque Galli et Angli *ευ* prorsus vti *ö* et *iu* et sic in reliquis. Quatuor his Graeca recitandi generibus nunc quartum quoddam accessit, eam dicimus Graecae linguae pronunciationem, quam veteres S. S. interpretes prodiderunt, quam quidem nescimus an nemini non accepta atque approbata fuerit. Tribuit enim octo signis scribendi diuersis totitem sonos vocales diuersos, quae, si in ordinem recipiuntur, sic disponenda sunt:

ι   *υ*   *υ*

ε   *οι*   *ο*

αι   (*α*, *ο*)

α

quibus accedunt vocales productae *η*, *ω*, *ει*, *ου*. Nulla ex his literis superuacanea dici potest,

quippe quae, si deesset, id efficeret, vt in ambiguo haererent lectores, quod antea accidit, quomodo differrent υ (ü) et υ (ū); ει, et ι, εει et ηι; ου, ωυ et οου; οι, ωι, οει. In primis vero literis ει et ου Graecis opus erat, ne ι et υ inter vocales posita pro consonis *j* et *w* haberentur atque ει (εϊ) αι (αϊ) οι (οϊ) pro vocalibus. Eadem vero Graecae linguae pronunciatio consonis etiam vtitur omnibus ac singulis, quae numerum iustum, quem diximus, sic explent:

μ	ν	γ (*n*)
β	δ	γ
υ (*w*)	ι (*j*)	χ
φ	σ	σ (*sch*)
—	λ	—
—	ϱ	—

quibus accedunt primariae earum formae seu partes: π, τ, ϰ. Denique sonos etiam compositos omnes et vocalium et consonarum exhibet, scilicet αϊ, εϊ, οϊ, αυ, ευ, ϑ, ξ, ψ, ζ, reliquas Quod vero attinet id, quod υ, ι, β, γ inter vocales mutarunt paullo sonum, in eo tantum abest, vt Graeci communes loquendi leges violauerint, vt plurimarum linguarum earumque cultissimarum virtutibus accuratissime satisfecerint. Iam quaeritur, quemnam vsum huius nostrae Graeca pronunciandi rationis facere nobis liceat. Etenim cum Graeci inde a saeculo tantum VI. vel V. a. Ch. vsque ad I. eam li-

teris potestatem tribuerint, quam modo diximus; sponte intelligitur, oportere nos scripta Graeca ea solum secundum istas leges recitare, quae isto tempore orta sunt. Hinc de praelegendis Aeschyli, Pindari, Isocratis, Herodoti, Thucyditis, Hippocratis, Platonis, Sophoclis, Euripidis, Aristophanis, Demosthenis, Aristotelis, Xenophontis, Aeschynis Theocriti, Callimachi, Apollonii, Moschi, Bionis, aliorum scriptis vix controuersia et dubitatio esse potest. At quid de Homero et Eustathio statuendum sit quaeres. Scilicet *recte recitantur Graeca scripta*, *si literis singulis is sonus inditur, quem auctor ipse in vsu habuit.* Etenim Virgilius et Dantius, Iohannes Saxo et Gotterus suo quisque modo vernaculam linguam elocuti sunt, hinc etiam diuersissimae Graecorum aetates nullo pacto inter se confundendae sunt atque grauissime errare videntur, qui verba Homeri, Platonis et Eustathii pari modo proferunt. Quod enim Homeri aetatem attinet, caruit partim literis nonnullis, veluti *η*, *ω*, *ου*, *υ*, partim abundauit, veluti F, H, ϛ, ʊ, partim denique signis quibusdam aliam, quam postea accidit, potestatem tribuit, veluti *ει*, *οι*, *αι*, *υι*, qua de re, qui Homeri, Orphei, Musei, Hesiodi, Tyrtaei carmina, si genuina sunt, recte recitare cupiunt, id curabunt, vt literae, quas serior aetas adiecit aut demsit, restituantur aut eiiciantur. Quod cum difficillimum sit atque paene in nullius hominis potestate situm, certe haud multum elegantiae

et grauitatis versibus Homericis detrahi videtur, etiamsi eo modo recitentur, quem sibi scripta Graeca ex aetate aurea vindicant. At cum inde a saeculo I. a. Ch., quippe quo stabilita dudum erat orthographia Graeca, noua literarum pronunciatio inualuerit, ita vt *οι* verteretur in *ü*, hinc in *i*, *υ* in *i*, *η* in *i*, *αυ* et *ευ* in *af* et *ef* ante consonas, *β* in *w*, *γ* in *gh*, *δ* et *ϑ* in *th* Britannicum, *ζ* in ç; hoc etiam clarum est, libros post eam aetatem exortos ita recitandos esse, vt auctores eorum veluti ipsos audire putes. Attamem istae etiam literae non statim quidem et vniuerse, imo subinde tantum singulisque in verbis genuinum sonum exuerunt, qua de caussa signo cuidam ab ea tantum inde aetate noua potestas recte tribuitur, qua genuinam vniuerse perdidisse cernitur. Hinc *η*, *οι*, *υ*, *β*, *γ*, *ζ*, *ϑ*, *ευ* pronuncianda sunt *i w gh* ç *th*, *ef* in legendis Photii, Suidae, Zonarae, Tzetzis, aliorum scriptis, *δ*, *αυ* vero *th*, *af* apud Eustathium, Gazan, Armenopulum aliosque. Vtut sit, accurate saltem distinguenda sunt tempora atque seruandi variarum aetatem mores, alioquin nemo facile intellexerit versus Homeri:

Ἑρμεᾳ(ᾰ) ἐξηγγειλεν. ὁ δ' ἐξεκλεψεν Ἀρηα·
Τρωες δε, λει(ē)ουσιν ἐοικοτες ὠμιοφαγοισιν·
Ἐπει οὐ (w) ἑθεν ἐστι χερειων·

atque Callimachi epigramma:

Λυσανιη, συ γε ναι(e)χι καλος, καλος. ἀλλα πριν
εἰπειν
Τουτο σαφως, ἠχω φησι τις· ἀλλος ἐχει(i)

atque ex locis Eustathii innumeris veluti hunc: *εἰ δε το μεινα και το μη(i)νες παρηχει, ἐστι ἐκ των ἠδη ῥηθεντων σκοπειν.* Qui vero literarum sonos ex aetate Platonis seruare constanter malint, ii certe ab ea parte laudandi videantur, quod perfectam et egregiam quandam linguae Graecae pronunciationem studeant retinere.

INDEX *).

*) Huius indicis auctor est Fried. Guil. *Thieme,* Lichtenbergensis, societatum, quas moderor, et Hebraicae et Exegeticae sodalis doctissimus.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

T.

V.

X.

Y.

CORRIGENDA.

Pag. 27 lin. 6 lege: *linguae.*
— 31 — 18 l. *vsae* pro vsi.
— 43 — 11 l. 65 pro 85.
— 44 — 26 l. ሌት፡ሰሐሎ.
— 44 — 27 l. ኦፋሬቂዮን.
— 46 — 5 l. ܼ pro ܿ.
— 46 — vlt. l. يَامِين.
— 49 — 26 l. עַרְלָם.
— 50 — 22 l. ܘܘܕܝܠܡ.
— 53 — 29 l. յակոբոս.
— 54 — 17 l. բրբոսմ.
— 92 — 19 l. *Θαδδαιος.*
— 94 — 25 l. զարբէոս.
— 99 — 21 l. *velimus.*
— 112 — 23 l. *delata.*
— 131 — 10 l. *potuissent.*
— 132 — 3 l. *quos.*
— 135 — 13 l. *propinquum.*
— 151 — 14 l. պօղոս.
— 151 — 28 l. ቆለዉዩ.
— 157 — 3 l. *passim.*
— 160 — 2 l. ավ et էվ.
— 174 — 6 l. *propius.*
— 175 — 3 l. *succurreretur.*
— 176 — 10 l. עין.
— 195 — 36 l. خوران.
— 202 — 11 l. *abhorret.*
— 203 — 27 l. עזיאל.
— 311 — 14 l. *commode.*
— 227 — 19 l. *insusurrare.*
— 259 — 28 l. *praecedunt.*
— 259 — 28 l. *alienae.*
— 267 — 20 l. մանգաղ.
— 267 — 21 l. ܠܢܘܣܐ.

Pag. 267 lin. 22 l. ܓܠܝܒܒܐ.
— 279 — 16 l. ϮϨ pro ϮⲈ.
— 281 — 7 l. ڽ et ث pro ں et ت.
— 283 — 11 l. *ortae.*
— 283 — 31 l. *mutationem.*
— 286 — 17 l. אגוז. գզալթ.
— 287 — n. 21 et 22. *permut.*
— 288 — 11 l. ד loco ר.
— 288 — 11 l. *habuerit.*
— 290 — 6 l. *exaratum.*
— 293 — 22 l. պօղոս.
— 297 — 5 l. ք pro բ.
— 302 — 22 l. ሊዮለ.
— 309 — 1 l. *videatur.*
— 310 — 9 l. *verborum.*
— 316 — 20 l. *Aethiopicam.*
— 340 — 29 l. *illatum.*
— 361 — 5 l. *vtendo.*
— 370 — 4 l. *dicitur.*
— 379 — 10 l. adde 64.
— 382 — 15 l. adde 70.
— 387 — 26 l. *subierit.*
— 389 — 12 l. *ἐχρωμεθα.*
— 394 — 3 l. *eum voles.*
— 401 — 24 l. *μιμητικως.*
— 409 — 7 l. *potuisset.*
— 420 — 14 l. *confectum.*
— 432 — 24 l. *ὑδωρ.*
— 441 — 2 l. *Boeotici.*
— 444 — 28 l. *vestis.*
— 452 — 4 l. *profecto.*
— 452 — 25 l. *vrserunt.*
— 455 — 5 l. *αἰσθησει.*
— 473 — 9 l. *nacti.*
— 476 — 18 l. *torqueretur.*
— 481 — 3 l. *aliquo modo.*
— 518 — 15 l. *metui.*
— 518 — 30 l. *τετυφωσα.*
— 531 — 21 l. *quiddam.*
— 599 — 13 l. *transponerent.*

Pag. 602 lin. 14 l. *esse.*
— 615 — 13 l. *Simonidi.*
— 617 — 3 l. *Latinarum.*
— 636 — 15 l. *Eleatica.*
— 645 — 24 dele *eam.*
— 649 — 23 l. *totique.*
— 650 — 14 l. *secundum.*

Tab. II. column. 2 lin. 10 l. [illegible] pro [illegible].
— — — 20 — 13 l. *b et w.*
— — — 21 — 13 l. *w* pro *b.*
— — — 5 — 9 l. ○ pro ○
— — — 5 — inf. l. [illegible] pro [illegible]

ig

im3.

C3.

I (ē)

Ξ

s valent.

Literarum atque numerorum signa Graecis subinde vsitata.

Aetas.	Cadmus.	Palamedes.	Homerus.	Epicharmus.	S. VIII.	S. VII.	S. VII.	Pythagoras.	Saec. VI.	Saec. V.	Simonides.	A. 456.	A. 449.	A. 432.	S. V.	S. V.	S. V	A. 392.	S. IV.	A. 320.	S. IV.	S. III.	S. II.	
Patria.	Cadmea.	Graecia vniuersa.		Ionia (?).	Peloponnesus.	Lacedaemon.	Delos.	Samos.	Lacedaemon.	Troas.	Chius.	Attica.	Boeotia.	Attica.	Attica.	Sicilia.	Elis.	Attica.	Attica.	Heraclea.	Alexandria	Boeotia.	Graecia Magn.	
Ordinaria	א = 1	Α = 1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	α
	ב = 2	Β = 2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	β
	ג = 3	Γ = 3	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	γ
	ד = 4	Δ = 4	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	δ
	ה = 5	Ε = 5	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ε
	ו = 6	F = 6	F	—	F	—	F	—	—	—	—	—	F	—	—	—	F	—	—	F	(F)	F	—	(Ϝ)
	ז = 7	ז = 7	—	Z (= צ)	ז	Z (= צ)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ζ
	ח = 8	H (h) = 8	—	—	—	—	—	—	—	—	H (ē)	H (h)	—	—	—	—	—	H (ē)	—	—	—	—	—	η
	ט = 9	ט = 9	—	Θ	(ט)	Θ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ϑ
	י = 10	I = 10	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ι
	כ = 20	K = 20	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	κ
	ל = 30	Λ = 30	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	λ
	מ = 40	M = 40	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	μ
	נ = 50	N = 50	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ν
	ס = 60	ס = 60	—	—	(ס)	—	—	—	ס	—	Ξ	(ס)	—	—	—	—	—	Ξ	—	—	—	—	—	ξ
	ע = 70	O = 70	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ο
	פ = 80	Π = 80	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	π
	צ = 90			—																				
	ק = 100	ϟ = 90	—	—	ϟ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ϟ	(ϟ)	—	—	—	(ϟ)	—	—	(ϟ)
	ר = 200	P = 100	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ρ
	ש = 300	Σ = 200	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	σ
	ת = 400	T = 300	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	τ
	ת״ק = 500	V (u) = 400	—	—	V	—	—	—	—	—	—	Y (ŭ)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	υ
	ת״ר = 600			Φ = 500		X	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	φ
	ת״ש = 700			X = 600		Φ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	χ
	ת״ת = 800										Ψ = 700							Ψ	—	—	—	—	—	ψ
	תת״ק = 900										Ω = 800							Ω	—	—	—	—	—	ω
											(ϻ) = 900							(ϻ)	—	—	—	—	—	(ϻ)
Extraordinaria		ΠΗ (f)	—		ΠΗ																			
		KH (ch)	—		KH																			
		TH (th)	—		TH																			
		AI (ä)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	αι
		OI (ö)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	οι
		VI (ü)	—	—	—	—	—	Y	Y raro YI	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	υ raro υι
			AI (ā)	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ᾳ
			EI (ē)	—	—	—	—	—	—	—	HI	EI	—	—	—	—	—	HI	—	—	—	—	—	ῃ
			OI (ō)	—	—	—	—	—	—	—	ΩI	OI	—	—	—	—	—	ΩI	—	—	—	—	—	ῳ
			VI (ū)	—	—	—	—	—	OV	—	—	OY	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ου
											EI (ī)							EI	—	—	—	—	—	ει
																							Ͱ	̣—

Literae Graecae et Hebraicae ( ) inclusae ἐπισημα Graecorum significant.

s

ıdentium.

enii.	Arabi
V. Ch.	S.VII.VIII p. Ch.
x.	Cyr. Syr.
ɔ (*ss*)	س = 60 ش = 300 ص = 70
?	سک
ɔ (*t*)	ط = 9 (ت = 400
⊦	تّ (= ت
......	....
t ƕ (*i*)	ـي
......	....
) (*f*)	ف = 80
) *ch k*	ک = 20 خ = 600
ps)	بس *bs*
5)	و
.....	....
ɔi)	ـوي
.....	....

ıanam) As.
Sahidem) Syı
im genuinan
ıs valent.

Conspectus

signorum Graecis literis respondentium.

Tab. II.

Interpretes	*Graeci.*			*Syriaci.*		*Coptici.*	*Latini.*	*Gothici.*	*Aethiopici.*	*Armenii.*	*Arabici.*	*Pronunciatio vniuersa*								
Aetas.	S. III. II. I. a. Ch.	S. I. II. III. p. Ch.	S. IX. p. Ch.	S. II. III. p. Ch.	S. V. VI. p. Ch.	S. II. III. p. Ch.	S. II. III. p. Ch.	S. IV. p. Ch.	S. IV. p. Ch.	S. V. p. Ch.	S. VII. VIII. IX. p. Ch.	Cadmus. Palamedes. Homerus. Epicharm.	S. VIII. a. Ch.	S. VI. a. Ch.	S. III. a. Ch.	S. I. p. Ch.	S. III. p. Ch.	S. VI. p. Ch.	S. IX. p. Ch.	hodie.
Patria.	Al. Aeg. Pal. Cyr.	Pal. Pon. A. Gr. As. G.	Syr.	Ant. Syr.	Hier. Syr.	Sah. Memp. Alex.	Ital. Afr. R.	Byz. Thr. Mac.	Alex. Aeg.	Alex.	Cyr. Syr. Aeg.	Graecorum.								
α = 1	ָ ַ (a)	=	=	ܰ (a)	=	ⲁ - 1 (a)	a	A=1 (a)	አ ኣ (ă ā) አ (ă)	ա - 1 (a)	ـَ (a)	a	a	a	a	a	a	a	a	a
ϛ	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	H. ā	ā	ā	ā	ā	ā	ā	ā	ā
αι	ַ ָ ַ (ä e)	=	=	(ä e)	=	ⲁⲓ ä ⲉ ä e	ae	AI (ä)	ኣ (ä e)	ե, ե (ä e)	ـَ ـِ	P. ä	ä	ä	ä	ä	ä	ä	ä e	e
αϊ	(aï)	=	=	(aï)	=	ⲁⲓ (aï)	ai	AEI (aï)	አይ ኣይ (aï)	այի, այ (aï)	ـَي (aï)	ai	aï	aï	aï	aï	ai	aï	aï	aï
αυ ant. voc.	(aw)	=	=	(aw)	=	ⲁⲩ (aw)	au (aw)	AY (aw)	አው ኣው aw	աւ (aw)	ـَو (aw)	P. aw	aw	aw	aw	aw	aw	aw	aw	aw
αυ ant. con. et in fine.	(au)	=	=	(au)	=	ⲁⲩ (au)	au (au)	AV (au)	አው ኣው au	աւ (au)	ـَو (au)	au	au	au	au	au	au	au	au et aw	aw
β = 2 int. voc.	ב=2 (w)	=	=	ܒ - 2 (w)	=	ⲃ - 2 (w)	b (w)	B=2 (w)	በ (w)	բ - 2 p (w)	ب=2 b (w)	w	w	w	w	w	w	w	w	w
alias	(b)			(b)		(b)	(b)	(b)	(b)	(b)	(b)	b	b	b	b	b	b	b	b	b
γ = 3 int. voc.	ג=3 (gh)	=	=	ܓ - 3 (gh)	=	Γ - 3 (gh)	g (gh)	G=3 (gh)	ገ (gh)	գ - 3 g (gh)	غ=1000 gh	gh	gh	gh	gh	gh	gh	gh ant. e i alias ch	gh a. e i	gh ant. e i
alias	(g)			(g)		(g)	(g)	(g)	(g)	(g)	ج=3 dsch gh	g	g	g	g	g rar. gh	g rar. gh	rar. g	al. ch	al. ch
γγ	נג (ng) ג (gg)	= =	= =	(ng)	=	ΓΓ (ng)	ng	GG (ng)	ንገ (ng)	նգ (ng)	نج (ngh)	P. ng	ng	ng	ng pas. gg	ng	ng	ng	ngh	ngh
γκ (γξ)	נק (nk)	=	=	(nk)	=	ΓΚ (nk)	nc	......	......	նգ (ng)	......	P. nk	nk	nk	nk	nk	nk	nk	nk	nk
γχ	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	E. nch	nch	nch	nch	nch	nch	nch	nch	nch
δ = 4	ד=4 (d)	=	=	ܕ - 4 (d)	=	ⲇ - 4 (d)	d	D=4 (d)	ደ (d)	դ - 4 t (d)	د=4 (d) rar. ذ=700	d	d	d	d	d	d	d rar. th A.	th Ang.	th Angl. len.
ε = 5	(e)	=	=	(e)	=	ⲉ - 5 (e)	e	E=5 (e)	ኤ (ē) አ (ĕ)	ե - 5 ie (e)	(e)	P. e	e	e	e	e	e	e	e	e
ει	(i)	=	=	(i)	=	ⲉⲓ (ī) ⲓ (ĭ)	i	EI (ī) I (ĭ)	ኢ (ī) አ (ĭ)	ի (i)	ـِي (i)	H. ē	ē	ē	ī	ī	ī	ī	ī	ī
εϊ	(eï)	=	=	(eï)	=	ⲉⲓ eï ⲉⲓ eï	ei	AIEI (eï)	ኤይ (eï)	էյ (eï)	ـَي (eï)	P. eï	eï	eï	eï	eï	eï	ei	eï	eï
ευ ant. voc.	(ew)	=	=	(ew)	=	ⲉⲩ - (ew)	eu (ew)	AIY (ew)	ኤው (ew)	եւ ew	ـَو (ew)	P. ew	ew	ew	ew	ew	ew	ew	ew	ew
ευ ant. con. et in fine.	(eu)	=	=	(eu)	p. (ew)	ⲉⲩ - (eu)	eu (eu)	......	ኤው (eu)	եւ eu pas. (ew)	ـَو (eu)	eu	eu	eu	eu	eu	eu	eu p. ew	ew r. eu	ew
ζ = 7	ז=7 (ds)	=	=	ܙ - 7 (ds)	=	ⲍ - 7 (ds)	z (ds)	Z=7 (ss)	ዘ (ds)	զ - 6 ts	ز=7 ts	E. ds	ds	ds	ds	ds	ds	ds	ς	ς Gall.
η = 8	(e)	=	rar.	rar.	=	ⲏ - 8 (e) r. ⲓ - 10 (i)	e	E=8 rar. EI (i)	ኤ ኤ (e) rar. ኢ (i)	է - 7 (ē) rar. ի - 11 (i)	ـِي (i) rar. (e)	P. h	h	e	e	e	e rar. i	i et e	i rar. e	i
η	......	......	......	(=η)	=	......	......	......	......	......	......	P. ~	~	e	e	e	e rar. i	i et e	i rar. e	i
ηυ ant. voc. alias.	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	......	P. ~	~	ēw ēu	ēw ēu	ēw ēu	īw r. ēw ēu	īw et ēw ēu ēw iw	iw r. ēw iw r. ew	īw īw
ϑ = 9	int. voc. th len. ת=400 al. th.	=	=	ܬ - 400 th lene th	=	ⲑ - 9 (th)	th	Th=9 (dh)	ተ (th)	թ - 9 (th)	ث=500 th A ت=400 th	E. th	th	th	th	th	th	th et th A.	th Ang. rar. th	th Ang.
ι = 10 ant. voc.	י=10 (j)	=	=	ܝ - 10 (j)	=	ⲓ - 10 (j)	i (j)	Ϛ=60 (j)	የ (j)	յ - 300 (j)	ي=10 (j)	j	j	j	j	j	j	j	j	j
alias	(i)	=	=	(i)	=	(i)	(i)	I=10 ĭ EI ī	ኢ (i)	ի - 11 (i)	(i)	i	i	i	i	i	i	i	i	i
κ = 20	כ=20 (k) ק=100 (k)	= =	= =	ܟ - 20 (k) ܩ - 100 (k)	= =	ⲕ - 20 (k)	c	K=20 (k)	ከ (k) ቀ (k)	կ - 60 (k)	ك=20 (k) ق=100 (k)	k	k	k	k	k	k	k	k	k
κχ	כ (=ככ)	=	=	(=)	=	ⲔⲬ	cch pas. ch	KK (=chch)	ክ (=ክክ)	ք (-χχ)	ك (=كك)	E. chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch
λ = 30	ל=30 (l)	=	=	ܠ - 30 (l)	=	ⲗ - 30 (l)	l	L=30 (l)	ለ (l)	լ - 30 (l)	ل=30 (l)	l	l	l	l	l	l	l	l	l
μ = 40	מ=40 (m)	=	=	ܡ - 40 (m)	=	ⲙ - 40 (m)	m	M=40 (m)	መ (m)	մ - 200 (m)	م=40 (m)	m	m	m	m	m	m	m	m	m
ν = 50	נ=50 (n)	=	=	ܢ - 50 (n)	=	ⲛ - 50 (n)	n	N=50 (n)	ነ (n)	ն - 400 (n)	ن=50 (n)	n	n	n	n	n	n	n	n	n
ξ = 60	כס כש קס קש	=	=	ܣ (ks)	=	ⲝ - 60 (x)	x	KS (x)	ክስ (x)	քս (x)	كس (x)	E. ΚΣ ΧΣ	ΚΣ ΧΣ	Sim. x	x	x	x	x	x	ks pas. ksch
ο = 70	(o)	=	=	(o) pas. (u)	=	ⲟ - 70 (o)	o	AV (o) p. V=70 (u)	አ (o) አ (ŏ)	ո - 600 (o)	(o) pas. (u)	P. o	o	o	o	o	o	o	o	o
οι	......	......	......	(ü)	(i)			Y=400 (ü)	ኢ (i) ኦ öüi	(ü) h (i)	(i)	P. ö	ö	ö	ö	ö et ü	ü et i	i	i	i

ευ	[illegible]			(ew)	=	Ɛꙋ - (ew)	eu (ew)	AV (ew)						ew	ew	ew	ew	ew	ew	ew
ant. con. et in fine.	ֵי ְ (eu)	=	=	ο— (eu)	p. o (ew)	Ɛꙋ - (eu)	eu (eu)	....	ኦው (eu)	ԵՒ en pas. ԵՒ (ew)	ـُو (eu)	eu	eu	eu	ew	ew	ew	eu p. ew	ew r. eu	ew
ζ = 7	ז=7 (ds)	=	=	ܙ - 7 (ds)	=	Ⲍ - 7 (ds)	z (ds)	Z=7 (ss)	ዘ (ds)	զ - 6 ts	ز=7 ts	E. ds	ds	ds	ds	ds	ds	ds	ç	ç Gall.
η = 8	ֵ ֶ (e)	=	rar. ֵ ֶ	ֶ rar. ֵ	=	Ⲏ - 8 (e) rar. I - 10 (i)	e	E=8 rar. EI (i)	ኤ ኤ (e) rar. ኢ (i)	է - 7 (ē) rar. ի - 11 (i)	ي (i) rar. ـِ (e)	P. h	h	e	e	e	e rar. i	i et e	i rar. e	i
η	....	....	....	ـِ (=η)	=	....	....	....	....	....	....	P. ~	~	e	e	e	e rar. i	i et e	i rar. e	i
ηυ ant. voc. alias.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	P. ~	~	ēw ēu	ēw ēu	ēw ēu	īw r. ēw , ēu	īw et ēw ēu ēw iw	iw r. ēw iw r. ew	īw īw
ϑ = 9	int. voc. th len. ת=400 al. th.	=	=	ܬ - 400 th lene th	=	Ⲑ - 9 (th)	th	Th=9 (dh)	ቶ (th)	Թ - 9 (th)	ث=500 th A ت=400 th	E. th	th	th	th	th	- th	th et th A.	th Ang. rar. th	th Ang.
ant. voc. ι = 10 alias	י=10 (j) ִ ֵ ִ (i)	= =	= =	ܝ - 10 (j) ... (i)	= =	I - 10 (j) (i)	i (j) (i)	𐌾=60 (j) I=10 ï EI ï	ዩ (j) ኢ (i)	յ - 300 (j) ի - 11 (i)	ي=10 (j) يـ ـِ i	j i	j i	j i	j i	j i	j i	j i	j i	j i
κ = 20	כ=20 (k) ק=100 (k)	=	=	ܟ - 20 (k) ܩ - 100 (k)	=	Ⲕ - 20 (k)	c	K=20 (k)	ከ (k) ቀ (k)	կ - 60 (k)	ك=20 (k) ق=100 (k)	k	k	k	k	k	k	k	k	k
κχ	כ (=ככ)	=	=	ܟ (-ܟܟ)	=	ⲔⲬ	cch pas. ch	KK (=chch)	ከ (=ከከ)	ք (-χχ)	ك (=كك)	E. chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch	chch
λ = 30	ל=30 (l)	=	=	ܠ - 30 (l)	=	Ⲗ - 30 (l)	l	L=30 (l)	ለ (l)	Լ - 30 (l)	ل=30 (l)	l	l	l	l	l	l	l	l	l
μ = 40	מ=40 (m)	=	=	ܡ - 40 (m)	=	Ⲙ - 40 (m)	m	M=40 (m)	መ (m)	Մ - 200 (m)	م=40 (m)	m	m	m	m	m	m	m	m	m
ν = 50	נ=50 (n)	=	=	ܢ - 50 (n)	=	Ⲛ - 50 (n)	n	N=50 (n)	ን (n)	ն - 400 (n)	ن=50 (n)	n	n	n	n	n	n	n	n	n
ξ = 60	כס כש קס שק	=	=	ܟܣ (ks)	=	Ⲝ - 60 (x)	x	KS (x)	ክስ (x)	քս (x)	كس (x)	E. ΚΣ ΧΣ	ΚΣ ΧΣ	Sim. x	x	x	x	x	x	ks pas. ksch
ο = 70	ִ ָ (o)	=	=	ܳ (o) pas. ܘ (u)	=	O - 70 (o)	o	AV (o) p. V=70 (u)	ኦ (o) ኦ (ŏ)	Ո - 600 (o)	ـُ (o) pas. ـُو (u)	P. o	o	o	o	o	o	o	o	o
οι	.... (OI=א)	.... =	.... =	ο (ü) rar. (i)	(i) rar. o (ü)	OI (ö)	oe (ö)	Y=400 (ü) et EI (i)	ኢ (i) ኡ öüi rar. ኤ (e)	իւ (ü) ի (i)	ي (i)	P. ö	ö	ö	ö rar. ü	ö et ü	ü et i rar. ö	i rar. ü	i	i
οϊ	ויֹ (oï)	=	=	ܘܝ (oï)	=	OÏ OI (oï)	oi	....	ኦይ (oï)	ոյի (oï)	ـُوي üi oï	P. oï	oï	oï	oï	oï	oï	oï	oï	oï
ου	וּ (u)	=	=	ܘ (u)	=	Oꙋ (u)	u	V=70 (u)	ኡ (u) ኡ (ŭ)	ու (u)	ـُو (u)	P. V	V	u	u	u	u	u	u	u
π = 80	פ=80 (p)	=	=	ܦ - 80 p f	=	Ⲡ - 80 (p)	p	P=80 (p)	ጰ (p)	պ - 80 b (p)	ب=2 (p) (b)	p	p	p	p	p	p	p	p	p
πφ	פ (=פפ)	=	=	ܦ (-ܦܦ)	=	ⲠⲪ	pph	....	ጰ (=ጰጰ)	փ (f) et պփ	ف et بف	P. ff	ff	ff	ff	ff	ff	ff	ff	ff
ρ = 100	ר=200 (r)	=	=	ܪ - 200 (r)	=	Ⲣ - 100 (r)	r	R=100 (r)	ር (r)	ռ - 1000 (rr) ր - 5000 (r)	ر=200 (r)	r	r	r	r	r	r	r	r	r
σ = 200	ס=60 (s) ש=300 sch rar. צ=90 ds	=	=	ܣ - 60 (s) ܫ - 300 sch	=	Ⲥ - 200 (s)	s	S=200 (s)	ስ (s)	ս - 2000 (ss)	س=60 (s) ش=300 sch ص=70 (ç)	sch	sch	s pas. sch	s p. sch	s p. sch	s p. sch	s p. sch	s p. sch	s pas. sch
σχ	שכ סח סכ שח	=	=	ܣܟ (sch)	=	ⲤⲬ	sch	SK (sgh)	ስክ	սք	سك	E. sgh	sgh	sgh	sgh	sgh	sgh	sgh	sgh	sgh
τ = 300	ט=9 (t) r. ת=400 th	=	=	ܛ - 9 (t) r. ܬ - 300 th	=	Ⲧ - 300 (t)	t	Th=300	ጠ (t) rar. ቶ (th)	տ - 400 (t)	ط=9 (t) ت=400 (t)	t	t	t	t	t	t	t	t	t
τϑ	ת (=תת)	=	=	ܬܬ (ϑϑ)	=	ⲦⲐ	tth	TTh	ቶ (=ቶቶ)	տթ	تّ (=تت)	E. thth	thth	thth	thth	thth	thth	thth	thth A.	thth Angl.
ant. voc. υ = 400 (sol.) ant. cons.	ו=6 (w) ו (uü) r. ִי (i)	.... =	.... =	ü ü r. i	(i) r. o ü	Ⲩ - 400 (ü)	y (ü)	Y=400 (ü)	ኢ (i) ኡ (ü)	իւ (ü) et ի (i)	ي (i)	P. V	V	w ü	w ü	w ü rar. i	w ü i	w i rar. ü	w i	w i
υι (sol.) ant. voc. et in fin.	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	....	P. VI ui	VI	ü (p. ui)	ü	ü rar. i	ü i	i rar. ü	i	i
φ = 500	פ=80 (f)	=	=	ܦ - 80 (f)	=	Ⲫ - 500 (f)	ph (f)	F=500 (f)	ፈ (f)	փ - 500 (f)	ف=80 (f)	E. f	f	f	f	f	f	f	f	f
χ = 600	ח=8 (ch) כ=20 (ch)	=	rar. כ	ܟ - 20 (ch) p. ܚ - 8 ch	=	Ⲭ - 600 (ch)	ch	K=70 (ch) Ch=600 (χ)	ክ (ch)	ք - 9000 ch k	ك=20 (ch) خ=600 (ch)	E. ch	ch	ch	ch	ch	ch	ch	ch	ch (a o u.) j (e, i.)
ψ = 700	בש בס בצ פס	=	=	ܦܣ (ps)	=	Ⲯ - 700 (ps)	ps	Ps=700	ጰስ (ps)	պս (ps)	بس bs (ps)	E. ΠΣ ΦΣ	ΠΣ ΦΣ	S. ps	ps	ps	ps	ps	ps	ps p. psch
ω = 800	ָ ֹ (o)	=	=	ܘ (o)	=	Ⲱ - 800 (ō)	o	O=800 (ō)	ኦ (o) ኦ (ŏ)	o (ō)	ـُو	P. O	OO	S. ō	ō	ō	ō	ō	ō	ō
ῳ	....	....	....	ο (-o)	=	Ⲱ (o)	o	....	....	....	....	H. OI	OI	S. ō	ō	ō	ō	ō	ō	ō
ωϊ	ויֹ (oï)	=	=	ܘܝ (oï)	=	ⲰÏ ⲰI (ōï)	oi	....	ኦይ (oï)	ոյի (oï)	ـُوي	P. OI	OI	S. oï	oi	oï	oï	oï	oï	oï
ωυ	....	....	....	....	....	Ⲱꙋ (ou)	oy (oü)	....	....	....	....	P. OV	OV	S. ōu	ōu	ōu	ōü	ōü	ōï	ōi

Significant interpretum patriam literae: Ae. (Aegyptum) Al. (Alexandriam) Ant. (Antiochiam) Afr. R. (Africam Romanam) As. G. (Asiam Graecam) Byz. (Byzantium) Cyr. (Cyrenaicam) Gr. (Graeciam) Hier. (Hierapolin Syriae) It. (Italiam) Mac. (Macedoniam) Mem. (Memphidem) Pal. (Palaestinam) Pont. (Pontum) Sah. (Sahidem) Syr. (Syriam) Thr. (Thraciam).

Numeri et literae minusculae singula signa subsequentes earum potestatem in computando et scribendo significant partim genuinam, partim hodiernam.

Vocales Aethiopicas innuit litera ኧ e variis literarum classibus petita. Literae Aethiopum classis sextae meras consonas valent.